PHAEDRI

FABVLAE

PHAEDRI

FABVLAE

QVAE EXSTANT OMNES

EX RECENSIONE

IO. GOTTL. SAM. SCHWABII

CVM NOTIS ET INDICIBVS

AVGVSTAE TAVRINORVM

EX TYPIS IOSEPHI POMBA

ANNO MDCCCXXXIV.

TYPOGRAPHI MONITVM.

Haud infrequens est nonnullorum audire querelas de nimiis accessionibus quibus interdum mea volumina redundare dicuntur. Iure an iniuria hoc in me dictum sit, doctorum virorum sit iudicium. Interea ne hoc merito dici possit de hac Phaedri editione, optimum quidem, pro more, scriptoris exemplar typothetis meis dispertitus sum, editionem scilicet Parisiensem anni 1826, aliis omnibus longe ornatiorem; at sedulo prius inspexi quid retinendum esset, quidve omittendum. Accedit, quod ad metam festino, plurimorumque votis satisfacere opto. Primum igitur praetermittendas esse duxi variantes prope omnes; quum vulgata Phaedri lectio satis plana et emendata mihi videatur; 2° Editionum et versionum Elenchum paucissimis et raro profuturum; 3° Excursus plurimos ad definiendam incertae locorum quorumdam lectio-

nis controversiam et ad vocum nonnullarum interpretationem aliquid sane profuturos, at paucissimis; 4° Notas criticas Romuli fabulis substratas; 5° maiorem praeterea partem notarum criticarum contextui Phaedriano suppositarum; 6° denique, Dissertationes quasdam ad Vitam Phaedri et Codices MSS. novarum fabularum pertinentes; quoniam abunde de Phaedro praefatur Schwabius in eius Vita.

His omnibus praetermissis, ex duobus voluminibus ad unum iustae molis totum opus redactum est; et nihilosecius confido, omnia quae ad pleniorem intelligentiam fabularum faciunt, me suppeditavisse. Ad editionem quod attinet, exemplar Parisinum, uti dicebam, quod Schwabii contextum repraesentat, typothetis praebui, collatum tamen cum Orellii contextu novissime recensito. Notas autem philologicas et exegeticas contextui subieci, indicemque verborum repetivi. His ergo utere, candide Lector; et si quid humaniter peccatum sit, spero, te veniam mihi benigniter esse daturum. Vale.

VITA PHAEDRI

EX PHAEDRO [1]

AVCTORE I. G. S. SCHWABIO.

Phaedrum fuisse Thracem, non pauci virorum doctissimorum sunt, qui, duce Pithoeo, statuant. (2) Provocant enim ad ipsa Phaedri verba: (3)

> Ego, quem Pierio mater enisa est iugo,
> In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi,
> Fecunda novies, artium peperit chorum, etc.:

et ad locum alium: (4)

> Ego, litteratae qui sum propior Graeciae,
> Cur somno inerti deseram patriae decus?
> Threïssa quum gens numeret auctores suos,
> Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo.

Quibus addunt locum *Strabonis:* (5) Ἀπὸ δὲ τοῦ μέλους, καὶ τοῦ ῥυθμοῦ. καὶ τῶν ὀργάνων, καὶ ἡ μουσικὴ πᾶσα Θρᾳκία καὶ Ἀσιᾶτις νενόμισται· δῆλον δ' ἔκ τε τῶν τόπων, ἐν οἷς αἱ Μοῦσαι τετίμηνται. Πιερία γὰρ, καὶ Ὄλυμπος, καὶ Πίμπλα, καὶ Λειβηθρον, τὸ παλαιὸν ἦν Θρᾴκια χωρία καὶ ὄρη, etc.; ex quo probare student, Pieriam montemque Pierium olim fuisse regionem montemque Thraciae. At rectius Phaedrus

(1) In enarranda vita Phaedri ea potissimum in usus meos verti, quae viri docti, *Funccius*, Io. *Schefferus*, Io. Alb. *Fabricius*, F. Ios. *Desbillonius*, *Crusius*, Anglus, de hocce poeta memoriae prodiderunt; ita quidem, ut placita eorum disquisitioni subiicerem, novasque passim auderem coniecturas, sustentatus argumentis ad probandum idoneis.

(2) *Schefferus* in Vita Phaedri: *Fabricius* in B. L. T. II, p. 25, Ed. Ernest. *Funccius* de Senect. L. L. Cap. III, §. 8, alii.

(3) Prol. Lib. III, 17—19.

(4) Prol. Lib. III, 54—57.

(5) Geograph. L. X, p. 722. Edit. Amstel. 1707, in-fol.

Macedonia ortus fuisse creditur. Etsi enim priscis temporibus (τὸ παλαιὸν) mons Pierius Thraciae fuit adscriptus; subsequenti tamen tempore incolebatur a Macedonibus, teste eodem illo Strabone, qui verbis paullo antè citatis, haec subiungit; νῦν δὲ ἔχουσι Μακεδόνες, quae quidem verba Schefferus reticuit. Atque etiam quum *Pausanias* (1) commemoret, fuisse olim Pieri, Macedonis, nomen uni e Macedoniae montibus inditum; *Plinius* autem (2) et *Mela* (3) Pieriam appellent Macedoniae (4) regionem; quum denique omnes antiqui Geographiae scriptores Macedoniam a Thracia distinguant: dubitari nequit, iugum Pierium, de quo Phaedrus verba facit, situm fuisse in Macedonia, et Phaedrum Macedonem, non Thracem, esse appellandum. (5) At enim Phaedrus loco supra memorato, (6) se ipse *Thracem* vocat. Et ego haec verba minime id significare contendo, quod volunt, qui secus sentiunt. Nam recte vidit *Desbillonius* (7) ea ita esse interpretanda: Ego decus patriae meae, quae litteratae Graeciae propior est, nolo per inertiam deserere, quum Threissa gens, quamvis a Graecia sit multo remotior, suos tamen auctores, Linum et Orphea, numeret. Neque etiam, iudicante eodem

(1) Descript. Graec. IX, cap 29, T. III, pag. 88, ex Edit. Cl. *Facii*. Χρόνῳ δὲ ὕστερόν φασι Πίερον Μακεδόνα, ἀφ' οὗ καὶ Μακεδόσιν ὠνόμασται τὸ ὄρος, τοῦτον ἐλθόντα ἐς Θεσπιὰς, ἐννέα τε Μούσας καταστήσασθαι, καὶ τὰ ὀνόματα τὰ νῦν μεταθέσθαι σφίσι.

(2) Hist. Nat. lib. IV, c. 10.

(3) De Situ Orb. lib. II, c. 3: *Hic* (in Macedonia) *Musarum parens domusque Pieria.*

(4) *Plinius* H. N. lib. IV, cap. 8, coll. not. f. refert montem Pierum ad Thessaliam. Dicit enim: *Pherae, quarum a tergo Pierus ad Macedoniam protenditur.* Auctoribus *Mela* l. c. et *Cellario* Orb. Ant. T. I, p. 836. coll. Mapp. Geogr. p. 828. Pieria fuit provincia Macedoniae; mons autem Pierus situs erat in confiniis Macedoniae et Thessaliae. Facile igitur fieri potuit, ut iste mons ab aliis Thessaliae, ab aliis Macedoniae adscriberetur. Sed iugum Pierium, de quo loquitur Phaedrus, accipiendum pro ea montis illius parte, quae ad Macedoniam pertinebat. Scribit enim, se litteratae propiorem esse Graeciae. Per consequens fuisset Graecus, si in altera, quae Thessaliae erat, natus esset. Cf. Desbillon. Praef. pag. v, et quae notamus ad Prol. III, 20.

(5) Lege de hac re erudite disputantem *Desbillonium*, In Disp. I, de Vita Phaedri, pag. iv sq. praefixa ej. Editioni Phaedri. Thracem fuisse Phaedrum, iam ante Desbillonium negavit Deniseus, qui gallicis versibus Phaedri fabulas reddidit. Vid. Vers. Gall. ann. 1708, et *Mém de Trévoux* d. a. p. 790.

(6) Prol. L. III, v. 54—57.

(7) Vid. l. c. p. v.

viro docto, temporibus Lini et Orphei Macedoniam Thraciae partem fuisse credidit *Diodorus Siculus.* Is enim (1) Macedonem, a patre suo Osiride huic regioni praepositum, Macedoniae, ante Lini et Orphei tempora, nomen dedisse, memoriae prodidit, scribens: καὶ Μακεδόνα μὲν τὸν υἱὸν ἀπολιπεῖν βασιλέα τῆς ἀπ' ἐκείνου προσαγορευθείσης Μακεδονίας. Quae quum ita sint, Phaedrus fuit Macedo, neque magis, quam Pindarus, Thebis natus, propterea Thrax dici potest, quod *Strabò* (2) scriptis suis tradidit, Thraces olim tenuisse Boeotiam.

Fuerunt, qui verba: *Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,* improprie et poetice a Phaedro dici putarent. (3) Sed iam olim animadvertit *Funccius,* (4) haec ita intellecta non apte cohaerere cum sequentibus. Quum enim Phaedrus, se *in ipsa schola natum* esse dicat; (5) musae autem, artium omnium et litterarum Deae, in monte Pierio crederentur esse genitae: facile vides, Pagenstecherum et viros doctos, qui eum sequuntur, non esse audiendos. Istam Pagenstecheri sententiam cl. *Iacobs* in dissertatione peculiari de fabulatoribus latinis (Vide *Nachträge zu Sulzers Theorie*, tom. VI, P. I, pag. 34) sic confutat: *Diejenigen, welche diesen Worten* (prol. III, 17) *einen metaphorischen Sinn unterlegen, haben den Zusammenhang nicht gehörig erwogen. Phädrus führt die Gründe, die seine Ansprüche auf den Namen eines Dichters begünstigen, der Reihe nach an. Seinen Geburtsort, en poetisches, durch die Gegenwart der Musen begünstigtes Land, stellt er an die Spitze. Zunächst kömmt er auf seine Erziehung*, in ipsa natus paene schola; *auf seinen Charakter, der keinen von den Flecken hat, die mit den Musenkünsten unverträglich sind. Man gebe dem ersten Satze eine metaphorische Bedeutung, und die ganze Anordnung der Gedanken ist zerstört.* »

Quo anno, quibus pareutibus natus sit Phaedrus; utrum casu,

(1) T. I. c. 20, p. 23, Edit. Wesseling.

(2) Strabonis, lib. 10, pag. 722, τόν τε Ἑλικῶνα καθιέρωσαν ταῖς Μούσαις Θρᾷκες οἱ τὴν Βοιωτίαν ἐποικήσαντες.

(3) *Pagenstecherus* in Vit. Phaedri, laudans *Persii* Sat. Prol. v. 1. *Vrsinus* in Indice ad Edit. Phaedri voc. *Pierius*. C. H. *Schmid* in Not. *l.* ad *Crusii* Vitt. Poet. Rom. T. I. p. 342, vers. germ.

(4) De imminenti L. L. Senect. c. III, §. 8.

(5) Prol. lib. III, v. 20, ubi vide,

an sorte nascendi factus sit servus, definire non audeo: verumtamen coniecturam virorum doctissimorum silentio praetermittere non licet. Quum enim *Suetonius* narret, (1) C. Octavium, Augusti patrem, Macedoniae praetorem, Bessos ac Thraces magno fudisse praelio; coniiciunt hinc potuisse evenire ut Phaedrus cum aliis captivis Romam duceretur. (2) Hisce autem positis, Phaedrum putant paucis ante annis natum esse, quam Iul. Caesar summa potiretur imperii. (3) Eodem enim anno, quo Thraces fusi sunt, Q. Cicero fuit proconsul Asiae, Caesar autem Romae gessit consulatum. (4) Quae quidem coniectura veri non est similis, recte observante *Fabricio;* (5) quoniam inter Caligulae imperium et illud tempus, quo C. Octavius Thraces fudit, intercedunt plus quam LXX anni. Quid? quod Phaedrus regnante Claudio adhuc vixisse, et aliquot fabularum libros composuisse videtur, ut e sequentibus constabit? Neque dissentit a nobis Desbillonius, cuius placita non alienum videtur hoc loco commemorare: (6) « Etenim hoc pacto, *inquit*, Phaedrum tempore Seiani, quo se scripsisse testatur, septuagenario maiorem fuisse oportuerit; quod veri simile non videtur. Ipse enim, Lib. IV, Epil. vs. 16. (Epil. Lib. III, 16, 17 nostrae edit.) de se loquens, sic unum e suis patronis admonet:

Olim senio debilem
Frustra adiuvare bonitas nitetur tua.

Tunc ergo non erat neque senex, neque senio proximus. Praeterea, si abductus eo tempore in servitutem fuisset, captum esse eum victis vel Thracibus, vel Bessis dicendum foret, qui bar-

(1) Aug. cap. III.

(2) Vid. *Scheffe̦rus* in Vit. Phaedri: *Schumannus* in Diss. de Vit. et Script. Phaedri, edit. in Nov. Acerr. Philolog. Hal. 1715, in-8°, p. 170 sq. *Müllerus in Einleit. zur Kenntniss der alten Lat. Schriftstell.* T. V, p. 8. *Crusius* l. c. p. 341. *Io. Fabricius* in Hist. Bib. Fabric. P. VI, p. 319.

(3) *Crusius* in Vit. Phaedri, quae extat l. c. p. 342; *Müllerus* l. c. T. V, p. 6.

(4) *Crusius* l. c. p. 343; *Sueton.* Oct. cap. 3.

(5) Bibl. Lat. T. II, p. 25, Edit. Ernest.

(6) Disp. I, de Vit. Phaedri cit. p. VI. Mea quidem sententia locus, quem mox affert Desbillonius, non tempore Seiani sed Caligulae scriptus est. Nam Fab. alias XXV, L. IV, cum Brotierio et Bipont. Edit. epilogum fieri iussi lib. III, cuius prologo ad Eutychum bene respondet.

bari longe ab auctoris nostri patria (Macedonia) erant ad septentrionem remoti.»

Phaedrus, aetate puerili captus, nescio quo casu Romam deportatus, Augusto imperatori mancipatus est, qui eum, ob morum probitatem atque ingenii elegantiam, bonis litteris curavit instituendum, et manumissum libertate donavit. (1) Litteris autem latinis Romae imbutum fuisse Phaedrum, vel ex Epil. Lib. III, v. 33 sq. (alias Lib. IV, XXV, 33, 34) potest intelligi, quo loco ex Ennii Telepho versum memorat, quem se puerum quondam legisse testatur, huius sententiae:

Palam mutire plebeio piaculum est.

Iam vero si perpendamus scripsisse poëtam fabulas latine, i. e. sermone terso atque polito, eumdemque usum esse genere dicendi simplici et faceto, veterem urbanitatem redolente: vix credibile est, aliquem ad talem sermonis latini peritiam alicubi pervenire potuisse, nisi Romae, et longo quidem ab ineunte pueritia usu. (2) Quomodo servus factus sit Augusti, fateor me nescire. Sed dubium potest esse nullum, Octavium Augustum nostrum, quum perpolivisset litteris ingenium, adseruisse libertati, atque adeo Phaedrum Octavii Augusti fuisse libertum. In libris enim fabularum MSS. expressis verbis *Augusti* vocatur libertus. (3) Sed Octavium Augustum intelligendum esse, testis est ipse Phaedrus memorans litem a *divo Augusto* diiudicatam, addens:

Narrabo, memoria quod factum est mea. (4)

Non pauci tamen sunt qui Phaedrum libertatem Tiberio Augusto debere existiment; (5) a quibus recte dissentit *Desbillonius*, (6) qui praeter argumenta a me paullo ante notata, hoc in medium protulit: «Mihi, *inquit*, coniectura de Octavio longe probabilior

(1) *Harlesii* Notit. Litterat. Rom. p. 435; *Crusius* l. c. p. 350.

(2) *Desbillonii* Disp. cit. p. VI, sq.

(3) In Cod. Pithoei scriptum est: *Phaedri Aug. Lib. secundus incipit.* V. Gud. in MS. Rem. post. L. V. F. X. Phaedri *Aug. Liberti liber quintus explicit feliciter.* Vid. Brot.

(4) Lib. III, F. X, 8, 39.

(5) *Schefferus* in Vit. Phaedri. Ol. *Borrichius* de Poet. p. 55; *Lipsius* ad Senec. Consol. Polyb. c. XXVII; *Buchnerus* Orat. T. II, Or. 2, coll. *Fabri* Thes. vocab. *Phaedrus*; et *A. Schotti* observ. L. II, cap. 19, ut omittam alios. *Morhof.* de Patavin. Livii p. 157, haeret ambiguus, Phaedrum Libertum *Augusti*, vel *Tiberii* appellans.

(6) Disp. cit. p. VII.

videtur. Etenim manumitti Phaedrum oportuit ob elegantiam ingenii, sermonisque latini peritiam: quas artes et profuisse nemini apud Tiberium, horum temporum historia satis ostendit, et aliquo vix in honore fuisse illo regnante, versibus, Seiano adhuc superstite compositis, ipse indicat: (1) ubi fatetur, quamvis insigniter in arte sua se exercuerit, fastidiose tamen in musarum coetum recipi. »

Phaedrus igitur tempore Caesaris Octavii Augusti, cuius memoria et recordatio ei erat iucundissima, vixit, rebusque secundis usus est. Post Augusti obitum, Tiberio imperium administrante, in magnam incidit calamitatem, odio maxime Seiani, qui pro arbitrio cuncta gerebat sub Tiberio, et nostrum, fictis accusatum criminibus, damnaverat. Conqueritur enim Prol. Lib. III, v. 40—43.

Quod si accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique;
Dignum faterer esse me tantis malis.

Qui factum sit, ut in odium Seiani incurreret, pro certo adfirmari non potest. Coniicit Schefferus, Phaedrum, ab Augusto libertate donatum, primo Augustum, et mox eo defuncto posteros illius amasse et coluisse: quos inter quum exstiterit primum Agrippa, deinde Germanicus, non potuisse deesse rationem Seiano criminandi Phaedrum apud invidentem atque suspicacem principem Tiberium. Sed haec non magnam veri speciem habere et longe petita mihi videntur. Imo vero Phaedrus auctorem calamitatis suae se ipse fatetur, (2) scribens:

Servitus obnoxia
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Adfectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego illius pro semita feci viam,
Et cogitavi plura, quam reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.

Quibus e verbis colligi potest, scripsisse Phaedrum fabulas, quibus Seiani aliorumque iras concitaret; etsi simularet, sibi non mentem esse notare singulos; Prol. III, 40—50. Verba enim:

In calamitatem deligens quaedam meam,

(1) Prol. lib. III, 41, 23. (2) Prol lib. III, 34—40.

non interpretanda sunt: nonnulla applicans ad mala, quae passus sum, quod, praeter alios, vult Crusius, Anglus; (1) sed ita: unde mihi per calumniam inimicorum postea calamitas fuit conflata. Idem hoc Phaedrus fabula de Cane et Venatore (2) ad Philetum significare videtur. Canis enim ille venaticus, fortis olim adversus omnes feras, nunc annis ingravantibus languens, quem adumbrat alium, quam ipsum fabulae auctorem? (3) Quamquam haec fabula etiam alio modo explicari potest, uti suo loco monstrabitur. Ac, mea quidem sententia, Phaedrus post Tiberii secessum in Capreas insulam, vivo Seiano et florente, duos priores fabularum libros in lucem emisit. Non enim unam alteramve fabulam sibi amicisque tantum composuisse mihi videtur, traditam deinde in manus multitudinis, quae est Desbillonii sententia. (4) Namque non una ratione inducor ad credendum, Phaedrum scripsisse omnibus non singulis, ut luculenter docebunt sequentia. Contra facile admitto coniecturam Brotierii, maxime Desbillonii, qui non sine caussa statuunt, libri primi fabulam VI de Sole et Ranis ad invidiam Seiano faciendam pertinuisse; quod Liviam, sive Livillam, Drusi Neronis Germanici filiam, Caio, Augusti nepoti, mox Druso, Tiberii filio, nuptam, ausus esset uxorem sibi postulare, (5) et ista ambitione tam insolenti vulgi rumorem, odium procerum, Tiberii ipsius suspiciones excitasset. Quam sententiam hac video niti interpretatione: (6) « Liviam adulterio corruperat Seianus, perpuleratque ut Drusum maritum, Tiberii filium, (7) veneno tolli sineret: atque ambo speraverant, moram omnem fuisse hoc scelere sublatam, quo minus celebres fierent nuptiae: at ranae, id est universae familiae romanae, quarum Sol, Seianus, omnes lacus, id est omnes domos, exhauriebat, Iovem, id est Tiberium, efficaci tandem querela commoverunt, ut nefarium inceptum disturbaret. » Qua fabula lecta, excanduit Seianus in ultionem, quum-

(1) Vit. Phaedri, quae extat l. c. T. I, pag. 344, vers. germ. cf. Not. ad Prol. III, 40, et *Iacobs* l. c. p. 35, not. (0)

(2) Lib. V, Fab. x, ad Philetum.

(3) Hanc sententiam tuetur Desbillonius Disput. cit. p. xi, ubi vide.

(4) Disp. cit. p. x.

(5) Tacitus, Annal. l. IV, c. 39, 40.

(6) Desbillonius l. c. p. x.

(7) Tacitus, l. c. cap. 3, 8, coll. cap. 9—11.

que intellexisset Phaedrum fabula lib. I, 2, de Ranis regem petentibus, ipsum carpere Tiberium, forte cupide arripuerit istam occasionem ulciscendi iniuriam ex altera fabella nuper acceptam, et accusator, testis ac iudex, laesae maiestatis reum (1) Phaedrum damnare tentavit. Atque hic observat Desbillonius, (2) potuisse Tiberium parvo illo tigillo quod ranae inquinant omni contumelia non inepte designari: Romanos enim ac prae ceteris duces exercituum militesque, et multo etiam magis socias gentes his potissimum temporibus aspernari eum coepisse, quod imperii clavum deserere videretur, et ignavus *Caprearum angusta in rupe sederet*, (3) atque otiaretur, tutore Seiano. Tunc etiam, auctore Tacito, (4) *contumeliae in eum dictae; et fluxa senio mens et continuo abscessu velut exsilium* aliquanto post a *Fulcinio Trione obiecta.* Non tamen crediderim Phaedrum, omissa crudelitate, solum ignaviam atque inutilitatem Tiberii fabula memorata deridere voluisse, quod volunt Desbillonius et Tristanus (*Histoire des empereurs*, loco mox citando). Crudelis enim esse non destitit: non igitur alium per hydrum notavisse videtur poëta, quam huncce imperatorem, (5) nisi quis malit intelligere Seianum, instrumentum crudelitatis suae. Neque obiici potest a cl. *Iacobs* in erudita dissertatione de fabulatoribus latinis (v. *Nachträge zu Sulzers Theorie*, tom. VI, P. I, pag. 34) hydrum istum de Caligula non posse intelligi, quia fabula de ranis graecae sit originis. Quae enim si vera essent, vix liceret contendere Tiberium a Phaedro per hydrum notatum fuisse. Sed quis possit dubitare poëtam fabulas ab Aesopo inventas et a se versibus senariis politas, genio saeculi accommodavisse; eumdemque sub antiquis illis fabulis res sua memoria gestas voluisse adumbrare; quum ei mens esset, ut ipse testatur Prol. III, 50, *vitam et mores hominum ostendere.*

Praeter Seianum subsequenti tempore non pauci erant poten-

(1) Tacit. Annal. lib. I, c. 72, de Tiberio loquens: *Legem*, inquit, *maiestatis reduxerat.* coll. Desbillon. Disputation. de vita Phaedri, pag. x seq.

(2) Disp. de vita Phaedri, pag. xi.

(3) Iuvenalis Sat. X, v. 93.

(4) Annal. Lib. IV, cap. 42, et lib. VI, cap. 38.

(5) Iam olim Heusingerus vidit, Tiberium non Caligulam, significari per hydrum. Vide Addenda ad Edit. Heusinger. ann. 1772, Not. K. et ad L. I, F. II, 24.

tes qui Phaedri fabulis se laesos putarent, iramque evomerent in auctorem, (1) quos hic tamen nominare non audet; id quod luculenter apparet ex Epil. lib. III, 29 sq.: (2)

Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint requires: apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire plebeio piaculum est,
Dum sanitas constabit, pulchra meminero.

Qui locus probat Phaedrum, invidiae calumniaeque machinationibus oppressum, fictarum caussarum reum esse factum, ac primum quidem Seianum accusatorem, simulque testem ac iudicem habuit. (3) Hoc deinde exstincto, alii, sive a Seiano incepta persecuturi Phaedrumque ultioni mactaturi, sive propria simultate inflammati, omnem moverunt lapidem ut affligerent nostrum et perderent. Ii sunt, contra quos supplex et reus, etsi integritatis conscius, implorat misericordiam Eutychi, patroni sui, (4) hocce tempore forte iudicum numero habendi, (5) scribens:

Stultum admovere tibi preces existimo,
Proclivis ultro quum sit misericordia.
Saepe impetravit veniam confessus reus,
Quanto innocenti iustius debet dari?
Tuae sunt partes; fuerunt aliorum prius:
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides, etc.

sed tota res iacet in tenebris, et vix sperare licet haec unquam in lucem evocatum iri.

(1) Desbillon. l. c. pag. IX, Prol. III, 45—47, coll. Epil. III, 29 sqq.

(2) Alias lib. IV, XXV, 29 sqq.

(3) Prologus Libri III, v. 41, 42.

(4) Epil. lib. III, 20—26, coll. Desbillonii Disp. de Vita Phaedri, p. IX, et Exc. XII ad Epil. III, 8, 9, 24 sq.

(5) Versus enim *decerne quod religio, quod patitur fides*, intelligendus, observante Desbillonio, de religione iudiciorum et fide iurisiurandi, quo se Romanorum iudices adstringebant, lites sese et controversias ex aequo et bono praescriptisque legum esse diiudicaturos. Cf. Desbillonii Disputationem citatam pag. VIII. Non tamen vero simile videtur Burmanno ad locum Phaedri citat. Eutychum, liberti nomen gerentem, iudiciis praefuisse. Compara Excurs. I ad L. III, item Excurs. XII ad eumdem librum.

Non Aelium Seianum, eumdem qui sub Tiberio suam latissime potentiam exercebat, Phaedrum perstringere censet Cannegieterus, (1) « sed potius hominem moribus eius non dissimilem. Nam si, *inquit*, ipsum Seianum intelligas, qui quaeso ausus est homo libertinus eum, sub saevissimo principe crudeliter dominantem, tam acerbe perstringere in carmine publico? aut si hoc est Phaedrus ausus, vitae suae prodigus, qui quaeso factum ut tantam linguae licentiam impunitam tulerit? tulisse autem videtur, quod interposito tempore reliqui fabularum libri prodierunt. Nam non omnes simul esse editos facile largior Hario, auctori epistolae criticae. At vero nequaquam in eo adsentior, quod eodem in loco ad Prol. lib. III monet, Seiano iam damnato eum librum esse scriptum. (2) Nam si post damnationem, etiam post mortem scriptus est; eodem enim die damnatus in senatu et ad supplicium raptus est Seianus, Dion. LVIII, pag. 628. At vero vixisse illum Phaedri Seianum ac magna auctoritate et potentia praeditum fuisse, quum illa scriberet poëta, haec verba vincunt:

> Quod si accusator alius Seiano foret,
> Si testis alius, iudex alius denique;

quomodo *foret* Seiano mortuo conveniet? »

Cuius quidem argumenti, speciosi profecto, vis facile infringi potest, si fingas, Prologum libri III vivo quidem Seiano litteris consignatum, sed demum post Phaedri mortem iuris factum esse publici. Quam sententiam sustentari posse censeo loco Phaedri, Prol. lib. III, v. 29—32:

> Librum exarabo tertium Æsopi stylo,
> Honori et meritis dedicans illum tuis.
> Quem si leges, laetabor; sin autem minus,
> Habebunt certe, quo se oblectent posteri.

Quum enim Phaedrus verba tantum faciat de Eutycho et posteris, quorum ad manus fabulae libri III transmittendae sint, suspicari possis poëtam noluisse, ut ab aliis tunc viventibus

(1) In Dissertatione de Aetate et stylo Aviani, pagina 270 seq. inserta eius Editioni Aviani.

(2) Librum III post Seiani statim ruinam exaratum esse, statuebat Harius, probante Burmann. quem vide ad Phaedri F. II, L. I, 21.

legerentur, quum e fabulis libri I et II, antehac editis, magna cepisset incommoda. Itaque, suo ipsius damno edoctus, providisse putandus est, ne scripta sua in posterum se vivo in publicum emitterentur. (1) Quae si admittantur, facile intelligitur, Phaedrum, vivo adhuc Seiano, scribere potuisse ad Eutychum: *quod si accusator alius Seiano foret*, ita quidem ut non esset quod metueret hominem crudelitate barbarum.

Contra librum fabularum I et II, quibus poëta Seianum et alios ad iram provocavit maximam, ut ego quidem arbitror, vivo Seiano et florente, *in vulgus* edidit; etsi Desbillonius, ut supra dictum est, aliter sentiat. Namque, recte notante Cannegietero (2) « Prologus libri I, et multa alia arguunt, non paucis scripsisse fabulas suas Phaedrum, sed omnibus; neque tantum ad privatum dolorem leniendum, sed et ad famam publice aucupandam. Quorsum enim sollicitae illae προφάσεις ad lectorem, non initio solum et fine, sed et in mediis libris, quibus nihil opus ad amicos? Quid? quum in Prologo libri III, 23, fastidiose se in coetum recipi querstur, et in Epilogo lib. IV, 5, 6, Particulonis nomen dicat chartis victurum suis,

Latinis dum manebit pretium litteris,

ex tacitis amicorum laudibus hanc gloriae immortalitatem eum sperasse vix putandus est, imo vero ex publicis virorum doctissimorum suffragiis. Porro quî illa convenient ex Prologo libri III, 45—50:

Suspicione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilominus:
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere,

nisi omnium manibus versatos hos Phaedri libellos existimamus?» Quae Cannegieteri coniectura confirmatur iudiciis variis, quae de fabulis suis facta esse ipse Phaedrus fatetur, et quae comprobant, non singulis, sed omnibus compositas et publicatas esse fabulas. Scribit enim Prol. IV, 17, 18:

Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea;

(1) Conferatur Desbillonius ad Prol. lib. III, 32.

(2) Diss. de Aetat. et stylo Aviani, p. 270.

ad quem locum vide quae infra notantur. Nec defuere hisce temporibus qui Phaedri fabulas bona quaedam habere non diffiterentur, sed ea ex Aesopo mutua accepta; cetera, ut excogitata sint a Phaedro, ita mala et inepta esse. (1) Alii quum nil possent aliud, brevitatem et obscuritatem fabularum accusabant. (2) Fuerunt denique, qui fabulas componere non auderent, sed vindicarent sibi quod inventum erat a Phaedro. Hoc enim voluit lib. III, fab. XIII, (3) fortasse etiam lib. I, fab. III.

Cuiuscunque generis calamitas fuerit, in quam odio et persecutione Seiani Phaedrus fuit praecipitatus, (4) certum est divitias neutiquam eum reddidisse calamitosum. Quum enim videret pecunias hisce temporibus multis esse perniciei, opum parandarum studium omne ex animo delevit, seu, ut ait Prol. III, 21, curam habendi penitus corde erasit. Id quod innuit lib. V, fab. IV, 7, 8, ubi scribit, post enarratam fabulam de asino detrectante hordei comedere reliquias, quo saginatus porcus Herculi deinde immolatus fuit:

> Huius respectu fabulae deterritus
> Periculosum semper reputavi lucrum.

Et profecto tunc opulentissimum quemque a Tiberio variis criminationibus circumveniri solitum, praeter alios, Suetonius (5) et Tacitus (6) docent, teste Scheffero. (7) Neque etiam dubium est Phaedrum, calamitatem magno ferentem animo, remedium adversus eam petiisse e litteris, et ad molliendum dolorem scripsisse reliquos fabularum libros. (8)

Scripsit Phaedrus versibus senariis fabularum Aesopiarum libros V. Sed de aetate qua vixit, et de tempore quo exaravit fabulas, non una est virorum doctissimorum sententia. Gudius aetatem eius ad Tiberii principatum referendam, ipsumque Valerio Maximo aliisque eius aevi scriptoribus aequalem fuisse

(1) Lib. IV, F. XX, 1—5, coll. Scheffero in Vita Paedri.

(2) Lib. III, X, 59, 60. « Haec..... brevitate quoniam offendimus. »

(3) Videatur Schefferus in Vita Phaed.

(4) Capitis periculum vitaeque discrimen subiisse, coniicit Desbillonius Disp. cit. pag. VIII, ex Epil. III, 20—26. (Alias lib. IV, XXV, 20—26.) In vincula publica Phaedrum coniectum fuisse, forte colligi potest e lib. III, IX, 34; coll. Epil. III, 15 sqq.

(5) Tiberius, cap. 49.

(6) Annalium libro VI, cap. 19.

(7) Vid. Schaffer. in Vita Phaedri.

(8) Prol. lib. III, 41—44.

censebat. (1) Existimabat autem has fabellas demum post Tiberii mortem publici iuris factas; (2) quum non vero simile videatur illum ausum fuisse fabulis suis viventem imperatorem immiscere, quod quam periculosae aleae opus esset, alia eius temporis monimenta ei probare videbantur; deinde quod fabulam de Ranis regem petentibus, et a Iove hydrum consecutis, Caligulae tempora respicere putabat; nam Tiberium de Caligula, successore suo, dicere solitum: *Exitio suo omniumque Caium vivere; et se natricem populo romano Phaetontem orbi terrarum educare*, teste Suetonio. (3) Speciem habent argumenta Gudii; sed tamen certum est quid respondeam. Namque, ut supra ostendi, Phaedrus diserte dicit fabulas suas esse fontem ex quo tot mala, quae fuerit perpessus, fluxerint. Conqueritur de Seiano, accusatore, teste et iudice suo. Alium igitur atque alium fabularum librum, Tiberio et Seiano viventibus, ediderit necesse est. Deinde habeo persuasissimum Libri I fabula II, Tiberium notari, non Caligulam. Etenim ad Tiberium, post secessum in Capreas insulam, vitam degentem inertem atque desidiosam, et per Seianum insatiabilem explentem crudelitatem, cum parvum tigillum, tum hydrum non inepte accommodaveris; ad Caligulam non item (vide supra notata). At enim periculosum erat viventem imperatorem immiscere fabulis.—Imprudenter id fecit Phaedrus, fateor, at non fecit impune; etsi nesciamus quis deus ex machina eum, si vitae adiit discrimen, liberaverit. — Burmanno Phaedrus Tiberii aetate vixisse videbatur, quamvis quum provectae admodum aetatis has fabulas composuisse putaret, ut e libri III Epil. et lib. V fab. X appareat, quo tempore potissimum scripserit, definiri vix posse contenderet. (4) Etsi vero poëta, Epil. lib. III, 10 (alias lib. IV, fab. XXV, 10) scribit: *Vita morti propior est quotidie*; et mox: *Languentis aevi dum sunt aliquae re-*

(1) Burmannus in Praef. ad Vit. Phaedri ann. 1698 et 1718.

(2) Sic quoque visum Rigaltio et Fabricio.

(3) Calig. cap. XI; Per hydrum a Phaedro C. Caligulam notari, contendit etiam *Tristan, Hist. des Empereurs*, tom. II, p. 303, v. Fabricius loc. cit. tom II, pag. 26. Nec desunt qui Phaedrum *parvi tigilli* nomine Tiberium, nomine *hydri* Caligulam intellexisse censeant. Vid. Desbillon. Praef. Disp. I, pag. VII, coll. *Tristan*, l. c.

(4) Conferatur Burmannus in Praefatione cit.

liquiae; idem tamen addit v. 16, 17: *Olim senio debilem frustra adiuvare bonitas nitetur tua.* Ex quo recte potest colligi, Phaedrum tum, quum Epilogum lib. III litteris mandaret, neque senem fuisse, neque senio proximum. Itaque τὸ *languens aevum* v. 15 dicti Epil., non de senectute, sed vita Phaedri, a noxiorum insolentiis pressa (v. 31) et moerore confecta, intelligi posse videtur: de quo suo loco plura dicentur. Fac etiam lib. V, fab. X, de fabulis Phaedri, summa senectute compositis, esse capiendam; etsi alio quoque modo explicari possit: vix tamen poëta fabulas ad unam omnes aetate decrepita litteris consignasse existimandus est. Neque etiam e lib. III, fab. I, hoc tuto effici posse censet cl. *Iacobs* in disputatione de fabulatoribus latinis supra citata, pag. 33, ubi laudat Funccii apologiam pro Phaedro, pag. 36; etsi Phaedrum, aetate provectum, si non omnes fabulas, certe partem scripsisse putet.

Sub Claudio scripsisse, et sub Seiani nomine Narcissum perstringere, coniectura est Cannegieteri. (1) Non enim opportuniorem licentiae, quam sibi sumpsit Phaedrus, locum fuisse, quam sub imperatore Claudio, cuius stoliditate et patientia plures, in locis etiam publicis atque in foro, sint abusi re pariter ac verbis iniurii; (2) fabulam de tigillo rege, contumeliis inquinato, huic imperatori esse aptissimam; convenire etiam tempori huic libertinorum potentiam. Nam Eutychum, Particulonem, Philetum, quos amicos suos non inhonoratos laudet Phaedrus, libertinos arbitratur fuisse, id quod servilia nomina ei indicare videntur. At vero si Claudio imperante licentiae locus fuit, si in locis publicis atque in foro licuit iniurium esse, qui, quaeso, fieri potuit ut licentia, quam sibi sumpserat Phaedrus, vitio ei verteretur, isque magnum inde caperet detrimentum? Sed tamen Particulonem atque Philetum Claudii fuisse libertos, non magis negaverim, quam librum IV et V fabularum, hoc regnante, a Phaedro conscriptos fuisse.

Cel. Saxius, ut argumento tituli Prolog. III ad Eutychum, eumdem fortassis qui potentissimus Caligulae libertus fuit, teste

(1) Diss. cit. de Aetate et Stylo Aviani, p. 270 sq.

(2) Exempla dabit Suetonius in Claud. cap. XV.

Iosepho, (1) simul ut loco Senecae (2) quodammodo satisfaceret, medio Phaedrum Claudii principatus tempore posuit A. C. 48. (3) Seiano iam exstincto, nostrum fabulas suas opposuisse coniectura est Ioan. Fabricii. (4) Sunt denique qui poëtam, imperante Augusto vixisse, sed fabulas in quibus nomen Seiani legitur, demum sub Claudio iuris publici fecisse affirment. (5)

Si quis iis adsentiri velit quae supra disputavi, nixus argumentis non penitus contemnendis, nulla potest esse dubitatio Phaedrum iamiam vixisse regnante Octavio Augusto. Is enim eum vindicaverat in libertatem, et facit Phaedrus honorificam nominis eius mentionem. Aureae tamen aetatis scriptoribus poëta propterea non adnumerandus est; quum demum sub Tiberio artis poëticae laude florere et fabulas scribere coeperit. Mortuo enim Augusto, quum Tiberius anno imperii XII Roma excessisset, nunquam eam revisurus, et petiisset Capreas insulam, ubi in otio turpique inertia vivebat, de imperio parum sollicitus, edidit Phaedrus, post annum Christi XXVI, duos priores fabularum libros, in quibus, coniectura probabili, Tiberium, Seianum, aliosque Romanorum potentes notaverat. Quo quum in acerbissimum venisset odium, et conflictaretur cum fortuna adversa, cautior deinde factus, fabulas scriptas ad leniendum dolorem, iuris publici non fecit. Sic composuit, ut videtur, librum III, dedicavitque, ut ipse ait, honori et meritis Eutychi. Qui si idem est cum Eutycho opibus et gratia florente in aula Caligulae, (6) tertius fabularum liber ad huius imperatoris tempora referendus est; etsi Prologum et aliam atque aliam huius libri fabulam, exempli gratia lib. III, fab. II, Phaedrum, vivis adhuc Tiberio et Seiano, scripsisse non negaverim. Verumtamen poëta voluisse videtur ut praeter Eutychum a nullo alio legerentur fabulae, et demum post ipsius mortem in vulgus ederentur; quemadmodum

(1) Antiquitat. Iudaic. lib. XIX, cap. IV, pag. 942, Editionis Havercamp.

(2) Consol. ad Polyb. cap. XXVII, de quo loco vide infra Disputationem de *Phaedro antiquitatis scriptore*.

(3) Vid. Saxii Onomast. tom. I, pag. 244.

(4) In Hist. Biblioth. Fabrician. P. VI, pag. 349.

(5) Io. Pet. Müllerus in Praef. ad Edit. Phaedri Berol. 1753 in lucem emissam.

(6) Iosephus l. c. Christian *Wase* Libr. de Senario, p. 32; Fabricii B. L. tom. II, p. 24 et 26.

supra vidimus e Prol. lib. III, 29—32, praeeunte Desbillonio. Duos posteriores fabularum libros, quos dedicavit Phaedrus Particuloni et Phileto, fuisse sub Claudio scriptos, facile crediderim. Convenit enim huic tempori, ut ait Cannegieterus, libertorum potentia. Videntur autem cum Particulo, tum Philetus, cuius meminit lib. V, fab. X, 10, Claudii fuisse liberti. Namque apud Gruterum (1) occurrit *Tib. Claud. Philetus*, et alio loco (2) *Philetus libertus* in lapide Brixiensi; Veletris autem in pavimento ecclesiae cathedralis legitur *Tib. Cl. Philetus lib.* (3) Sed vix dubitandum libros memoratos nonnisi post Phaedri exitum lucem adspexisse. Accepta enim tanta e fabulis calamitate, an credibile est Phaedrum, tot aerumnas perpessum, de fabulis denuo edendis cogitavisse? imo vero, omni liberatus periculo, nihil prius habuerit, nihil antiquius quam ut in dulci consenesceret otio. (4)

Quando vita excesserit Phaedrus, non liquet. Qui vero etsi ad summam senectutem vixisse videtur, ut e nonnullis fabularum locis, in quibus senectutis suae mentionem facit, (5) non obscure colligi potest; ad Vespasiani tamen, aut Domitiani tempora in vivis fuisse, quod Pagenstecherus contendit, vix est credibile.

Naturam habuisse Phaedrum probitatis atque honestatis amantem, tot egregiae ostendunt sententiae quae in eius fabularum opusculo leguntur. Id ipsum probitatis animosque hominum a vitiis ad virtutem traducendi studium, non malus animus, eum ad scribendas fabulas excitasse videtur, quemadmodum e multis opusculi sui locis luculenter apparet. Sic scribit Prol. lib. II, 2, 3:

Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium.

Sed Prol. lib. I, 3, 4:

Duplex libelli dos est: quod risum movet,
Et quod prudenti vitam consilio monet.

Quibus adiungo locum Prol. III, 49, 50:

Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.

(1) Corpus Inscriptionum pag. DCLXXVII, 2.

(2) Lib. cit. pag. CCCLII, 4.

(3) Vid. Not. Gudii ad Phaedri lib. V, F. X, 10, coll. infra Not. ad l. c.

(4) Desbillonii Disp. de Vita Phaedri, p. XII.

(5) Huc maxime referunt viri docti lib. V, F. X.

Huc quoque referendum quod habet lib. II, v. 5 de ardelionum natione, multa agendo, nihil agente;

> Hanc emendare, si tamen possum, volo.

In quo tamen studio, mores hominum corrigendi, iusto audacior et parum cautus providusque fuisse, et urbem principesque nimio sale defricuisse putandus est. (1) Quae quum ita sint, equidem nolim contendere cum Scheffero, primam scribendarum fabularum caussam fuisse calamitatem in quam odio et persecutione Seiani inciderit Phaedrus, qui, quum ei non licuerit aperte ob adversarium potentem, occulte saltem et sub involucris fabularum fortunam exponere, depingendoque mores eius et flagitia, velut ultionem sumere de ipso, seque consolari sic susceperit. Ita enim intelligit locum Prol. lib. III, 34—40. Sed antecedentia docent, vero esse simillimum, Phaedrum demum, duobus prioribus fabularum libris in vulgus emissis, in odium venisse Seiani, auctoris calamitatis suae; adeoque primam fabularum conscribendarum caussam non fuisse calamitatem, imo vero homines emendandi desiderium. Ad quod accedebat laudis et gloriae cupiditas, illius maxime quae est ex litteris, et immortalitatis desiderium quo inflammatum fuisse poëtam, baud unus testatur fabularum locus. Namque Prol. lib. III, 60, 61:

> Ergo, *inquit*, hinc abesto, livor, ne frustra gemas,
> Quoniam mihi sollemnis debetur gloria.

Sic Epil. IV, 5, 6:

> Particulo, chartis nomen victurum meis,
> Latiois dum manebit pretium litteris.

Quae docent tam praeclare de se sensisse Phaedrum, ut et aliis famam nominis et immortalitatem dare posse scriptis suis crederet; (2) ut omittam loca, quae nostrum praedicari de se, et nominari a posteritate voluisse, manifesto probant. (3)

(1) Desbillonius l. c. p. XIII.

(2) Hoc nomine perstringitur Noster ab Adriano *Baillet*, *Jugements des Savants*, tom. IV, p. 148. Sed vide ad Epil. IV, 5, 6, et Exc. XVIII, ad Epil. Desbillonium in Disp. I, de Vita Phaedri p. XIV, qui non ita benigne spurcam aeque ac indoctam narrationem de Canum legatis ad Iovem, vel impudicam obscenitatem, culus vestigia in fabellis eius supersunt, excusari posse credit. Sed indulgendum genio saeculi, ut mihi quidem videtur.

(3) Vide e. c. Prol. III, 32.

FR. IOS. DESBILLONII
DISPVTATIONES.*

DE FABVLIS PHAEDRI.

Franciscus Pithoeus quum reperisset Phaedri Fabularum Libros quinque, manu antiqua scriptos; misit fratri suo Petro Pithoeo, qui primus eos anno 1596 in lucem edidit. Opus ab iniusta tot seculorum oblivione vindicatum plausu magno exceptum est; et nemo tunc dubitavit, quin illius esset, cuius nomen in fronte praeferebat. Circa idem tempus inter veteres aliquot Petri Danielis Codices, qui Paulo Petavio, Senatori Parisiensi, cesserant, chartula detecta est, quae Libri primi tertiam fere partem continebat. Hanc porro chartulam alii Petavianam, alii Schedas Regias, alii etiam Codicem Vossianum appellant: unde plerique Critici recentiores ita perturbati sunt, ut dubitaverint, annon huiuscemodi plures exstitissent. Sed unicam illam Petri Danielis fuisse rescivimus, quam quum ab isto Paulus Petavius habuisset, hoc deinde mortuo emit cum aliis eiusdem libris Regina Suecorum, atque utendam Gerardo-Ioanni Vossio permisit: ea demum post mortem Reginae delata est ad Bibliothecam Vaticanam, ubi hodieque servatur. Accessit quoque, nec ita multo post primam editionem, alterius vetusti Codicis, Remensis scilicet, Pithoeano quidem per omnia prope similis, (1) aliqua tamen diversitate commendandi auctoritas.

* Praetermisi primam Disputationem, quae est de Vita Phaedri; etenim sufficere videntur quae iam disputavit Schwabius. *T.*

(1) *Le manuscrit de M. Pithou était plus ancien, puisqu'il avait plusieurs pages déchirées, tandis que les lacunes n'étaient pas même indiquées dans le manuscrit de Reims, où la première partie d'une fable était suivie, sans aucun vide, de la seconde moitié d'une autre fable, précisément aux endroits où le manuscrit de M. Pithou était incomplet.* (Note de M. Adry.)

His autem priscarum aetatum testimoniis, variisque doctorum hominum suffragiis et editionibus et commentariis rite munitus Phaedrus ad annum seculi proxime superioris decimum nonum pervenerat; quum Petrus Scriverins, vir inter Criticos olim celebris, vocem in suis *Animadvers. ad Martialem*, lib. III, Epigr. 20, satis superbam, pro imperio, emisit; iussitque haberi vel insanos iudices, vel nugatores otiosos, qui adscriberent Auctori nostro fabulas, quae sub eius nomine circumferuntur. Hominem in hanc sententiam perpulerunt quum rationes variae, quas in aliud tempus differre se dixit, numquam autem protulit, tum ea potissimum, quam eruit ex Cornucopia, (1) sive ad Martialem Commentario Nicolai Perotti Archiepiscopi Sipuntini. Is enim ad Epigramma libri primi septuagesimum septimum, quod centesimum quintum est in Cornucopia, sic loquitur: *Allusit* (Martialis) *ad fabulam, quam nos ex Avieno* (2) *in fabellas nostras adolescentes iambico carmine transtulimus*: et hanc fabulam refert, quae ipsa Phaedri de arboribus in tutela Deorum fabula est Librii tertii decima septima: nisi quod ille ultimum versum omisit, tertiumque et quartum et octavum et nonum paulo aliter, ac Phaedrus composuit. His animadversis Scriverius fabellas, quae Phaedri esse creduntur, ab ipso plane abiudicavit; verumque Perotti fetum esse credidit: at quanto proclivius et viro sagaci dignius fuit putare, in manus Perotti venisse exemplar aliquod fabularum Phaedri, quas ille pro suis venditare voluisset?

In hoc quidem Perotti Commentario furtum eius manifestum deprehenditur. Sed anno huius seculi vigesimo septimo scribebat Iac. Phil. Dorvillius, se reperisse in Italia quemdam ipsius Codicem, in quem fabulas omnis generis Aesopias Phaedri et Avieni et suas, non uno carminis genere, contulisset. Quum autem ille in Praefatione dicat:

Non sunt hi mei, quos putas, versiculi,
Sed Aesopi sunt et Avieni et Phaedri;

(1) Quoddam est Latinitatis penus, sive Lexicon, quod quidem ille, quum Archiepiscopus interea creatus esset, vulgare erubuit propter foeditatem sordium, quae ibi explicantur: sed opus post Auctoris mortem, quae anno 1480 contigit, editum est in-folio Venetiis, Parisiis, Basileae, et alibi saepius.

(2) Inter fabulas Avieni haec non reperitur.
V. Phaedri Fabb. Bip. 1784. (B.)

iam non inter fures librarios recensendus est.

Quod vero crediderit Scriverius, fetum esse non Phaedri, sed Perotti, fabulam de Arboribus; illud nunc, reperto huius MS. Codice, ex istis quantumvis male figuratis versiculis facile possit refutari. Exstitit ergo ante Perotti aetatem, Phaedri exemplar, quo usus ille fuerit. Sed qui nostris hisce temporibus Scriverianam haeresim, iam diu obsoletam, arripuit Io. Frid. Christius, melioris notae Codices reposcit, Pithoeanumque ac Remensem sibi finxit esse non multo aetate Perotti vetustiores. Remensis Codex anno huius seculi LXXIV ineunte cum aliis compluribus libris incendio periit: at excerptae variae eius lectiones (1) passim occurrunt. Quod vero ad ipsius aetatem pertinet, asseverare possum annis plusquam quingentis fuisse aetate Perotti superiorem; legi enim et examinavi unam e Phaedri fabellis integram, ad exemplar illud Remense scalpro acuto fideliter expressam, quae Parisiis in Regia Bibliotheca servatur. Pithoeanum autem Codicem docuit nos *Gabriel Brotier* possideri nunc ab illustrissimo *Le Pelletier de Rosambo*, senatus Parisiensis Praeside, a quo utendum illum accepit: is porro, veteris scripturae iudex idoneus, Codicem hunc ante DCCCC annos fuisse scriptum, asserere non dubitat. (2)

Tam legitimas anctoritates qua ratione Christius defugere possit, non video. Sed has fabellas, quas nos sub Phaedri nomine venditamus, vix latinas esse, scatere saltem ineptis locutionibus contendit: quod et variis exemplis, at successu infelicissimo, conatus est ostendere. Ego vero ab eiusmodi adversario refutando esse mihi abstinendum eo libentius credidi, quod Io. Nic. Funccius, anno iam 1747, publicata pro Phaedro eiusque fabulis Apologia, hominem illum insanire, satis belle demonstraverit.

(1) *On trouve à la Bibliothèque du Roi un exemplaire du Phèdre de Brocas, 1743, sur lequel dom Vincent, bibliothécaire de Saint-Remi de Reims, a reporté les variantes du manuscrit de Reims. Rigault a écrit celles du manuscrit de M. Pithou, sur un exemplaire de la première édition, qui se trouve dans la bibliothèque de Sainte-Geneviève.* (Note de M. Adry.)

(2) *MM. Le Pelletier ont hérité en partie des savants Pithou, dont ils étaient parents par une Leschassier; et le manuscrit, actuellement unique de Phèdre, est encore aujourd'hui dans leur bibliothèque. On m'avait trompé en m'assurant qu'il en avait disparu il y a quelques années* (Note de M. Adry.)

Critici omnes periti fatentur, vel fateri debent, quasdam in his fabulis loquendi formas inveniri Phaedro nostro peculiares; et hinc nonnulli, eas aliquo deteriore seculo potuisse confingi, pessime, mea quidem sententia, suspicati sunt. Terentius enim et Horatius, ut alios omittam scriptores optimos, suum quisque stylum singularem exhibent; et ille est, quem Auctor noster, lib. V, Prol. v. 8, *proprium colorem* vocat. Immo singularis ista loquendi proprietas, quae locutiones quasdam, aliis Auctoribus vel minime vel raro usitatas, exhibeat, et quidem saepe recurrentes, scriptorem antiquum plane indicat: aliquot enim, quemadmodum Phaedri, sic et Horatii, Terentiique locutiones eiusmodi sunt, quas fere nusquam, nisi apud ipsos, reperias. At bonus quisque scriptor latinus recens, nihil simile obtulerit: aliquem enim, vel plures simul ex antiquis Auctoribus, tametsi non dedita opera, re tamen vera imitatus inter scribendum fuerit; et vix ullam coagmentandi voces connectendique rationem adhibuerit, quam scripto aliquo Veterum non modo comprobatam, sed etiam ex eodem expressam formatamque deprehendere non possis.

Nunc ut quaestionem hanc de Phaedri fabulis absolvam, easque non subdititias esse, clarius appareat; virum aliquem scientia Latinitatis probe instructum interrogabo, annon puro suavique stylo perscriptas existimet? Annuet sine dubio, et literatis hominibus, qui sic iudicarunt, innumeris ultro se adstipulatorem adiunget. Tum sciscitabor, has sermonis urbani festivitates, hanc styli simplicis iucunditatem potueritne aliquod ingenium aetate Latinitatis sive declivi, sive senili, seu decrepita natum producere? Negabit oppido, nisi sit aliquis, qualem hodie vix ullum esse puto, sectator Christii, qui Romulium (1)

(1) *Ceci n'est pas tout-à-fait exact. Les fables de Phèdre n'ont point été inconnues dans les siècles que nous appellons* siècles d'ignorance: *mais, comme dans les manuscrits on ne mettait aucune ponctuation, et que les mots n'étaient pas même séparés, on fit plusieurs copies des fables de Phèdre, sans se douter même que c'était des vers, et on fit plusieurs changements, comme on peut le voir dans les* Fabulae antiquae, *dans les* Fables de Romulius, *dans* Vincent de Beauvais, *etc., ouvrages qui ont été imprimés plusieurs fois, et dont on peut se servir utilement pour corriger quelques endroits obscurs de Phèdre: leur prose conserve encore* disiecti membra poetae. (Note de M. Adry.)

quemdam fabularum scriptorem supra id, quod dici potest, barbarum, Phaedro anteponebat: at fortasse suspicabitur existere post renatas in Italia Litteras aliquem potuisse, qui tale quidpiam efficeret; monebitque quosdam a Marco Antonio Mureto concinnatos inveniri versiculos, quos Iosephus Scaliger, Latinitatis antiquae iudex idoneus, quum esse huius fetum nesciret, Poëtae veteri Trabeae adscripserit: is enim ad Varronem *de Re Rustica*, lib. I, c. 2: *Producam,* inquit, *locum veteris Comici Trabeae, ex fabula Harpace, ubi hoc loquendi genus usurpatur, tum propter sententiae elegantiam, tum etiam quia nondum vulgo noti sunt:*

Here, si querelis, eiulatu, fletibus
Medicina fieret miseriis mortalium,
Auro parandae lacrumae contra forent:
Nunc haec ad minuenda mala non magis valent,
Quam naenia Praeficae ad excitandos mortuos.
Res turbidae consilium, non fletum expetunt.

Quis enim tam aversus a Musis, tamque humanitatis expers, ut horum publicatione offendatur?

Nihil equidem video in his versiculis, quod bonam antiquitatem non redoleat; at quum pauci admodum sint, eos tamen latine tamque scite factos esse, non tantopere decet admirari. Carolus autem Sigonius ubi Librum *de Consolatione*, a semet ipso elaboratum, Venetiis anno 1583, sine ulla praefatione, edidit sub nomine Marci Tullii Ciceronis, et verum huius fetum credi voluit, quid contigit? Statim Antonius Riccobonus, et Ianus Gulielmus reclamarunt; quumque imperitam viderent multitudinem capi ista novitate ac decipi, fraudem detexerunt, scriptisque suis, ille Bononiae 1583, alter Parisiis 1584, errorem proserpentem compescuerunt. In opere quippe longo styli recentioris colorem eruditis et sagacibus Criticis facile fuit animadvertere.

Semper quidem antiquos bonae Latinitatis auctores magno sum honore prosequutus; at eos non ita veneror, ut ab omni parte absolutissimos existimem, quasi supra sortem humanam ad gradum perfectionis ultimum sese extulissent. Explanatores Veterum omnia, quae ab ipsis prolata sunt, admirari obstinatos, si fuerint alioquin eruditi, non vitupero; sed eos certe non censeo

in hac re esse imitandos. Suis quisque eo nomine, quia homo est, vitiis urgetur. Audebo itaque virgam aliquando in Phaedrum quamdam censoriam exercere: at nihilo segnius ipsum ab iniquis obtrectantium accusationibus defendam: et hic denique monebo, vix ullum hodie Criticum inveniri, qui calumniis Scriverii, Scioppiique, et Christii indoctis non adversetur; aut qui Phaedrum generatim, si rite fabulas eius examinaverit, sermone usum fuisse puro, suavique, et aequabili, neminemque ab illa felici Terentii simplicitate propius abesse, non ultro cum Tanaquillo Fabro iudicet. (1)

(1) Not. ad Phaed., c. 1, sect. 2 et 3.

DE

FABVLARVM PHAEDRI

EDITIONIBVS.

Fabvlae Phaedri editae in lucem primum sunt, ut iam diximus, anno 1596, Augustobonae Tricassium, sive Trecis, in forma, quae vocatur, duodecima, typis Joannis Odotii: (1) volumen paginis omnino septuaginta continetur. Curavit hanc editionem Petrus Pithoeus, operique praefixit epistolam ad Franciscum fratrem, ubi haec de Phaedro memoratu digna: *Tibi, frater, vitam debet, quam, temporum iniuria paene sepulto, Exemplaris a te reperti beneficio restituere conatus sum.* Notationes nullas adiecit: monet tantum Codicem, quo usus est, esse vetustissimum; simulque indicem scripturae veteris, a qua recesserit, exhibet, at paulo minus fideliter, quam oportuit, ut intelleximus ex Rigaltio, Neveleto, et Anonymo quodam, (2) qui hanc ipsam scripturam postmodum examinarunt. Nonnulla etiam Pithoeus noster, quae sana erant, mutavit; et longe plura, evidenter corrupta, ne tentavit quidem emendare: sed ista plerumque tam absona tamque absurda sunt, ut quivis paulo peritior, profecta esse ab inscitia librariorum, statim intelligat, et facile quaedam ipse possit aliquando restituere.

(1) Editio haec rarissima est.

(2) *Je soupçonne ici une erreur du P. Desbillons. Rigault publia, d'après un manuscrit de Saint-Victor, quelques fables d'un ancieu poète, connu sous le nom de l'*Anonyme, *qui a mis en vers élégiaques plusieurs fables de Phèdre. Nevelet publia, en 1610, toutes les fables de cet Anonyme, qui ont été reimprimées depuis, et dont on peut retirer la même utilité que des* Fabulae antiquae. (Note de M. Adry.)

V. Phaedri Fabb. Bip. 1784. (B.)

Quae duobus post annis editio prodiit ex officina Plantiniana Raphelingii, nihil a Pithoeana differt; sed notis Rittershusii egregiis illustrata est. Hanc porro describere, quia rara est, operae pretium fuerit. Franc. Raphelingius, typographus doctissimus, quum vellet, ut ipse loquitur, donare lectorem *Enchiridio gemino philosophiae poeticae, theorico et practico*, ab hoc posteriore initium fecit, deditque Phaedri fabulas cum notis Cunr. Rittershusii et Gasp. Scioppii: quibus adiunxit Symposii poetae, vel potius Symposii nomine insignita Lucii Caecilii Firmiani Lactantii Aenigmata cum Scholiis Josephi Castalionis, et Auctarium quod fabellas Gabriae, seu verius Ignatii Diaconi, Apologum Hesiodi, Aenigmata graeca vetera cum interpretationibus latinis, item Apologos Horatianos et Aenigmata aliquot poetarum latinorum complectitur. Quae omnia prodierunt in-8° Lugd. Batavor. anno 1598. Pars autem dignitate prior eodem anno, sed aliquanto post alteram publicata est, ita tamen ut praecedere possit; nam titulum habet proprium et singularem; nulloque signo instructa est, quo quidquam praevium indicetur: ea porro continet Publii Syri sententias, et Dionysii Catonis Disticha, totidem graecis versibus, illas a Jos. Scaligero, haec a Planude reddita; etiamque ad ea Disticha notas eiusdem Scaligeri.

Partem istam non invenio in editione repetita ab eodem Typographo ibidem anno 1610, quae praeter cetera modo memorata exhibet Joannis Meursii animadversiones in Phaedrum, statimque ab initio epistolam eiusdem ad Rittershusium cum Rittershusii responsione. Hae porro Meursii animadversiones viro tam erudito prorsus indignae sunt: non tantum enim multa esse mutanda et interpolanda et addenda et abscindenda perperam opinatur; at versus etiam aliquot tam enormiter diffingi vult, ut iam non ipsa sive sensus, sive latinitatis, seu metri ratio constare possit. (1)

Sub finem anni 1599 absoluta est, et anno 1600, Parisiis

(1) *Le P. Desbillons se trompe; ce n'est point une nouvelle édition, ce sont quelques exemplaires de l'édition de 1598, auxquels on ajouta à la fin le travail de Meursius, et dont on changea le frontispice, où l'on mit la date de* 1610. (Note de M. Adry.)

in-12°, prodiit editio Nicol. Rigaltii: in qua recedere ille a Pithoeana noluit, nisi ut Pithoei Codicem, quem utendum habuit, fidelius in aliquot locis exprimeret: commentationes addidit, nonnunquam quidem vel ineptas, vel inutiles, at coniecturas intermiscuit quasdam et plausibiles et felices: atque non modo varias vetusti Codicis lectiones, quas Pithoeus praetermiserat, vel commemoravit in notis, vel indice ad calcem reiecto exhibuit, sed etiam Petri Danielis Chartulam, cuius fata supra explicui, cum vulgatis Libri primi fabulis multis contulit. Vsum in hac editione Rigaltium fuisse Codice Remensi, nondum reperto, Joan. Albert. Fabricius, Biblioth. Lat. Supplem. Edit. 1721, dicere non debuit. Virum ceteroqui diligentem errore impedivit epistola Rigaltii, quam ille ex hac prima editione desumptam, paucis tantum de Codice Remensi verbis additis, editioni suae secundae praefixit, et subscriptam, ut antea ad X Kal. Sept. 1599, oscitanter reliquit, quum annum 1617 notari oportuisset. (1)

Editio Rigaltii secunda, et fasciis marginum et literis capitalibus minio coloratis distincta, anno 1617 ex officina Rob. Stephani Parisiis in-4° prodiit: rara est, et quum se elegantia sua aspectabili commendet, in pretio satis magno est apud imperitos: at certe editione eiusdem prima longe est minus utilis: nam quod illa contextum operis a Pithoeano diversum non raro exhibet, id plerumque non tam diversitati Codicum, quam edentis libidini adscribendum est, qui quamvis saepe ab ipso suo manuscripto Codice Remensi diversus abierit, et nonnulla etiam Auctoris verba malo prorsus exemplo omiserit, nihil fere usquam super his disseruit, lectoremve commonuit. Tertiam editionem anno 1630 in-12° Parisiis apud Sebastianum *Cramoisy* emisit; in qua notas paulo uberiores, non multo utiliores, ex primis secundisque curis coagmentavit; at Phaedrum aliquanto etiam licentius, quam in praecedenti editione diffinxit.

(1) *M. de Thou venait de mourir le 8 mai 1617; Rigault ne pouvait donc lui adresser une lettre sous la date du 10 des calendes de septembre de la même année Il crut devoir conserver la première date de 1599; mais il aurait dû mettre entre deux parenthèses ce qu'il ajoutait dans la réimpression de cette lettre, touchant le manuscrit de Reims.* (Note de M. Adry.)

Le feu a détruit ce manuscrit. (B.)

At hic disquirenda mihi quaedam et explicanda sunt, quae Criticorum, nisi fallor, non respuet curiositas. Ab hominibus Societatis nostrae plurimis me saepe audire memini, atque etiam in Memoriis, quae vocantur, Trevultianis, ad annum 1708, pag. 785, id scripto consignatum est, Jacobum Sirmondum nostrum fabulas Phaedri primum in Lotharingia reperisse manuscriptas, donoque ipsas amico suo Petro Pithoeo dedisse. Haec me satis diu sollicitum tenuerunt. Vix enim, si res ita esset, fieri potuisse intelligebam, ut nihil de Sirmondo Pithoeus in Epistola editioni suae praefixa perhiberet. Sed quum editionem Rigaltii secundam recognoscerem diligentius, ac dispicere vellem, an praemissa Epistola ea ipsa omnino foret, quam ille anno 1599 scripserat; is statim ab initio meam de tota hac quaestione dubitationem sustulit. Ibi enim nuntiat, *Phaedri libellos ad fidem Pithoeani Codicis et alterius item vetustissimi, quem ex Remensi Bibliotheca doctissimi viri Jac. Sirmondi cura deprompsit, recognitos.*

Itaque Sirmondus, non in Lothariugia, sed forte quum e Lotharingia rediret variis Codicibus manuscriptis ditatus, hunc quoque Phaedri, non primum, sed alterum Codicem in Bibliotheca Remensi invenit, quem utendum, non Pithœo, sed Rigaltio obtulit. (1)

(1) *Le P. Brotier a copié aussi le* Journal de Trévoux; *mais il est certain que le P. Sirmond était à Rome lorsque la première édition de Phèdre parut, et M. Pithou lui en envoya un exemplaire, comme le dit le P. Vavasseur, pag.* 205 *de son ouvrage,* De Ludicra Dictione, *où on lit :* Memini equidem Iacobum Sirmondum narrare mihi solitum, quum Petrus Pithoeus hos Phaedri Aesopiarum Fabularum quinque libros Lutetiae (*il se trompait*) edidisset primum, et ad se Romam pro veteri amicitia muneri misisset; percussos illico Romanos novitate voluminis, atque ut gens est
. . . . emunctae naris,
Natura nunquam verba cui potuit dare,
suspicari coepisse numquidnam partus iste recens ac supposititius esset, qui tanto intervallo appareret, tamque delituisset diu: verum tamen libro perlecto toto, neminem dubitasse, quin aetatem redoleret Augusti ac summam illam facilitatem styli et scripturae, et beatam copiam repraesentaret; tuncque vixisse auctor, quum laus bene loquendi temporum potius, quam hominum fuit, etc.

M. Grosley s'est trompé dans les Éphémérides Troyennes *et dans la* Vie des Pithou, *lorsqu'il a prétendu que le manuscrit de Phèdre avait passé de la bibliothèque du collège de Troyes dans celle des Bénédictins de Reims. Dans les* Ephémérides de Reims, *de*

Tanaquillus Faber anno 1657 Phaedri fabulas una cum Pub. Syri Sententiis edidit Salmuri in-4 : malam quidem Rigaltii editionem tertiam sequutus est; at observationes adiecit, quae doctrinam plerumque iucundam simul et reconditiorem exhibent, quamquam ab ipso Phaedri opere illustrando aberrant saepius, et raro huic castigando inserviunt. Ibidem rursus prodiit, anno 1664, in-12, ista editio, at longe locupletior; namque Auctor et gallicam Lud. Isaaci *Le Maître de Sacy* (1) interpretationem, et animadversiones in eam gallico, latino autem in Jo. Schefferi editionem sermone scriptas adiunxit. Editio haec Schefferi prodierat Vpsaliae anno 1663 in-8 cum ipsius annotationibus et Franc. Guyeti notis, numquam antea vulgatis.

Schefferus, vir neque illiteratus, neque mediocri Latinitatis scientia praeditus, animo satis aequo accepisse Fabri reprehensionem videtur: huius enim et doctrinam extollit in editione sua altera, et observationes ipsas, quas exscribit fideliter, mirifice laudat, cunctisque longe anteponit quae huc usque prodierant: eas tamen magna cum libertate excutiendas a se et arguendas, ubi censurae locum dederint, praenuntiat: verum id homo mitis stylo plerumque potius imbelli, quam hostili, ad extremum praestitit. Ex coniecturis autem quas ad emendandum Phaedrum multas proponit, felices paucas invenimus. Atque etiam quum inter ipsum et Nic. Heinsium crebrae literae de Phaedri fabellis ultro citroque missae fuissent, hinc putavit Pet. Burmannus

1774, on observe très bien que le manuscrit de M. Pithou était différent de celui de Reims; mais on se trompe en disant que M. Pithou eut dans la suite connaissance de ce dernier manuscrit, d'après lequel on ajoute qu'il donna une seconde édition de Phèdre. Il fallait dire que Rigault est le premier qui en ait fait usage dans sa seconde édition. Pierre Pithou était mort deux mois après la première édition de Phèdre, qu'il lui fut même impossible de soigner. Dans le nouveau Dictionnaire historique *on dit, au contraire, que François Pithou tira les fables de Phèdre de la bibliothèque de Saint-Remis de Reims, et c'est une autre erreur.* (Note de M. Adry.)

(1) Cum isto Porturegiensi Interprete aemulati sunt, Robertus *Prevost* anno 1702 (V. Notit. liter. de Phaedro, p. 70. *B.*)), et Ioann. Claudius *Fabre*, Oratorii Iesu Sacerdos, anno 1728: sed de his, aliisque varias in linguas versionibus, ut et de quibusdam editionibus latinis, quas vel non expendi, vel expendere neglexi, quidquam disserere, ut brevitati consulam, supersedebo.

multa eum pro suis venditasse, quae Heinsius reperisset: at ille non modo in Praefatione, sed passim etiam in notis, plurimum se et Nic. Heinsii et Jo. Frid. Gronovii subsidio usum esse, ultro et candide significat.

Joannis Laurentii iurisconsulti labor, cui Phaedrus cum notis variorum, Amstelodami 1667, in-8 excusus debetur, neque imperitos multum adiuvat, neque eruditis placuit. Is enim ad nullas prope doctorum hominum, qui viam muniverant, observationes attendit, ut fabularum contextus emendatior prodiret; notasque praeterea, quae iam vulgatae fuerant, et quas integras nuntiat esse recudendas, aut male diminutas plerumque exhibet, aut imperite dispescit: suas quidem addidit ex Iuris prudentia petitas; at iis fere semper sine ullo suo damno carere Phaedrus potuit. Locum tamen inter Auctores, qui cum Variorum notis impressi sunt, editio ista satis insignem obtinet, si spectes ad pretium, quo solet a curiosis librorum amatoribus comparari. Figuras quidem in aes incisas complures continet; sed ab illis certe abest elegantia; inter ipsas autem duae vel tres obsceunae sunt; et haec forte causa est, cur opus inficetum anxie requiratur. Qui sapiunt, editionem Burmanni sive primam, sive secundam, notis itidem Variorum instructam, de quibus mox agetur, acquirere conantur, et istam negligunt.

Phaedrum interpretatione et notis illustratum Petrus Danetius in usum Serenissimi Delphini, Parisiis anno 1675, in-4, edidit. Hunc passim Hoogstratanus et Burmannus non modo exagitant, sed conviciis etiam proscindunt. Horum quidem censuram, quod atrox et contumeliosa sit, valde improbo: at fateri cogor, editionem omnem istam Danetii nostri vix aliqua mihi ex parte visam esse commendabilem. Ea longo post tempore, anno scilicet 1726, ibidem et itidem in-4 recusa est, atque etiam, si titulo creditur, emendata et notis aucta selectissimis; at in ista hominis incogniti lucubratione nihil fere animadvertere mihi licuit, nisi inscitiam veterem nova inscitia cumulatam.

Quum videret Petrus Axenius editiones Rigaltii duas priores esse inventu difficiles, notas eius ad hanc et ad illam adiectas denuo in lucem anno 1671, in-8, Hamburgi emisit; atque his exornari satis et illustrari Phaedrum ratus, nihil fere ex se con-

tulit, nisi quod librum dumtaxat primum observationibus, non ineruditis quidem, sed ad meram plerumque Philologiam spectantibus, explanare tentaverit.

Daniel Hartnaccius, Pomeranus, anno 1697, Rudolphistadii, sumptibus Joan. Wiedmeyeri, bibliopolae Lubecensis, edidit in-8 Phaedri libros V fabularum cum notis, ut ipse loquitur, historicis, ritualibus, moralibus et philologicis, spissum opus, octingentis et paulo amplius paginis comprehensum. Ex Auctoribus ille Graecis et Latinis, sacris et profanis, infinitas prope lacinias obtrudit, quibus Phaedrum multo saepius obruit, quam illustrat: gravissimi etiam ac frequentissimi errores typographici augent importunitatis huius molestiam: non frustra tamen omnis Hartnaccii nostri effusus est labor; quosdam enim adhuc inveniri Literatores puto, quos ista, quamvis paulum indigesta, doctrinae varietas vel adiuvet, vel etiam oblectet.

Phaedrus cum integris commentariis Marquardi Gudii, Conradi Rittershusii, Nicolai Rigaltii, Nicolai Heinsii, Joan. Schefferi, Joan. Lud. Praschii, et excerptis aliorum, anno 1698, Amstelodami in-8 prodiit curante Petro Burmanno, qui suas etiam observationes addidit. Hanc ille editionem recudi curavit Hagae Comitum anno 1718; fateturque pauca admodum accessisse nova; eaque levis esse momenti, nisi quod praeter quinque fabulas ex vetustis exemplaribus a Gudio erutas, alias viginti novem ex oratione soluta valde inficeta et barbara ad senariorum dignitatem a se restitutas pro auctario dederit. Sed appendix ista Gudiana, multoque magis Burmanniana vix ullam, quae Phaedro digna sit, mihi visa est fabulam continere.

Quod autem ad ipsam editionem pertinet, ab eruditis iudicibus multum illa, et merito, laudata est: praecipuos enim Phaedri commentatores simul collectos exhibet, notasque Heinsii et Gudii continet fideliter exscriptas, quae, si abfuisset opera Burmanni, numquam forte prodiissent. Monebo tamen, Heinsii notas plerasque viro tam sagaci tamque erudito esse indignas. Sed apud aequos ille iudices facile excusatur: nimirum inter legendum vel ad marginem adscribebat, vel coniiciebat properanter in adversaria sua quidquid in mentem venisset, neque literatis hominibus iniucundum aut inutile est rescire, quid recte, quid etiam prave

magna ingeuia quodammodo ebullierint. Gudii notae doctrinam passim recouditiorem offerunt: neque tamen, nisi paucis in locis, Auctori vel emendando vel illustrando multum inserviunt. De variis eius lectionibus placet unam alteramque hic expouere, simulque refutare, ne error ipsas approbantium propaget. 1° Lib. V, F. 5, v. 20: *Multis onerant laudibus*: ad haec ille: MSS. *Remensis et Pithoeanus*: ONERANT LANCIBUS: *quae sane est antiqua, sed hactenus a viris doctis non intellecta lectio.* Deinde probat eruditissime lances olim, industriae praemium histrionibus datas fuisse: sed hoc ut in istis ludis fieret, lances in theatrum afferre secum debuissent spectatores, quibus onerare Scurram, de quo hic agitur, potuissent: quod certe usu unquam venisse Romanis nemo, opinor, concesserit. 2° Lib. I, F. 5, v. 7:

Ego primam tollo, nominor quia leo:

doctis et laboriosis demonstrare conatur Gudius argumentis, pro *Leo*, reponendum esse *Creon*, ut syllaba vocis *quia* ultima, quam natura sua brevem esse vult, produci possit ob mutam et liquidam, quae in voce *Creon* hoc pacto subsequentur: et *nominor quia Creon*, idem esse ac *quia rex nominor*; et *Creon* et *Creusa*, pro *Rex* et *Regina*, recte dici posse contendit. At si Leo recte dici potest *Creon*, licebit ergo Aquilam quoque vocare *Creusam*: quod vereor profecto, qui serio dixerit, ut homo satis sanus existimandus sit.

Quum crederet Burmannus suam denuo operam reposci ab Auctore nostro, ut perpoliretur, et ab importuna quorundam Criticorum vexatione vindicaretur, ipsum diligentius, quam antea, emendare studuit, et commentario amplissimo communitum, Leidae in-4 anno 1727 edidit. Quamvis autem in hac editione paulo forte intemperantius effuderit, quidquid e variis Auctoribus excerptum, et in penu suo Literario reconditum, ad fabellas Phaedri suffulciendas aptum fore credidit; quamvis testimonia Veterum adducat multa, quae fere nihil apposite ad Auctoris vel explicandas locutiones obscuras, vel comprobandam Latinitatem, conferant; et longissimas etiam disputationes, quae parum ad rem aliquando pertineant, instituat, magnaque et infinita contentione persequatur; atque ita non unum locum, quem

vocaverat in controversiam, immensis doctrinae quasi substructionibus obruat et ad extremum relinquat minime explanatum: attamen, si rite expendantur omnia iusteque compensentur, non dubito, quin peritis aestimatoribus opus universum laude singulari dignum videatur. Ego certe Literatoribus, qui se in arte critica exercere amant, suadebo, ut Commentarium hunc Burmanni totum percurrant; magnamque ex eo utilitatem perceptum iri pollicebor.

Ipsum autem ad exantlandos extremos illos labores perpulerant, quum editio Phaedri a Richardo Bentleio concinnata, tum Francisci *Hare* epistola Londini in-4 anno 1726 publicata, qua notas ille ac emendationes Bentleii severissime expendit, offensus scilicet infensusque, quod accuratam a se Terentii editionem opposita Bentleius Auctoris eiusdem editione nova suggillasset. Vtrumque porro carpit Burmannus, alterum, quod parum comiter secum egerit in editione Phaedri; alterum autem, quod neque satis recte animadvertisse in Bentleium, neque de se satis honorifice sensisse videatur: ergo passim in isto novo Commentario et hic et ille pariter exagitantur. De Bentleii editione, quae anno 1726, in-4 Cantabrigiae prodiit, nihil disseram: at monebo, tres tantum in ea quatuorve fabellas inveniri, quas ille non interpolaverit.

Tribus annis post primam Burmanni editionem prodiit Phaedrus Amstelodami in-4 notis a Davide Hoogstratano illustratus in usum serenissimi principis Nassavii. Nobili grandium typorum elegantia commendat se haec editio; figurisque etiam in aes incisis, artificio sane plausibili, quam plurimis ornata est: atque ista duplici specie praefulgens curiosos homines in publicis auctionibus excitare solet, ut ipsam maiore, quam ceteras, pretio, si queant comparare, decertent: praeterea in menstruis eruditorum Parisiensium adversariis ad annum 1702, pagina 78, valde laudatur, asseriturque deesse nihil operi universo, quo minus placere aut prodesse debeat. At sententiam proferre cogor paulo diversam, et monebo, hanc quidem editionem abundare elegantia, saepe autem utilitate destitutam inveniri: etenim non modo multae occurrunt, in Phaedri fabulas admissae, emendationes variorum Criticorum aliquanto audaciores; sed illarum etiam auctores

raro nominantur; pariterque raro MSS. Codicum ac veterum editionum variae lectiones indicantur; quod tamen praestandum fore Praefatio ipsa polliceri videtur.

Sed ut in aliquem locum censura defigatur, valde dubito, an quisquam, praeter Gudium et Hoogstratanum, approbaverit, sitve unquam approbaturus lectionem, quam hic ab illo acceptam intrusit in libri secundi fabulam quintam, ubi, v. 22, *alapae*, pro *alacer*, quod MSS. Codices et editiones omnes habent, reposuit, et edidit:

Donationis, alapae certe, gaudio:

ut significetur, servum de quo hic agitur, donationis alicuius, aut saltem alapae gaudio sive spe excitatum fuisse. Nam si vera esset ista emendatio, parum prudenter scripsisse Phaedrus videretur, quippe qui alapam, quo nomine manumissio ibi intelligi debet, minus donatione aliqua esse famulis exoptandam declaravisset.

Phaedrum denuo Amstelodami, in-12, anno 1701, cum notis iam aliqua parte auctioribus, neque tamen magis quam ante utilibus, Hoogstratanus edidit, et in hac tandem editione, permotus auctoritate Gudii, et Broukusii approbatione confirmatus, hanc lectionem, Lib. I, F. 5, v. 7, tanquam genuinam, excudi iussit:

Ego primam tollo, nominor quia Creon:

de qua quid sentiendum esse arbitremur, supra diximus.

Prodierat ibidem, in-12 paulo maiore, Phaedrus, anno 1703, cum notis perpetuis Io Frid. Gronovii, et emendationibus Iac. Gronovii, simulque adiectis Nic. Dispontini collectaneis. Nitide, eleganter, et accuratissime opus universum excusum est: at si collectanea Dispontini, sive criticum in omnes Auctoris fabulas indicem exceperit, pauca inveniet, quae laudare possit Lector eruditus. Index eiusmodi a Io. Freinshemio concinnatus, anno 1664 Argentorati in 8° iam publicatus fuerat; sed utilior perfectiorque videtur Dispontini labor; atque sua eum laude fraudare non debet praefatio longissima, qua Petri Danetii notas in Phaedrum expendit ac singillatim exsugillat homo furiosus, studio sane odioso perinde ac inutili.

Frid. Gronovii notae viro tam docto non sunt dignae; neque causa profecto satis magna exstitit, cur pro illis vindicandis Iac. Gronovius in Gudium tantopere debaccharetur: ipsum enim dicit suo Patri suffuratum fuisse quidquid boni ad illustrandum Phaedrum compilaverit, et nusquam indicavisse, per quem profecerit. Hinc prorsus *amentem illum, et possessum ab furia fuisse* clamitat in suis emendationibus, p. 159: quae quidem emendationes non multo magis utiles mihi visae sunt, quam contumeliae, quibus adversarium inquinare conatur.

Partes Gudii defendendas suscepit Ioan. Christophorus Wolfius, Phaedroque anno 1709 in-8° Flensburgi edito, memoriam Gudianam, calumniis contaminatam, vindicare aggressus est. Hanc editionem videre mihi nunquam contigit; eamque praetermisissem silentio, nisi aliunde didicissem, Phaedri fabulas in ipso titulo nuntiari *una auctiores*; eamque non esse Phedri, sed Ioannis Commirii nostri fabulam; quam quidem Phaedro potuisse ab homine sano et vigilante adscribi, neutiquam profecto credibile est. Ibi enim graphice, quamvis per allegoriam, Batavos poeta pingit a Ludovico XIV debellatos. Titulus autem talis est: *Appendix ad fabulas Phaedri, ex Bibliotheca Leidensi; Sol et Ranae;* Parisiis, apud Franciscum *Muguet*, 1672. Et ad calcem adiectum est, *Iuxta exemplar editum Amstelodami ad insigne Iosue.* Nimirum apud Historicos horum temporum complures memoratur Iosue Van Beuningen Batavorum legatus e Gallia redux, curavisse percutiendum numisma, in quo exculptus ipse stans coram Sole fuisset, addita hac sententia: *In conspectu meo stetit Sol.* Sed Ludovicus *Aubery du Maurier* in suis commentariis, pagina 70, editionis Parisiensis anno 1688, falsa haec esse contendit: cuius opinionem Franc. Maria *Arouet de Voltaire* longo post tempore amplexus est: neuter vero niti argumentis satis idoneis mihi videtur: asseritur, non inveniri hoc numisma; sed inde probatur tantum accuratissime fuisse suppressum, quemadmodum alia quaedam eiusdem modi numismata, quae circa idem tempus a Batavis cusa sunt, nec amplius inveniuntur.

Phaedrum Ioan. Georg. Walchius anno 1713, Lipsiae in-12 cum suis emendationibus et commentariis edidit, adiunxitque

Symposii Aenigmata, Gabriae Fabulas, Antonini Liberalis Metamorphoses, ac Seneca Publiique Syri sententias. Curam ille praecipuam commentariis ad Minellii modum concinnandis adhibuit. Hoc lucubrationis genus nimis severe Burmannus damnat praefat. 1719 et 1727; vocatque Minelliorum, Iunckerorum et Walchiornm peeriles notas; atque hinc etiam puerorum ingeniis calamitatem inferri, messemque surgentem intercipi existimat. Nos operam huiuscemodi valde utilem fore opinamur, si locutiones Auctorum nullae explicatu difficiles subterfugerentur, nec tam saepe vana obtruderetur interpretatio, ubi plana et aperta sunt omnia. Dissertationem etiam de Romano ac speciatim de Phaedri stylo Walchius praemisit, quae pauca satis prudenter satisve acute disputata continere videtur. (1)

Nitide ac eleganter, anno 1742, Phaedrus una cum Avieno Publioque Syro prodiit Parisiis in-12 apnd *Coustelier*, curante Io. Baptista *Le Mascrier*, qui parum scite, parumque diligenter omnia dispensavit, et providere vel neglexit vel non potuit, ne mendis sive propriis, sive typographicis, nec pancis, Litteratores offenderet.

Typis quoque nitidis et elegantibus Auctor noster impressus est cum variis appendicibus in-12 ibidem apud *Barbou*, anno 1747, curante Steph. Andrea *Philippe*. (2) Inveniuntur in hac editione variae lectiones, quae ex Codice manuscripto *Par.* excerptae fuisse dicuntur: qui sit vero iste codex *Par.* divinandum relinquitur: pronnm quidem erat existimare cum *Parisiensem*: at huiuscemodi nullus tunc Parisiis extabat. Quae me quum anxium tenerent, demnm in Burmanni ultimam,

(1) *En 1732, Jean de Serres, prêtre de l'Oratoire de France, et administrateur de l'hôpital de Saint-Louis des Français, à Madrid, publia dans cette ville une traduction espagnole des fables de Phèdre, avec le texte latin et des notes, in-12 de 255 pages. Aucun catalogue ne fait mention de cette traduction, dont j'ai un exemplaire.* (Note de M. Adry.)

(2) *Il est vrai que quelques exemplaires portent au frontispice: Barbou, 1754 (et non 1747); cependant l'édition fut donnée par Grangé en 1747, pour l'Avienus; et 1748, pour le* Phèdre. *Telle est, du moins, la date des frontispices; cependant tout l'ouvrage était achevé d'imprimer en 1747. Le* Phèdre, *dont le frontispice fut imprimé le dernier, fut antidaté.* (Note de M. Adry.)

anni 1727, editionem incidi; cuius praefatio lectiones continet has ipsas omnes, quarum originem reperire avebam: at descriptae illae sunt ex hoc Nicolai Perotti codice, de quo in disputatione secunda nostra locuti sumus. Si quis obiiciat, voluisse forte novae huius editionis architectum indicare Codicem Perotti, et scripsisse *Per*, quod in *Par* mutaverit Typographus, non multum repugnabo; quamquam verisimile non est, errare semper tamque saepe in eadem voce Typographum potuisse. In hac porro editione et inveniuntur aliquot versus subdititii, et alii plures, qui Phaedri sunt, excluduntur, ac denique passim ab editionibus probatissimis receditur. Monet etiam, praefat. pag. 14, Gabriel *Brotier*, usum esse Stephanum *Philippe* adnotationibus Sanadonis nostri ineditis; miraturque quod nusquam ab ipso nominatus fuerit, per quem se profecisse crederet. Sed laborem ille fortasse in hanc editionem illaudabilem tenuissimum contulit: memini enim, quum Iosephus *Valart* mihi olim Parisiis diceret, se procurando omni operi ordinandoque praefuisse.

Maioribus, quam antea, copiis instructus Halae tandem Phaedrus anno 1779 ad amplitudinem duorum voluminum in-8° pervenit. Editionem hanc Io. Gottl. Sam. *Schwabe*, scholae Buttstadiensis Rector, accuravit: fabulas ad ultimam configuravit Petri Burmanni recensionem, easque et vitam ipsam Auctoris a Io. Scheffero concinnatam selectis illustravit variorum notis perpetuis, quibus observationes suas intermiscuit. Opus, ut mihi videtur, laboriosum et utile; de quo tamen certum iudicium ferre non possum, quum in meas manus primum tantummodo volumen venerit, quo vita Phaedri, prioresque fabularum libri duo continentur. (1)

(1) *L'ouvrage a trois volumes, le premier de 208 pages; le second de 314, le troisième de 254, non comprises les pièces liminaires des trois volumes, et les* addenda *et* emendanda, *qu'on trouve dans le troisième; M. Schwabe en prépare actuellement une nouvelle édition, où il corrigera sans doute plusieurs inexactitudes qui se trouvent dans la préface de la première note de M. Adry. (Cette édition a paru à Brunswich, en 1806, 2 vol. in 8. C'est celle que nous réimprimons. J'ai tâché de rectifier plusieurs inexactitudes qui se trouvent encore dans la nouvelle préface.* (B.))

Laudavi iam, et saepius in meis notis laudabo industriam Gabrielis *Brotier* in editione elegantissima, quam in-12 Parisiis anno 1783 publicavit, docte ac solerter collocatam; parallelas praecellentissimi Fontanae fabellas, aliaque variarum aetatum non incouvenientia monumenta adiecit, quae fastidiosi etiam Lectoris curiositatem excitare possint. Vtendum habuit ab illustrissimo *Le Pelletier de Rosanbo*, Senatus Parisiensis Praeside, Pithoeanum Codicem, simulque varias lectiones excerptas e Codice Remensi, antequam incendio ille periisset: atque prudens et omni prava emendandi libidine solutus verba Phaedri, qualia ibi exhibentur, retinere studuit, quantum tamen sana ratio bonique Critici officium permittunt.

Anno denique 1784 Biponti prodiit in-8° Phaedrus, cum P. Syri sententiis, Avianique et Anonymi veteris fabulis. Nullae omnino his omnibus notationes vel explanationes subiiciuntur. Docet nos tantum sive Typographus, sive editionis dispositor, rogatum esse G. C. Crollium, ut quasdam Phaedri fabulas notis illustrare vellet; sed hoc ipsi rebus aliis occupato non licuisse: monemur tamen, loca quaedam, ipso emendante, aliter exhiberi, ac in editionibus aliis omnibus leguntur. Lib. I, F. XXI, v. 9, pro *frontem exterit*, vel *extudit*, repositum est *frontem excutit*. Quod mihi satis placet, nisi quod paulo significantius videtur verbum *excutit*; hic enim idem esset, ac *eruit* vel *avellit*. Lib. II, F. VII, v. 8, *Mulum lancinant*. Hanc lectionem olim excogitaveram; non tamen ausus sum admittere, quia si ductus literarum consideretur, non magis accedit ad *trucidant*, quod habent MSS. Codices, quam *sauciant*, quod pleraeque editiones receperunt. Inter alia, quae quoddam Litteratorum genus iuvare possint, indicem editionum Phaedri plenissimum libenter commemorabo: monebo tamen, non debuisse his editionibus annumerari Apologos Phaedrios, Iac. Regnerii, anno 1643, non in-8°, sed in-12 Divione editos, in quibus videlicet nihil omnino invenitur, quod ad fabulas Phaedri pertineat: at simul errorem hunc facillime excusabo, quippe qui communis est, et iam ab annis circiter quadraginta in omnibus, quos vidi, editionum Phaedri indicibus pervulgatus. (1)

(1) *Par* Apologi Phaedrii, *Regnier entend*: Fables dans le genre de celles

Restat ut rationem breviter exponam, qua meam hanc Phaedri editionem accuraverim. Ante omnia diligentiam et laborem in eo posui, ut cognitionem exemplarium Pithoeani et Remensis haberem certissimam: quod cum per solas editiones Pithoei, Rigaltiive minus fideles, quam oportuit, praestare non possem, peropportune Bibliotheca nostri olim Collegii Parisiensis suppeditavit missam Remis ad Franc. Vavassorem epistolam, quae lectiones varias complures et fabulas aliquot integras, fideliter exscriptas, contineret: quam quidem scripturae varietatem diligenter contuli cum variis lectionibus, ex eodem Codice Remensi a Rigaltio Gudioque excerptis; deinde varias lectiones e Pithoeano Codice non solum ab ipso Pithoeo, sed etiam a Neveleto, demumque e Chartula Petri Danielis a Rigaltio collectas discussi et invicem commissas examinavi.

Fretus his subsidiis opus Phaedri universum, si non ex toto in pristinam integritatem restituere, saltem ab audaci interpolantium temeritate permultis in locis vindicare satis feliciter me posse credidi. Quod ut exsequerer, nunquam fere a lectionibus veterum Codicum, nisi ubi error librariorum manifestus deprehenderetur, mihi esse recedendum censui: atque tunc etiam ut mutationes, quae factae fuissent, quivis dijudicare posset, scripturam veterem, quantumvis absurdam, plerumque subieci.

Notas breves, easque minime perpetuas adiicere primum statueram; quod et fuisse praestitum in priore Libro facile animadverti potest: et postea, quum refugeret animus tam multa a me olim labore magno praeparata negligere, tenebrisque devovere sempiternis, observationes paulo uberiores, multoque frequentiores excerpsi, et ab interitu ad lucem vitamque vindicare studui: eas autem ita construere sum conatus ac disponere, ut aliae Criticis, aliae Litteratoribus, nonnullae etiam tironibus placere possint: ibi enim de variis MSS. Codicum lectionibus et eruditorum coniecturis disseritur; ibi latinitas Phaedri non modo defenditur, si quando in suspicionem vocata sit, sed passim etiam exemplis Auctorum adductis confirmatur; ibi locu-

de Phèdre, *et on s'y est trompé. On trouve la vie de ce fabuliste dans un des volumes du* Magasin Encyclopédique. (Note de M. Adry.)

Voy. le Magas. Encycl. T. LXI, p. 25. (B.)

tiones eiusdem paulo difficiliores explanantur, quarum nonnullas vel imperiti male erant interpretati, vel doctiores reliquerant prorsus intactas; ibi denique mores ac ritus antiquorum varii exponuntur; doctrinaeque etiam reconditioris interdum arcana revelantur.

Nunc vero, quum hominis Christiani dignitas, qua gloriamur, postulare videretur, ut abscinderemus ab editione nostra quidquid obscenum foret, non aegre obtemperavimus; et sine tergiversatione, quid in hanc rem patratum a nobis fuerit, declarabimus. Libri primi fabula XXIX, versus septimum et octavum ejecimus, aliosque duos in eorum locum substituimus, sed Italicis, quae vocantur, litteris excudi voluimus, ut illos esse subdititios Critici statim intelligerent: tertiam deinde et undecimam tertii Libri fabulam, librique quarti decimam quartam, ac duos istos versus, qui ex decima tertia supersunt, plane omisimus. Aliam praeterea longiorem de Canum Legatis ad Iovem quae Libri quarti decima septima est, repudiare primum decreveram, quod faetida sit et valde inficeta; at quum pudicitiae legibus non adversetur, retinendam illam postmodum iudicavi: aures tamen delicatas obtestor, ut ne id mihi probro vertant, at potius mecum iocos istos miseros tollerando contemnere audeant.

Io. Henr. Vrsinus, vir doctus, anno iam 1657, Ratisbonae in-8° Phaedrum expurgatum cum notis ediderat: quod aegre ferens Io. Schefferus, praefat. ad edit. 2, optimos Auctores pervenisse ad nos hoc pacto laceros atque deformes obiecit. Ego equidem fateor illud aliquoties ita contigisse ob religiosam librariorum verecundiam: at qui sunt, qui turpia monumenta vel penitus intercidisse dolent, vel mutilata fuisse conqueruntur? Litteratores nempe honestati fere nihil consulentes, et quidquid effudit Auctorum veterum effrenata scribendi libertas, aut recognoscere discupientes, aut inscite et eo tantum nomine, quia vetus est, admirantes. Sua tamen illa misera sollicitudine macerare se desinant. Olim quidem ad providendum, ne monumenta huiuscemodi aliquid detrimenti caperent, excitare non inhoneste poterat librorum manu exaratorum paucitas: nunc vero illud idem extimescere stultum est, quum editiones

Auctorum maxime impudicorum innumerabiles per latus nobis perque caput undique saliant ac pervolitent. Viros Georg. Walchius, dissert. ad Phaedr. p. 91, et sanctiores, et prudentiores vocat, qui versus Phaedri minus caste conscriptos, atque aetati teneriori damnosos resecarunt: at ipse cavit, ne vir sanctior prudentiorque haberetur, satisque se defendere sibi visus est, si nolle se denique editionem suam mutilare declararet. Nos vero, ingenue fatemur, nostram hanc mutilavimus: neque mitiora verba ad elevandum facinus putamus esse nobis usurpanda: monebimus tantum, tres fabellas, quas expunximus, esse artificio et elegantia tam ieiune instructas, ut ipsis res litteraria carere sine damno posse videatur. At forsan ipse quoque Phaedrus carere facile poterat versibus, quos ad fabulam Libri quarti decimam tertiam imperfectam, de Leone regnante, ausus sum adiungere. At indicium de ipsis ferendum reliqui peritis lectoribus: atque hos certe si dignos Phaedro credidissem, aliquot notationibus illustrare non dubitassem: destitutos autem et formis impressos diversis exposui, ut non esse genuinos extemplo notesceret, et qui recentia negligunt, solaque vetera legere amant, istos possent commodius praetermittere. Spero tamen plerisque Criticis visum iri satis plausibiles duos versus, quibus Libri quinti fabulam primam de Menandro et Demetrio mancam, suaque morali sententia carentem, auxi atque complevi.

DISSERTATIO

DE

EO QVOD PVLCHRVM EST

IN PHAEDRO.

SCRIPSIT I. G. S. SCHWABE.

Quod multis accidit, qui et prisco et recentiori aevo fabulas componerent Aesopias, ut fabulae bonae, elegantes et ex omni parte perfectae mixtae essent vel mediocribus et parum laudandis, vel malis et reprehensione dignis; idem Phaedro constat accidisse, subtiliter docente Iacobsio, V. C., in *Observationibus aesthetico-criticis*, quas supra laudavi. At vero quum vir doctus in enumerandis et excutiendis fabularum Phaedri virtutibus non ubique locorum singula persecutus sit, dissertationem brevem de *eo quod pulchrum est in Phaedro* olim praepositam Parti III Phaedri, nunc vero emendatius et passim auctius editam, hoc loco subiungere placuit.

In numero virtutum, conspicuarum in Phaedri fabulis, primo loco habenda est *brevitas*. Duplex autem est brevitas, altera verborum, altera rerum. Vtramque, si recte ea utamur, in numerum virtutum referendam esse, quis est, qui dubitare possit? In verbis breves erimus, si nihil ponamus, quo omisso res aeque possint intelligi. Quae quidem brevitas potissimum cernitur omissione eorum, quae consuetudo loquentium omittere solet, inaniumque epithetorum et tautologiae, nec non ambiguorum fuga, (1) ut taceam de aliis. Exemplum huius brevitatis notabile habes in fabula lib. IV, XIX, 12 sqq. cui addendum aliud, lib.

(1) V. Ernesti. Rhet. p. m. 205.

III, VII, 17—27. Fac enim, poëtam istis in locis ubique repetiisse verba *dixit, inquit, respondit,* peribit omnis narrationis elegantia. Deinde toto in Phaedro non reperies tautologiam; non loca, in quibus poëta, more aliorum scriptorum, data opera copiosior ad delectandum esse voluisse putandus sit; (1) non epitheta inania, aut plane otiosa, (2) immo vero plurima cum delectu esse posita, nec raro vim et elegantiam iis inesse intelliges. Itaque vere Gellertus: (3) « Phaedrus in epitheto deligendo incomparabilis est, quod splendorem in omnem fabulam tamquam lumen radios in totam diaetam diffundit. » Exemplo possunt esse: *gressus delicatus et languidus;* (4) *filia formosa et oculis venans viros;* (5) *dulcis caritas;* (6) *delicati, venusti hortuli;* (7) *nivea fascia;* (8) *vanae minae;* (9) *frivola insolentia;* (10) *frena spumantia;* (11) *iratus impetus;* (12) *cornea domus,* de testudine; (13) *setosa sus;* (14) *ignavus sanguis,* (15) de asino; *sancta religio,* (16) de sepulcro; *generosus impetus,* de apro (17) et huius generis alia multa. Alterum brevitatis genus est rerum, quod tribus maxime rebus tenetur: primum, si initium capiemus, unde necesse est, non ab ultimo incipiemus; deinde, si non longius progrediemur, quam necessitas postulat, quae necessitas aestimatur consilio narrandi; tertio, si delectum servabimus partium, quibus res constat: cuius haec ratio est, ut, quae sua sponte intelligi, vel per se, vel ex eo, quod dictum est, aut dicetur post, facile possint, aut nihil prosint ad consilium narrandi, omittamus. (18) Quibus praeceptis quum Phaedrus in

(1) Sunt, qui Phaedrum L. III, F. VI, 6, 7, unam eamdemque rem duplici ratione expressisse statuant; at hunc locum alio modo explicandum esse, docere possunt Notae ad hunc locum.

(2) Secus videtur Iortino in *Tracts philological and critical*, Vol. II, p. 297, proferenti exempla in contrarium, ut Prol. II, 4, L. II, F. IV, 5, sed vid. Not. ad locc. citt.

(3) De Poesi Apologorum p. 32 seq.

(4) L. V, F, I, 13.

(5) Libr. IV, Fab. V, 4.

(6) L. III, F. VIII, 13.

(7) L. IV, F. V, 26, 34.

(8) L. V, F. VII, 36.

(9) L. III, F. VI, 11.

(10) L. III, F. VI, 8.

(11) L. III, F. VI, 7.

(12) L. III, F. II, 14.

(13) L. II, F. VI, 5.

(14) L. II, F. IV, 12.

(15) L. I, F. XXIX, 11.

(16) L. I, F. XXVII, 6.

(17) L. I, F. XXIX, 9.

(18) *Ernesti* Rhet. p. 91.

narrando sit obsecutus, eum brevem esse recte dicemus. Quum e. c. lib. V, fab. X canis aurem suis arripuisset, sed quia dentes cariosi erant, dimisisset praedam; Phaedrus venatorem obiurgasse canem scribit; quibus verbis hac in re fuerit usus, brevitatis studio captus non addit. Sed e sequentibus facili negotio potest intelligi, venatorem pristinas canis virtutes et officia sibi praestita laudibus extulisse, eumdemque canem vituperasse, quod in praesentia suo deesset officio. Poterat auctor fabulae in tali re admodum verbosus esse, sed ait: *venator dolens canem obiurgabat*, nihil amplius. Contra respondet canis vs. 9, *quod fuimus laudasti*: quibus e verbis patet, venatorem antea fortia canis facta commemorasse. In elegantissima fabula, quae inscribitur: *Muli et Latrones*, canit Phaedrus: (1)

Subito latrones ex insidiis advolant,
Interque caedem ferro mulum trusitant.

Fusius canere poterat auctor praelium, muliones inter ac latrones commissum; sed quia hoc nihil ad consilium narrandi prodesse videbatur, ei sufficiebat, verbo huius rei facere mentionem, *inter caedem*; descriptio enim praelii alieno loco fuisset posita. Quum porro navis vexaretur saevis tempestatibus, hoc Phaedrus dicit factum esse *inter vectorum lacrimas et mortis metum*. (2) Quam fuse, quam eleganter, etiam quam graphice haec ab alio poëta, brevitatis minus studioso, amplificari poterant et exornari! Phaedro sufficit, haec paucis, sed efficacibus exprimere verbis. Noster tamen passim nimia brevitate perspicuitati nocuisse censendus est, ut lib. III, I, 7; lib. V, X, 10, qui quidem versus, ne dicam de aliis, paullo sunt obscuriores et dubiae interpretationis, quemadmodum suo loco notavi. (3)

(1) Libr. II, Fab. VII, 8 sq.

(2) L. IV, F. XVI, 4.

(3) Hisce non inutile visum est addere, quae Sulzerus de utraque brevitatis forma litteris consignavit in *Allg. Theorie der S. K.* sub *Kürze. Nan muss die Kürze der Gedanken von der Kürze des Ausdrucks unterscheiden. Jene besteht in dem Reichthum der Begriffe; diese kömm von einer klungen Sparsamkeit der Wörter und der Redensarten her. So rief Cäsar dem Brutus, den er unter seinem Mördern erblickte, zu:* Auch du, mein Sohn! *Der Gedanke musste viel Vorstellungen bey dem Brutus erwecken. Hier liegt die Kürze in den Gedanken. Eben diese Kürze der Gedanken treffen wir in der Anmerkung an, die beym Terenz jemand über einen Jüngling macht, dem seine Vergehungen vorgehalten werden*: erubuit, salva

Venio nunc ad *proprietatem*, in Phaedro magno laudandam opere. Duae autem proprietatis exstant formae: est enim vel grammatica, vel rhetorica. In grammatica etsi nulla virtus est ad elegantiam, multum tamen faciet ad linguae Latinae usum, si proprias verborum significationes bene calleamus. Quarum ingentem sane copiam e Phaedri fabulis disci posse, attentos lectores non fugit. Sic *persona*, (1) *perorare*, (2) *familia*, (3) *vexare*, (4) *trivium*, (5) *convicium* (6) proprio suo sensu leguntur, ut praetermittam alia. Sed proprietas rhetorica esse dicitur in verbis iis, quae proprie ac sollemniter de aliqua re usurpavit consuetudo optimae aetatis. Huc e. g. referendae locutiones, *sedit simius* (7) de iudice; *procurare ostentum*; (8) *opus approbavit*; (9) *pertinere*; (10) huc referenda tot verba iuris propria et solemnia; item voces singulae, ut *ictus* de morsu aprorum; (11) *praeda* de eo, quod venatione capitur; (12) *corripere* de serpentibus; (13) *excitare* in re venatoria; (14) *feliciter*; (15) *in commune*; (16) quae proprie ac sollemniter ab antiquis usurpantur: de quibus omnibus et huius generis aliis suo loco disputavi uberius.

Iam vero verbis Phaedrus suaviter commutat orationem, ut eamdem rem aliis saepe vocabulis et phrasibus enuntiet: unde oritur *varietas*, index copiae, et magnopere delectans lectores. (17) Etsi autem istam varietatem ubique locorum notavi, placet tamen alia atque alia exempla in medium proferre. Inter

res est; *er wird roht, alles ist gewonnen. Der Gedanke ist natürlich, und gar nicht zusammengepresst, aber er enthält sehr viel. Die Kürze liegt bloss im Ausdruck, wann weder die Begriffe reich an Inhalt, noch die Wendung der Gedanken vortheilhaft ist, sondern bloss die wenigsten Worte zum Ausdruck gewählt werden.—Bey jeder Art von Kürze — muss man sich der Klarheit befleissigen.* Adde Iacobsii Observatt. in Phaedr. sub fin.

(1) L. I, F. VII.
(2) L. I, F. X, 7.
(3) L. II, F. VIII, 26.
(4) L. IV, F. XVI, 3.
(5) L. I, F. XXVII, 11.
(6) L. III, F. XVI, 3.
(7) L. I, F. X, 6.
(8) L. III, F. III, 16.
(9) L. IV, F. XXIV, 11.
(10) L. III, F. III, 7.
(11) L. I, F. XXI, 6.
(12) L. I, F. V, 11.
(13) L. I, F. II, 25.
(14) L. II, F. VIII, 1.
(15) L. V, F. I, 4.
(16) L. V, F. VI, 3.
(17) Ernesti Rhet. p. 186.

alias multas memorandae locutiones: *Rugosam inflavit pellem — intendit cutem maiori nisu — dum vult validius inflare sese*; (1) *avertere, expiare, procurare* ostentum; (2) *rogavit, preces admovit, flagitare validius* coepit. (3) Mira varietate fabulator pullos appellat *catulos*, *fetum*, *progeniem*, *natos*, *tenerum gregem*, *porcellos*, *prolem*; (4) os *devoratum* (5) dixit mox *malum*, Inprimis delectatur, more aliorum poetarum, iucunda in appellandis animalibus varietate. Sic lupum nominat *latronem*; (6) ranam, *stagni incolam*; (7) ovem, *bidentem*; (8) agnum, *lanigerum*; (9) asinum, *auritulum*, (10) *naturae dedecus*; (11) equum, *sonipedem*; (12) canem, *latrantem*; (13) hircum, *barbatum*; (14) ciconiam, *peregrinam volucrem*; (15) leonem, *regem*; (16) cicadam, *garrulam*: (17) quibus in omnibus, praeter varietatem, observanda quoque elegantia et ornatus. Neque etiam omittere licet loquendi formulas: *hoc illis dictum est*; (18) *hoc pertinere ad illos vere dixerim*; (19) *hoc argumento se describi sentiat*; (20) *hoc scriptum est tibi*; (21) *hoc illis narro*; (22) *hoc in se dictum debent illi agnoscere*. (23)

Inter praecipuas Phaedri fabularum virtutes quoque referenda est *simplicitas*. Cum simplicitate Phaedrus denique coniungit *elegantiam*, cuius haud una est facies. Sive enim spectes inventionem fabularum et argumenti delectum, (24) sive sententiarum praestantiam, (25) sive modum narrandi naturalem, perspicuum,

(1) L. I, F. XXIV, 4, 6, 9.
(2) L. III, F. III, 8, 11, 16.
(3) L. I, F. XIX, 3, 6, 8.
(4) L. II, F. IV.
(5) L. I, F. VIII, 4, 6.
(6) Lib. I, F. I, vers. 4.
(7) L. I, F. VI, 6.
(8) L. I, F. XVII, 8.
(9) L. I, F. I, 6.
(10) L. I, F. XI, 6.
(11) L. I, F. XXI, 11.
(12) L. IV, F. IV, 3.
(13) L. V, F. X, 7.
(14) L. IV, F. IX, 10.
(15) L. I, F. XXVI, 11.
(16) L. IV, F. XIII, v. 4.
(17) L. III, F. XVI, 9.
(18) L. I, F. VII.
(19) L. I, F. XIV, 17.
(20) L. IV, F. VIII, 2.
(21) L. IV, F. XXII, 3.
(22) L. III, F. XII, 8.
(23) L. I, F. XXII, 10.
(24) Hoc nomine laudandae L. I, F. III; L. I, F. XXVIII; L. I, F. XV; L. II, F. VII; L. III, F. XIII al. At non paucae displicent, ut L. I, F. XVIII; L. III, F. III; L. III, F. XI; L. IV: F. XVII, aliae, quas perstrinxit cl. *Iacobs* l. c.
(25) Libr. I, F. XXII; Lib. V, F. X, etc.

iucundum, affabilem, maxime in dialogis;(1) sive pulchras descriptiones, (2) sive positum verborum ac numerum, sive singulorum verborum et locutionum Latinitatem: Phaedri fabulae, si non omnes, certe magnam partem, recte dicentur elegantes. Neque tamen omnes dici possunt fabulae, proprie sic dictae, ad praecepta, quae tradere solent bonarum artium magistri, compositae, ut lib. II, fab. V; lib. III, fab. X; lib. IV, fabb. V, VII, X, XXI; lib. V, fabb. V, VII, VIII, quas puto esse ex parte historias veras. Non habebat enim Phaedrus veram atque subtilem de natura et indole fabulae notionem; cui sufficiebat, si narratio risum moveret, si vitam moneret prudenti consilio, si denique error corrigeretur mortalium, sive esset fabula ficta, sive vera historia. Verum tamen in hisce narrationibus reperies multa, quae placeant quaeque delectent; quum primum sint perspicuae, deinde breves et tamen plenae et absolutae, postremo aliqua suavitate teneant vel audientes, vel legentes; (3) maxime vero quum spirent reconditam antiquitatis et historiae illorum temporum scientiam, et inserviant probandae Phaedri γνησιότητι.

Non pauca latinitatis ingenuae, cum in singulis vocibus, tum in ipsa vocum iunctura observandae, in Phaedro habes exempla. Ita latine pariter ac eleganter noster usurpat particulas, in quibus non raro inest mirifica quaedam vis atque ornatus. Memorandae, praeter alias, particulae *tamen*, (4) *ita*, pro ea lege, conditione, (5) *quin etiam*, (6) *vel*, (7) *enimvero*, (8) *nempe*, (9) *quamvis* pro *etiamsi*, (10) et *valde*, (11) *quando*, (12) etc. Quis etiam possit dubitare, sequentes loquendi formulas latinas esse, et Tiberii, quid quod Augusti saeculo non indignas? *quem tenebat*

(1) L. III, F. VII; L. IV, F. XIX; L. IV, F. XXIII. Cf. *Iacobs* Obser-vatt. sub fin.

(2) In descriptionibus Phaedrus neque nimis frequens, neque longus, naturae vero semper fidelis est. Quam pulchrae sunt descriptiones Menandri poetae (L. I, F. V, 12 sqq.) ardelionum, L. II, F. V; avari, L. IV, F. XIX, 16 sqq.; heri, bovile visitantis, L. II, F. VIII. Tales amoenitates nescit Aesopus. Cf. *Gellert* loc. cit.

(3) Haec omnibus bonae notae narrationibus communia sunt. V. Ernesti Rhet. p. 91.

(4) L. II, F. V, 5.

(5) Prol. II, 12.

(6) L. V. F. I. 7

(7) L. V, F. III, 10.

(8) L. II, F. V, 21.

(9) L. II, F. II, 2.

(10) L. III, F. II, 5.

(11) L. V, F. III, 13.

(12) L. III, F. IV, 6.

ore demisit cibum; (1) *et quod fastidit quisque pulmentarium*; (2) *hi quum cepissent cervum vasti corporis*; (3) *rupto iacuit corpore*; (4) *proculcatas obteret duro pede*; (5) *quae debetur pars tuae modestiae, audacter tolle*; (6) *quem convocata iubet occidi familia*; (7) *ante hos sex menses*; (8) *invenit ubi accenderct.* (9) Neque etiam h. l. praetereundum est, quod pronomina possessiva postponat et illis claudat periodum; (10) quod pronomina unius commatis sine alterius vocis interventu eleganter iungat; (11) quod orationem a casibus obliquis non sine ornatu ordiatur; (12) quod imperativum addita prohibendi particula mutet commode in infinitivum, et negandi particulam in verbum imperativum; (13) quod adiectivum eleganter mutet in substantivum. (14) Est quoque elegantia in verbis et locutionibus, quae pertinent ad rationem poeticam, ut lib. III, fab. XVIII, 7, 8; lib. III, fab. VI, 6, 7; lib. IV, II, 27, etc., quibus adde quae supra de iucunda in appellandis animalibus varietate notata sunt.

Stylus Phaedri, quem non pauci Terentiano similem esse statuunt, est multis locis tenuis, saepius mediocris, non raro etiam assurgit, maxime in prologis et epilogis; est naturalis et, si a paucis discesseris, purus, perspicuus. brevis; (15) ita ut passim intexantur periodi, (16) passim, fusim atque membratim procedat oratio. Alienus est Phaedrus ab omni nitore fucato, et omni troporum ac figurarum splendore magnifico. Si quid pingendum est, paucis verbis, saepe uno, pingit, ut, *gulae credens colli*

(1) L. I, F. IV, 6.
(2) L. III, F. VII, 23.
(3) L. I, F. V, 5.
(4) L. I, F. XXIV, 10.
(5) L. I, F. XXX, 10.
(6) L. II, F. I, 8.
(7) L. II, F. VIII, 26.
(8) L. I, F. I, 10.
(9) L. III, F. XIX, 4.
(10) L. I, F. X, 7; L. I, F. XII, 4; L. I, F. XIX, 9.
(11) L. I, F. X, vers. 5.
(12) L. I, F. IX, 1; L. I, F. XI, 1.
(13) L. II, F. III, 4; L. I, F. XXII, 8.
(14) L. I, F. VIII, 8; L. I, F. XIII, 6.
(15) Crusius Anglus Vit. Poet. Rom. T. I, sub *Phaedr.* Phaedrum stylum laconicum sale attico condivisse dicit, quem statuit consistere in rectis, elegantibus perspicuisque elocutionis conversionibus, ut solent loqui ingenui et liberales homines.
(16) L. I, F. III, 12—16; Epilog. II, 15—19; Prolog. III, Fab. XVII, 23.

longitudinem;(1) *forte una tacite profert caput;*(2) *auritulus subito clamorem tollit*, (3) et alibi.

Restat, ut pauca adiiciamus de singularibus Phaedri. Delectatur autem noster mirifice abstracto loco concreti, ut: *sola improbitas abstulit totam praedam;* (4) *documentum habere stulta credulitas potest;* (5) *tuta est hominum tenuitas;* (6) *verum decepta aviditas;* (7) *spes fefellit impudentem audaciam*, (8) etc. Deinde rarioribus utitur vocabulis, ut verbis *tricari*, (9) si tamen lectio vera; *mulcare;* (10) *trusitare,* (11) aliis; usurpat denique singulares easdemque rariores locutiones, e. g.: *totam vitam miscet dolor et gaudium;* (12) *iugum flagello temperat lento meum;* (13) *fatale exitium corde durato feram;* (14) si haec non sunt interpolata; *consilium* tacito corde *damnavi;* (15) *arripuit insolentem sibi fiduciam;*(16) *hosti dolorem damno miscens sanguinis.*(17) Plura dabunt notae nostrae.

Agmen claudat iudicium Gellerti, de Phaedro eiusque fabulis. (18) «Phaedrum, inquit, non semper duce Aesopo, sed et suo Marte rem aggressum esse, satis patet libro V, ubi iam pridem reddidisse ait, quicquid debuerit Aesopo, et Aesopi nomen, ubi interposuerit, auctoritatis gratia id fecisse confitetur. Vnde plus quam coniectura nitimur, si librum V, ceteris liberiorem et IV maximam partem Phaedro, tamquam auctori materiae, adscribimus. Primus est, qui artem intulit in fabulas; imo magis forsan arte et studio, quam ingenio factus est mythologus, quod contra fuit in Aesopo. Retinuit huius brevitatem, et eius indolem in suam quasi transfudit imitando. Videtur quidem primo intuitu sine ornamento prodire, sed artem modo celat, eamque potissimum ponit in naturali dicendi genere. In tractando argumento

(1) Lib. I, Fabul. VIII, 8.
(2) L. I, F. II, 17.
(3) L. I, F. XI, 5, 7.
(4) L. I, F. V, 11.
(5) L. II, F. IV, 26.
(6) L. II, F. VII, 13.
(7) L. I, F. IV, 5.
(8) L. III, F. V, 9.
(9) Libr. III, Fab. VI, 9.
(10) L. I, F. III, 9.
(11) L. II, F. VII, 8.
(12) L. IV, F. XVI, 10.
(13) L. III, F. VI, 6.
(14) Epil. II, 18.
(15) Prol. IV, 3.
(16) L. V, F. VII, 3.
(17) L. I, F. XXVIII, 10.
(18) De Poesi Apolog. pag. 32 seq.

utitur negligentia eleganti et admirabili prorsus, atque succi plenus ubique Aesopi siccitatem felicissime depellit. — Praeterea magis gravis et fluidus est, quam laetus et iocosus. Gloriae cupidissimus fuit, ut ex multis fabellarum locis apparet, neque male in illum quadrant verba Ciceronis, quibus nullum ait se vidisse poetam, qui sibi non optimus videretur. (1)

Quem si leges, laetabor; sin autem minus,
Habebunt certe, quo se oblectent posteri. (2)

Sordidam avaritiam quam vehementer abhorruerit, vel sola avari effigies, lib. IV, fab. XIX, data, testatur, qua nihil potest esse elegantius. Et ipse confitetur, se curam habendi penitus corde erasisse. (3) Ornatus itaque litterarum graecarum scientia, subacto ingenio, delicato sapore, gloriae et recti moris amore, ferme omnia et poetae et fabulatoris propria tenuit. Optandum esset, ut quo tramite ire coeperat fabula, duce Phaedro, perrexisset sequenti tempore. »

(1) Tusc. Quaest. L. V. cap. 22,
(2) Phaedr. Prol. III, 31 seq.
(3) Prol. III, 21.

INDEX LOCORVM,

IN QVIBVS RECESSIT EDITOR A TEXTV BVRMANNI.

Lectio Burmanni.	*Lectio ab Editore recepta.*
L. I, F. II.	L. I, F. II.
Vs. 16. iaceret...................	Vs. 16. lateret.
L. I, F. IV.	L. I, F. IV.
Vs. 6. demisit..................	Vs. 6. dimisit.
L. I, F. VI	L. I, F. VI.
Vs. 3. solem velle...............	Vs. 3. sol quum vellet
L. I, F. VIII.	L. I, F. VIII.
Vs. 12. postulas.................	Vs. 12. postules.
L. I, F. XIII.	L. I, F. XIII.
Vs. 2. serae poenitentiae, ...	Vs. 2. sera poenitentia
Vs. 10. amisit................	Vs. 10. emisit
L. I, F. XIV.	L. I, F. XIV.
Vs. 9. Hoc bibere.............	Vs. 9. Combibere
Vs. 17. pertinere ad illos vere.....	Vs. 17. pertinere vere ad illos
L. I, F. XVI	L. I, F. XVI.
Vs. 1, 2. Fraudator nomen quum locat, sponsu improbo, Non rem expedire, sed mala videre expetit.*	Vs. 1, 2. Fraudator hominem quum vocat sponsum improbum Non rem expedire, sed malum dare expetit.
Vs. 4. doli..................	Vs. 4. dolum
L. I, F. XVII.	L. I, F. XVII.
Vs. 3. commodasse............	Vs. 3. commendasse
Vs. 5. deberi................	Vs. 5. debere
L. I, F. XVIII.	L. I, F. XVIII.
Vs. 5. onus maturum..........	Vs. 5. onus naturae
L. I, F. XIX.	L. I, F. XIX.
Vs. 7. firmiores posset catulos......	Vs. 7. firmiores catulos posset
L. I, F. XXI.	L. I, F. XXI.
Vs. 9. exterit................	Vs. 9. extudit
L. I, F. XXII.	L. I, F. XXII.
Vs. 2. quaeso parce inquit mihi.....	Vs. 2. parce quaeso inquit mihi
L. I, F. XXIII.	L. I, F. XXIII.
Vs. 2. rerum..................	Vs. 2. verum
Vs. 4. posset	Vs. 4. possit
Vs. 5. heus si inquit............	Vs. 5. heus inquit

Lectio Burmanni.	*Lectio ab Editore recepta.*
L. I, F. XXV.	L. I, F. XXV.
Vs. 6—8. Sic Crocodilus: quam libet Iambe otio, Accede, pota leniter, et noli dolos, Inquit, vereri, etc.	Vs. 6—8. Sic Crocodilus: quam libet Iambe otio, Noli vereri, etc.
L. I, F. XXVI.	L. I, F. XXVI
Vs. 3. Vulpes ad coenam.	Vs. 3. Ad coenam vulpis
Vs. 9. ipsa, torquet.	Vs. 9. ipsa et torquet
Vs. 10. Frustra collum lamberet . . .	Vs. 10. collum frustra lamberet
L. I, F. XXVIII.	L. I, F. XXVIII.
Vs. 8. Vulpes ab ara.	Vs. 8. Ab ara vulpis
L. I, F. XXIX.	L. I, F. XXIX.
Vs. 7. si similem.	Vs. 7. similem si
L. I, F. XXXI.	L. I, F. XXXI.
Vs. 8. quam me creatis icto regem foedere	Vs. 8. quam regem me creatis icto foedere
Vs. 13. De reliquiis tunc.	Vs. 13. Tunc de reliquiis.
. . . .	. . . .
L. II, Prol.	L. II, Prol.
Vs. 5. narranti iocus	Vs. 5. narrantis iocus
Vs. 12. ipsa brevitas gratiam.	Vs. 12. Illam brevitas gratiam
L. II, F. V.	L. II, F. V.
Vs. 10. prospicit Tuscum mare	Vs. 10. despicit Tuscum mare
L. II, F. VI.	L. II. F. VI.
Vs. 13. facili.	Vs. 13. facile
L. II, F. VII.	L. II, F. VII.
Vs. 4. eminens	Vs. 4. eminet
Vs. 5. iactans.	Vs. 5. iactat
L. II, F. VIII.	L. II, F. VIII.
Vs. 15. bobus	Vs. 15. bubus
Vs. 25. alta est conspicatus.	Vs. 25. alta conspicatur
L. II Epil.	L. II, Epil.
Vs. 1. Aesopo ingentem	Vs. 1. Aesopi Ingenio
Vs. 15. sin autem: ac illis doctus occurret labor	Vs. 15. sin autem doctus illis occurrit labor
. . . .	. . . .
L. III, Prol.	L. III, Prol.
Vs. 4. inquit.	Vs. 4. inquis.
Vs. 22. Et laude invita	Vs. 22. Et laude multa
Vs. 38. Ego porro illius semitam feci viam	Vs. 38. Ego illius pro semita feci viam.
L. III, F. II.	L. III, F. II.
Vs. 17. petierint	Vs. 17. petierit
Vs. 18. qui panem dederint	Vs. 18. quis panem dederit,
Vs. 19. laeserant	Vs. 19. laeserunt.

Lectio Burmanni.	*Lectio ab Editore recepta.*
L. III, F. V.	L. III, F. V.
Vs. 10. comprehensus	Vs. 10. comprensus.
L. III, F. VI.	L. III, F. VI.
Vs. 3. Vide, dolone ne collum pungam tibi	Vs. 3. Vide, ne dolone collum compungam tibi
Vs. 9. Namque ubi strigandum est, et ubi currendum, scio	Vs. 9. Namque, ubi tricandum, et ubi currendum sit, scio.
L. III, F. VII.	L. III, F. VII.
Vs. 3. dein salutant invicem	Vs. 3. salutantes dein invicem
Vs. 16. canis	Vs. 16. cani
L. III, F. VIII.	L. III, F. VIII.
Vs. 3. insigni et pulchra facie filium.	Vs. 3. insignem pulchra facie filium
L. III, F. X.	L. III, F. X.
Vs. 7. Sed fabulosam ne vetustatem elevent	Vs. 7. sed fabulosa ne vetustate elevem
Vs. 11. a liberto suo	Vs. 11. a liberto est suo
Vs. 26. Ad lectum accedit	Vs. 26. Ad lectum vadit
Vs. 47. damnanda	Vs. 47. delata
L. III, F. XII.	L. III, F. XII.
Vs. 1. sterculino.	Vs. 1. sterquilino
Vs. 4. Te si quis.	Vs. 4. Hoc si quis
Vs. 5. maximum	Vs. 5. pristinum
Vs. 6. Ego qui te inveni? potior cui multo est cibus?	Vs. 6. Ego qui te inveni, potior cui multo est cibus,
L. III. F. XIII.	L. III, F. XIII.
Vs. 13. sustulit	Vs. 13. protulit.
L. III, F. XVI.	L. III, F. XVI.
Vs. 12. Apollinem	Vs. 12. Apollinis
Vs. 18. Trepidantem	Vs. 18. Crepitantem
L. III, F. XVIII.	L. III, F. XVIII.
Vs. 13. vocibus	Vs. 13. dotibus
Epilogus	Epilogus
Vs. 14. cœpero	Vs. 14. cepero
Vs. 18. Quum iam desierit esse beneficium utile	Vs. 18. Quum iam desierit esse beneficio utilis
Vs. 24 sq. Tuae prius sunt partes, aliorum dein: Similique gyro v. a. v.	Vs. 24 sq. Tuae sunt partes, fuerunt aliorum prius; Dein simili gyro v. a. v.
L. IV, Prol. (apud Burm. L. V, Prol.)	L. IV, Prol.
Vs. 1. operis habere terminum. . . .	Vs. 1. terminum operi statuere
Vs. 4. talis etiam est tituli *artifex* . .	Vs. 4. talis etiam tituli est *appetens*
Vs. 12. quasi paucas ostenderit. . . .	Vs. 12. paucas ostendit ille.
Vs. 14. quarum libellum dum vacive perleges	Vs. 14. quartum libellum nunc vacive perleges

Lectio Burmanni	*Lectio ab Editore recepta.*
L. IV, F. I.	L. IV, F. I.
(apud Burm. L. III, F. XX.)	
Vs. 4. circum quaestus ducere	Vs. 4. circum in quaestus ducere
L. IV, Prol. (apud Burm.)	L. IV, F. I.
Vs. 1: *et sane levi.*	Vs. 12. et sane leve
L. IV, F. I. (apud Burm.)	L. IV, F. II.
Vs. 15. Alter similiter, deinde periit tertius	Vs. 26. Alter similiter periit, deinde et tertius.
L. IV, F. IV. (apud Burm.)	L. IV, F. V.
Vs. 5. At alteram lanificam, frugi, et r.	Vs. 5. At alteram lanificam et frugi, rusticam
Vs. 15. fuerat	Vs. 15. fuerit
Vs. 41. vinum petat	Vs. 41 vinum paret
L. IV, F. VI. (apud Burm)	L. IV, F. VII.
Vs. 25. si qui stulti nauseaut	Vs. 25. qui stultitia nauseant
L. IV, F. VIII. (ap. Burm.)	L. IV, F. IX.
Vs. 2. Effugium reperire.	Vs. 2. Reperire effugium
L. IV, F. XVI.	L. IV, F. XVI.
Vs. 5. subito mutato die	Vs. 5. subito ut mutatur dies
L. IV, F. XVII.	L. IV, F. XVII.
Vs. 3. Vt sese abriperet	Vs. 3. Vt sese eriperet
Vs. 21. adeunt	Vs. 21. abeunt
Vs. 28. Non est legatos regis non dimittere	Vs. 28. Legatos non est regis non dimittere
Vs. 30. Sed hoc feretis	Vs. 30. Non veto dimitti
Vs. 31. Nun veto dimitti.	Vs. 31. Ne ventrem
V. 32. Ne ventrem	Vs. 32. Et hoc feretis
Vs. 36. Novumqua venire	Vs. 36. Novum venire
L. IV, F. XIX.	L. IV, F. XIX.
Vs. 3. ultimam	Vs. 3. intimam
Vs. 25 funeris.	Vs. 25. funeri
Vs. 26. lucrum	Vs. 26. lucri
L. IV, F. XXI.	L. IV, F. XXI.
Vs. 7. venire.	Vs. 7. radire
Vs. 15. perierunt.	Vs. 15. perierant
Vs. 25. obvius.	Vs. 25. obvios
Vs. 26 seq..... Dixi, inquit, mea Mecum esse cuncta?....	Vs. 26 sq. Dixi, inquit, mea Mecum esse cuncta;....
L. IV, F. XXIII.	L. IV, F. XXIII.
Vs. 5. Moror inter aras, templa, perlustro omnia	Vs. 5. Moror inter aras, templa perlustro omnia
Vs. 12—17. Reges commemoras	Vs. 12—17. Aras frequentas
Ego granum	Reges commemoras
Te circa murum	Super etiam iactas
Aras frequentas.	Nihil laboras

Lectio Burmanni.	*Lectio ab Editore recepta.*
Nihil laboras	Ego granum
Superba iactas	Te circa murum
L. IV. F. XXIV.	L. IV, F. XXIV.
Vs. 13. Quarum sunt laudis duae. . .	Vs. 13. Q. s. laudes duae
Vs. 22. Repente duo quum	Vs. 22. Duo quum repente
L. V, F. I.	L. V, F. I.
Vs. 1. Phalereus qui dictus est	Vs. 1. qui dictus est Phalereus
L. V, F. II.	L. V, F. II.
. . . .	Vs. 1, 2. Duo quum incidissent in Latronem milites, Vnus profugit, alter autem restitit,
Vs. 11. scin quod	Vs. 11. scio quam
L. V, F. III.	L. V, F. III.
Vs. 11. Hoc argumentum veniam mage dari docet,	Vs. 11. Hoc argumentum veniam ei dari docet.
Vs. 12. quam qui consilio est nocens	Vs. 12. nam qui consilio est nocens
Vs. 13. quavis poena dignum.	Vs. 13. quamvis dignum poena
L. V, F. IV.	L. V, F. IV.
Vs. 8. vitavi lucrum.	Vs. 8. reputavi lucrum
L. V, F. V.	L. V, F. V.
Vs. 4. Facturus ludos quidam dives nobiles	Vs. 4. Facturos ludos dives quidam et nobilis
L. V, F. VII.	L. V, F. VII.
Vs. 16. quidam nobiles	Vs. 16. quidam nobilis
Vs. 17. Et incipiebat Princeps ingredier. Eum	Vs. 17. Et incipiebat ingredi Princeps. Eum
Vs. 25 sq. Chorus reducto tunc et notum canticum Imposuit	Vs. 25 seq. Tunc Chorus ignotum et modo reducto canticum Imposuit
Vs. 28. iactant basia.	Vs. 28. iactat basia
L. V, F. X.	L. V, F. X.
Vs. 9. Quod fuimus laudas, iam damnas, quod non sumus	Vs. 9. Quod fuimus laudasti, iam damnas, quod sumus.

PHAEDRI FABVLARVM

INSCRIPTIONES.

Prior numerus librum, alter fabulsm notat.

PHAEDRI

AVGVSTI LIBERTI

FABVLARVM AESOPIARVM

LIBRI QVINQVE.

PHAEDRI
AVGVSTI LIBERTI
FABVLARVM AESOPIARVM
LIBER PRIMVS.

PROLOGVS.

Aesopus auctor quam materiam reperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est : quod risum movet,
Et quod prudentis vitam consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit,

1. *reperit*. Apte; usurpatur enim hoc verbum de primis rerum inventoribus.

2. *polivi*, elegantiori cultu exornavi. Intelligenda haec de cultu externo. Phaedrus autem voluit dicere: fabulas, quas primum reperit, seu excogitavit ingenio Aesopus, versibus senariis politiores et ornatiores reddidi. In posterioribus tamen libris Phaedrus Aesopum non raro ita secutus est, ut eum tantummodo haberet tamquam exemplar in arte fabulandi.

3. *dos*, translate, idem quod fructus, ornamentum, virtus. *Dos oris* pro eloquentia dixit Ovid. Met. V, 562.

4. *vitam* capit Burmann. pro ipsis hominibus, vitam degentibus, quo sensu haec vox tempore Phaedri fuit usitata, id quod multis firmat exemplis. Sic Martial. lib. VIII, Ep. 3: *agnoscat mores vita legatque suos*. Sensus igitur est : consilium dat hominibus recte prudenterque vivendi.

4. Orell. *prudenti*.

5. *Calumniari*, immerito et maligne vituperare, in malam partem interpretari, *chicaniren*. Sic Tacit. Hist. III, 75, *id unum calumniatus est rumor*. Alii explicant, irridere, cavillari. Male Phaedrum hisce versibus caussam dicere adversus nasutos vituperatores, acute vidit cl. *Iacobs* in Observatt. in Phaedri fabulas, quas lege,

Quod arbores loquantur, non tantum ferae,
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

FABVLA I.

LVPVS ET AGNVS.

Ad rivum eumdem Lupus et Agnus venerant,
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longeque inferior Agnus. Tunc fauce improba
Latro incitatus, iurgii causam intulit.
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi

6. *arbores*. Quasdam Phaedri fabulas intercidisse, in quibus arbores loquuntur, iam olim conlecerunt Rigaltius et Heinsius, quod deinde probavit Gudius, qui in MSS. Divion. reperit eiusmodi Phaedri fabulam, ab ipso numeris suis restitutam. Inscripta est: *Homo* et *Arbores*. Vid. App. Fabular. Burm. V, et Romuli Fabb. lib. III, fab. XIV.

7. *Fictis*. Fictae fabulae opponuntur veris; hoc igitur epitheton non est otiosum. Nam vox *fabula*, pertinens ad vocabula media, narrationem quamvis et veram et falsam significat. Sic infra lib. II, fab. V, 6, *vera fabella*. Sueton. Domit. c. 15, *diei fabulae*, i. e. narrationes rerum, quae hocce die acciderunt. Cic. *Fabulae Troiae*, i. e. res Troiae gestae. Cf. Scheffer. Infra lib. III, Prol. 37, Phaedrus *fictas fabulas* vocat *fictos iocos*. Idem epitheton occurrit lib. II, Epil. 13. Sed etiamsi fabula tantum ea esset, quae fingitur, non tamen epitheton *ficta* culpandum esse, probavit Burmannus, quum et ipse Cic. I, de N. D. 2, dixerit *fictam simulationem*, ad quem locum v. Davisius. Cui adde locum Cic. Verr. III, c. 78. quem laudat Broukhus. ad Tibull. III, IV, 68, *non me fugit, iudices, vetera exempla pro fictis fabulis iam audiri atque haberi*.

3 sq. *Fauce improba incitatus* est, magna et insatiabili vorandi cupiditate stimulatus. Sic Virg. Ge. I, 145, labor *improbus*, i. e. magnus. Cogitandus lupus diducto ore et ingenti hiatu accurrisse, et iurgii caussam intulisse. Dixit autem poëta *incitatus*, ut Cic. de Senect. c. 12, *maxima incitatus voluptate corporis*.— *Latro*, exquisite. Sic infra lib. I, fab. XVII, 2, canem *calumniatorem*, et lib. I, fab. XXXI, 5, milvum *raptorem* appellat. Pertinent eiusmodi vocabula ad poëtica, in quibus inest elegantia et vis. Lupus autem, quem Virg. appellat *raptorem* Aen. II, 355—358, coll. Ovid. Met. lib. X, 540, et Phaedro lib. I, fab. XVI, 5, hoc loco dicitur *latro*, quia *insidias meditatur pecori*. — *Iurgii caussam intulit*, praebuit, finxit caussam iurgandi.

5. *Istam*, intellige aquam. Eodem modo dixit lib. I, fab. XXIX, 8, *si*

Istam bibenti? Laniger contra timens:
Qui possum, quaeso, facere, quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus,
Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.
Respondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita, correptum lacerat iniusta nece.
Haec propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

mile est hoc *rostro tuo*. Laudat Burm. Ter. Heaut. III, 1, 4, *lucescit hoc iam*, ubi *hoc* caelum significat. Commodum autem sensum habet, sive interpreteris istam δεικτικῶς, ut intelligatur aqua inferior, quam lupus monstrabat agno, quod mallm; sive *hanc*, i. e. aquam, ad quam stabat lupus. — *Laniger*. Absolute et graphice pro agno, ut *barbatus* lib. IV, fab. IX, 10; *Latrans* lib. V, fab. X, 7, etc. Delectatur enim poëta iucunda in appellandis animalibus varietate, quo in genere Synonymis uti solet, ab attributis desumtis, in sensus incurrente.

6. Orell. *Aquam* pro *Istam*.

7. Modesta timentis, vel negantis exprobratio. *Tzschucke*. Nota figuram, quem vocant Periphrasin, quum res non suo verbo appellatur, sed pluribus verbis exprimitur, vel augendi, vel minuendi caussa. Nam proprie agnus dicere debebat: qui possum aquam turbulentam facere? id quod longe audacius dictum fuisset.

8. *decurrit*. Decurrere est, deorsum currere, gr. καταρρέχειν, seu καταρρεῖν. — *ad meos haustus*, ad me bibentem. Poëtice dictum.

9. *veritatis viribus*. Veritatem sua vi pollere affirmat Cic. pro Coel. cap. 26, *o magna vis veritatis*.

10. *Ante hos sex menses*. Latinissime de tempore proxime elapso.

10. Orell. *male dixisti*, expuncto *ait*.

11. Hoc argumentum inter probationes inexpugnabiles refert Quintil. I. O. lib. V, c. 10, p. m. 369, teste Burm. Magna autem vis atque simplicitas inest in hac agni responsione, quae si esset longior, vim amissura fuisset.

13. *Atque ita*. Phaedro familiaris et elegans locutio. Pulchre h. l. exprimit horrendum lupi impetum, qui, non exspectato responso, agnum corripit et lacerat.

14. *propter illos*. Compara lib. IV, fab. XXII, 3.

15. *fictis caussis*, i. e. ob crimina ficta. *Caussae* enim hic sunt crimina, ut Graecis αἰτία. Gudius haec Tiberium respicere recte putabat, quem Suetonius et Seneca narrant fictis criminibus sub nomine iustitiae, quos vellet, peremisse. Vid. Suet. Tib. LXI, seqq.

FABVLA II.

RANAE REGEM PETENTES.

Athenae quum florerent aequis legibus,
Procax libertas civitatem miscuit,
Frenumque solvit pristinum licentia.
Hinc conspiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Quum tristem servitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, sed quoniam grave
Omne insuetis onus, et coepissent queri;
Aesopus talem tum fabellam retulit.
Ranae, vagantes liberis paludibus,

1—3. Totius huius loci, cuius vim et ornatum nota, sensus hic est: Quum leges valerent Athenis, quibus erat sancitum, ut omnes aequali essent conditione, et aequali iure continerentur: cives, procaciter abutentes libertate, turbaverunt civitatem, et licentia praecipites acti pristinum illud frenum legum, quo continebantur olim, solverunt i. e. reiecerunt. — *Procax* proprie est petax. — *Procax*, gallice, *hardi à demander*, hinc *effronté*. A precando, i. e. poscendo procacitas nominata. *G.* — *miscuit*, i. e. turbavit. Metaphorice. Promiscue enim usurpant veteres *miscere* et *turbare* de seditiosis ac turbulentis molitionibus. — *Frenum*, metaphora ducta ab equis, qui frenorum ope coërceri solent; intellige h. l. leges, quibus civitas moderanda erat. — *solvit*, usitatius *laxat*; auget tamen hic licentiam. *Tzschuck.*

4. Orell. *Hic.*

4. *conspiratis* active, pro conspirantibus. Sic *iuratus*, pro eo, qui iuravit: sic *coniurati*. Val. Max. lib. IV, c. 1, 7, *utraque parte perorata*, i. e. quum utraque pars perorasset.

5. *occupat Arcem*, quae dicta est Acropolis, seu Cecropia. Factum hoc Olymp. L. ann. I. Vid. (Lucian. in Tyrann. *G.*) Meursii Pisistr. c. 3. Quo facto occupavit *tyrannidem*. Nam *arcem occupare* metonymice etiam potest esse, firmare sibi dominationem in civitate libera; quia tyrannus, qui invadebat rempublicam, ante omnia arcem occupabat.

6. *Attici*, quia non ad solos Athenarum urbis incolas pertinebat. *G.*

10. *liberis paludibus.* More poëtarum; non enim paludes, sed ranae in iis erant liberae, i. e. sine rege. Sic dixit lib. I, fab. XII, 11, *saevi morsus canum*, pro morsus canum saevorum. Adde lib. I, fab. XXXI, 12. Alludit ad civitatem liberam Atheniensium.

Clamore magno regem petiere a Iove,
Qui dissolutos mores vi compesceret.
Pater Deorum risit, atque illis dedit
Parvum tigillum, missum quod subito vadi
Motu sonoque terruit pavidum genus.
Hoc mersum limo quum lateret diutius,
Forte una tacite profert e stagno caput,

11. Graecus: *πρέσβεις ἔπεμψαν πρὸς τὸν Δία, βασιλέα αὐτοῖς παρασχεῖν.*

12. *vi.* Bono sensu, pro potestate, auctoritate et imperio. — *compesceret*, coërceret. Eleganter hoc verbum respondet τῷ *frenum pristinum solvit* vs. 3. Equi enim freno compesci dicuntur. Tibull. lib. IV, 1, 91, *quis possit equum arcte freno compescere?*

13. *risit*, videns scil. ranas impatientes esse libertatis. Nota imaginem Iovis, in qua inest mirifica venustas.

14. *missum quod subito.* Quod quia subito, seu opinione celerius demittebatur, motu sonoro aquae terruit pavidum genus, i. e. ranas. *Missum* est demissum, ut lib. V, fab. VII, 23, et lib. I, fab. XXIII, 3, de iactibus longis et validis; *subito* cum Hario et Ramlero capio tamquam adverbium. Alii, ut Gud. et Burm. *subito motu* coniunctim comprehendunt; parum interest, prius tamen magis placet; etsi Anon. Neveleti fab. XXI, 4, habeat: *subitum* sensit in amne *sonum*. — *Motu sonoque*, motu sonoro per hendiadyn. — *vadi*, paludis. — *pavidum genus*. Apte et naturae ranarum congruenter.

16. *Hoc* refer ad *pavidum genus*, non, ut multi interpretes, ad *tigillum*.

16. Orell. *iaceret.*

17. *Forte.* Acute hanc vocem explicat *Rutger. Ouwens* V. Cl. Noct. Hagan. lib. I, c. XII, p. 76 sq. Nam al *tacite* rana haec *protulit caput*, non videtur id *forte* fecisse, sed dedita opera, quum nescio quid suspicaretur ex longinqua quietis in stagno mora, inito antea prudenti consilio, ne, dum novum explorare regem cupit, conspecta aliquod subiret periculum, ut timentes solent. Statuit igitur, in vocabulo *forte* non eam semper esse praecipuam vim, ut certum aliquem intervenisse significet casum, qui causam daret, ut aliquid fieret: sed saepe nihil aliud notare quam simpliciter, *factum est ut*, *contigit ut*; atque ita hic, quum pavidum genus mersum limo lateret diutius, contigit, ut una de ranis, sive aliqua suspicione, sive etiam sola curiositate ducta, ut cognosceret qualis esset novus iste rex, tacite protulerit e stagno caput. Sic Hor. lib. I, Ep. VII, 30, in quo loco τὸ *forte* explicandum est: factum est aliquando, ut nitedula, non casu quodam, sed frumenti comedendi avida, per rimam sese immitteret in cameram. — *stagno*, i. e. aqua. Vs. 10 dixit *palus*, v. 14 *vadum*. Nota varietatem. Docet Burm. stagnum, aut lacum non plane limosum et coenosum concipiendum esse, quum nil aliud notet, nisi stantem aquam, quae profluenti et vivo flumini opponitur. Liv. lib. I, c. 4, *effusus lenibus stagnis amnis.* Adnatant etiam ranae (v. 19), quod per limum non facile

Et, explorato rege, cunctas evocat.
Illae, timore posito, certatim adnatant,
Lignumque supra turba petulans insilit:
Quod quum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Iovem;
Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere coepit singulas: frustra necem
Fugitant inertes: vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem
Adflictis ut succurrat. Tunc contra Deus:
Quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum,

foret, sed per aquam, in superiori parte liquidam, factum credi debet.

20. *Lignum*, per contemtum vs 14 dixit tigillum. — *supra*. Particulas ponit loco alieno poesis. — *turba petulans insilit*. Eleganter describit hoc et seq. versu proterve petulantes. Nota mobilem plebis characterem, quem praeclare pingit poëta. Antea *pavidum genus*; nunc, posito timore, *petulans turba*; mox rebus in duris et adversis, *fugitant inertes, vocem praecludit metus*.

21. *omni*, omnis generis: Cic. Verr. II, 17, *omnibus insidiis*. — *contumelia*. Non verborum modo, sed rerum. Huc enim maxime spectat verbo *inquinassent*, quasi diceret, conspuisse in id et concacasse. Vid. vs. 20. Atque ita voce hac utuntur scriptores. Sen. III, de Ira, 38: *Contumeliam tibi fecit aliquis. Numquid maiorem, quam Diogeni, philosopho stoico? cui de ira quum maxime disserenti adolescens protervus inspuit. Inspuere* hic contumeliam appellat, et sic apud Phaedrum ponitur. *Scheffer*.

24. *hydrum*. Hydrus est genus anguium, in aqua degentium. Apte autem dixit *hydrum*: hic enim maxime ranas appetit. — *dente aspero*. Instrumenti notatio illustrat, more poëtarum, *Tzschuk*. Plin. H. N. lib. 11, c. 37, dentes serpentum dicit *serratos*. Hinc eleganter h. l. *dente aspero*.

27. *Furtim dant mandata*. Quaerit h. l. Cl. Tzschuk. *si vocem praecludebat metus, qui mandata dare possunt?* Furtim *igitur* i. e. submissa voce *modum statuit*. Sed dubito an *furtim* hoc sensu capi possit. Neque etiam sic nodus solvitur. Quod si enim metus praecludebat vocem, neque clara, neque submissa voce loqui poterant ranae. *Furtim* igitur explicandum clam. Interea enim Hydrus aliam post aliam devorare studet, recte quaedam clam Mercurio dare possunt mandata. — *mandata*, non semper ad superiorem, seu Imperantem referuntur; sed est etiam aequalis, vel Inferioris adeo. Hodie vulgo *Commissionem* appellant. — *Mercurio*, utpote cui, Deorum nuntio, nullo non tempore ad Iovem pateret aditus.

Malum perferte. Vos quoque, o cives, ait,
Hoc sustinete, maius ne veniat malum.

FABVLA III.

GRACVLVS SVPERBVS ET PAVO.

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
 Tumens inani Graculus superbia,
Pennas, Pavoni quae deciderant, sustulit,
Seque exornavit: deinde contemnens suos
Formoso se Pavonum immiscuit gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque rostris. Male mulcatus Graculus
Redire moerens coepit ad proprium genus:

31. *Hoc*, scilicet malum; intellige tyrannidem Pisistrati.—*sustinete*. Vid. ad lib. IV, fab. XX, 4.—*veniat*, eveniat, ut ap. Ter. Eun. *id gaudeo, propter me hisce aliquid esse venturum malum*; qui locus debetur Cl. Hartm.

2. *Suoque*. Sic plene, *et ut potius libeat suo habitu vitam degere*. G. — *habitu suo* (secundum habitum suum) *vitam degere* est, rationibus suis vivere convenienter, intra fortunam suam manere, seu, ut Hor. lib. I, Ep. VII, 98, *metiri se suo modulo*. Dicitur autem *habitus* h. l. non solum in respectu ad ornatum et vestitum, sed notat generatim statum, conditionem, seu quicquid vel a natura, vel fortuna cultus ornamentique possidemus.—*Suoque potius*. Rarius post *ne* invenias *et*, vel *que*. Ita tamen et Nep. Eum. VII, 2, *suasit ne se moveret et exspectaret*: dicendum erat *sed*. Ibid. n. 3, *ne pateretur.... ferretque opem*. Heusinger. — *habitu*, ante *bonis*, ad variationem et apte simul ad sequentia de pennis assumtis. *Tzschuk.*

6. *suos*, sui generis aves. Mox *proprium genus*. V. vs. 10. Est autem Graculus de cornicum genere, nigro colore. Martial. I, Ep. 116. Gallis dicitur *le choucas*. Vid. *Buffon Hist. nat. des Oiseaux*, T. III, p. 115, coll. T. III, pag. 146, Ed. Par. 1774. F. Permulti sunt, qui putent graculum esse picam glandariam, *le geai*, decepti auctoritate Fontanii, qui inscripsit hanc fabulam, *le Geai paré des plumes du Paon*.

7. Orell. *Immiscuit se pavonum formoso gregi*.

9. *mulcatus*. Elegans et antiquum

A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses sedibus,
Et, quod natura dederat, voluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam,
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

FABVLA IV.

CANIS PER FLUVIVM CARNEM FERENS.

Amittit merito proprium, qui alienum appetit.
Canis per flumen, carnem dum ferret, natans,

verbum, pro verberare, percutere, plagis afficere.

11. *tristem*, gravem, duram, ut lib. I, fab. II, 6, *tristis servitus.* — *sustinuit*, pati coactus fuit. *Scheff.* Varie utitur Phaedrus hoc verbo; sed locutio *sustinere notam* insolentior videtur Burmanno, qui putat hic poni, ut *sustinere causam*, *crimen*, quod Graeci *αἰτίαν ὑπέχειν* dicunt, et quod Prop. lib. I, xviii, 8, *notam habere* dixit; Phaedrus magis ad forensem Graecorum morem *sustinere*. Lege Not. Burm. — *notam.* Absolute intellige turpitudinis et infamiae. Eripuerant enim pennas et nudum fugaverant; deinde repulsus a suis, ad quos redire coeperat, alteram sustinet notam. Tractum videtur a stigmasi, seu notis, quibus frontes facinorosorum compungebantur. Cicer. pro Rabir. XXIV, 9, *turpitudinis notis omnibus insignis homo.* Sic *inurere notam turpitudinis* Cic. Cat. I, 6.

12. Omissio verbi *inquit* apud Phaedrum frequens est.

14. *Pati* admodum accommodatum huic loco propter comparationem munerum, quae natura habent alii maiora, alii minora. Nam isto respectu qui minora acceperunt, optime dicuntur ea pati, quum iis sunt contenti, et maiora non affectant.

16. *repulsam sentiret.* Ad singularia Phaedri refer. — *tua calamitas.* Pertinet ad idiotismos nostri, qui saepissime ponit abstractum loco concreti; quod semel notandum. *Tua calamitas* pro, tu iam calamitosus non sentires repulsam. Aetatis aureae scriptores ab eiusmodi loquendi formulis non plane abhorruerunt. Laudat Desbillon. Hor. Epod. I, 31, *Satis superque me benignitas tua ditavit.* Ei. lib. I, Ep. xii, 20: *Empedocles, an Stertinii deliret acumen.* Et apud Varr. de L. L. lib. III, sic Ennius: *Olli respondet suavis sonus Egeriaï*, ubi vox Egeriae pro ipsa Egeria ponitur.

1. *appetit.* Cannegieterus bene explicabat *super*, vel *praeter ea, quae iam tenet, petit.*

2 *natans.* Hoc displicet Lessingio l. c. p. 235, nec sine ratione. Nam canis, natans per flumen, ita turba-

Lympharum in speculo vidit simulacrum suum:
Aliamque praedam ab alio ferri putans,
Eripere voluit: verum decepta aviditas,
Et, quem tenebat ore dimisit cibum,
Nec, quem petebat, adeo potuit attingere.

FABVLA V.

VACCA ET CAPELLA, OVIS ET LEO. *

Nunquam est fidelis cum potente societas:

bat aquam, ut neutiquam videre posset simulacrum suum; quia aqua speculi instar non est, nisi sit quiescens et pellucida. Deinde canis nando sequi poterat carnem. Sic enim facile potiri poterat cibo dimisso. Contra in graeca fabula melius haec exprimuntur: Κύων κρέας ἔχουσα ποταμὸν διέβαινε, quoe Lessingius vertit: *er gieng über den Fluss*. Putat enim male reddi ab interpretibus, *nando traiiciebat flumen*. Vidisse hoc videtur Romulus Divion. qui habet *flumen transiens*. Aphthonius, eamdem narrans fabulam: κρέας ἁρπάσας τὶς κύων παρ' αὐτὴν διῄει τὴν ὄχθην τινὸς ποταμοῦ. Sic igitur videre poterat simulacrum suum. Simili modo narrat Ignatius: φέρων ποταμοῦ πλησίον κύων κρέας, κύψας ἑαυτὸν ἄλλον εἰς ὕδωρ βλέπει. Non tamen desunt, qui iungant: Canis, per flumen carnem dum ferret, natans i. sp. v. s. s.

6. *Et quem.... nec quem*. Non raro iungi affirmativam cum negativa particula, iam olim notavit Rittershus. Exempla e Cicerone dabit Santoroc. — *nec adeo*. Praeclare Burm. ostendit elegantissimum particulae *adeo* usum, cuius vis est, canem non tantum cibum, quem tenebat ore, non obtinuisse; sed et multo minus aliam praedam potuisse attingere. Laudat vero, praeter alia, locum Tac. A. lib. VI, c. 45, *ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium numquam adiit*. Haec igitur tam eleganter usurpata particula satis ostendit, quam verae genuinaeque Latinitatis sciens fuerit Phaedrus. Alii, ut Desbillon. explicant *etiam*; melius Faber et Cl. *Gail*, *avec tout cela*; sed cl. *Lange* Prolegg. ad Phaedr. pag. 19, tuetur significationem τοῦ *nec adeo*, pro *nec ideo*, laudans Ter. Andr. V, VI, 13, et Drakenb. ad Sil. VIII, 557. Sed exempla, a Drakenborchio memorata, probant tantummodo, vocem *adeo* in sermone ligato eleganter παρέλκειν, praecipue apud Silium.

(*) Ista animalia non solum feras capere dicuntur, sed leo ila etiam praedae partem apponit. Vtrumque contra illorum animalium naturam dicitur. Vid. Cl. *Ernesti* Dissert. de Fabula Aesopia Edit. Aesopi praefixa p. 28. Graeca fabula aptius ficta; inducuntur enim Leo et Asinus sylvester (ὄναγρος), quem cum praedam

Testatur haec fabella propositum meum.
  Vacca et Capella, et patiens Ovis iniuriae,
Socii fuere cum Leone in saltibus.
Hi quum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus, partibus factis, Leo:
Ego primam tollo, nominor quia Leo;
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
Tum, quia plus valeó, me sequetur tertia;
Malo afficietur, si quis quartam tetigerit.

sylvestrem appetere, tum carnibus vesci constat.

1. Avianus fab. XI, 15: *pauperior caveat sese sociare potenti.*

2. *propositum*, enuntiationem, sententiam, cuius veritas ut eluceat, fabulam scripsi.

4. Socii dicuntur, qui communi consilio, lucro, damno rem aliquam adgrediuntur. Locum classicum de Sociis habes ap. Cic. p. 16, Rosc. Amer. c. 40 sq. Sic publicani, qui vectigalia publica redimebant, eiusdem societatis, peculiari et sollemni quadam ratione dicuntur *socii*, ut saepe leges apud Ciceronem. Nonnullos offendit oratio: Vacca et Capella et Ovis *socii* fuere. Hinc monet cl. *Rutger. Ouwens*, verba *cum leone* non temere coniungenda esse cum *fuere*, aut *Socii fuere*, sed cum *vacca et capella* et *ovis cum leone*, pro *et leo*. Nam si alia mens fuisset Phaedro, dixisse debuerat *sociae*.

7. Verba *dici*, *ferri*, *nominari*, *vocari*, pro *esse*, apud optimos Latinitatis scriptores ea significatione usurpari, multis exemplis comprobat Rutger. *Ouwens* V. Cl. — *Leo*, scilicet unus e sociis, non, quia ut *regi*, aut *domino* deberi reverentiam mihi, aut praecipuum aliquem honorem postulo, qui sensus ab hoc loco alienus, non minus quam emphasis a nomine *leo*, quam videt Harius.

8—10. Gudius cum Scheff. *fortis* per *animosus* et morti acriter se offerens explicat; *plus valeo* autem ad robur corporis transfert. Sic Phaedrus si non ταυτολογεῖν videtur. Equidem non repugnavarim; nollem enim cum Burmanno *fortis* capere de velocitate, qua assequi leo potest feras, quum fortitudo animi intelligenda sit. Sed ταυτολογία non est nimis urgenda. Nam, recte observante Burmanno, caussae, quas leo, ut praeferatur, adducit, revera sunt ineptae, iniustae et imaginariae, et ad unam violentiae et roboris facile possunt referri, ideoque Phaedrus ex persona leonis, qui non pondere, sed numero argumentorum volebat videri vincere, ταυτολογεῖν dedita opera credendus est. Nam *quia sum leo*, *quia sum fortis*, *quia plus valeo*, unum idemque argumentum, non a iure, sed a vi et potentia desumptum, efficiunt. At Rutgero *Ouwens* Phaedrus non ταυτολογεῖν ex persona leonis, sed tres diversas afferre caussas videtur, cur totam sibi praedam vindicet leo.

Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

FABVLA VI.

RANAE AD SOLEM. *

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aesopus, et continuo narrare incipit:
Vxorem quondam Sol quum vellet ducere,
Clamorem Ranae sustulere ad sidera.
Convicio permotus quaerit Iupiter
Causam querelae. Quaedam tum stagni incola:

11. *improbitas*. Idem est, ac si dixisset: Sic improbus, i. e. impudens, insatiabilis solus totam praedam abstulit.

(*) Coniectura probabili Brotieri, quam deinde Desbillonius uberius explanavit, Phaedrus hac fabula scelera Seiani eiusque nuptias cum Livia, seu Livilla, sorore Germanici, uxore Caii et Drusi, notare voluit; quemadmodum dictum est in vita Phaedri. Aptius Ignatius, seu Gabriae finxit fabulam.

4. *celebres nuptias*, in quibus magna erat convivarum frequentia. Sic urbes, vias, etc. gentes dicuntur *celebres*.

4. *ad sidera*, ad caelum, synecdochice. Alii capiunt metonymice, pro Iove. Forsan ante oculos habuit Virg. Aen. X, 262: *Clamorem ad sidera tollunt Dardanidae e muris*.

5. *Convicio*. Eleganter et proprie. Convicium enim, de qua voce cf. Scheffer. et Hartman. proprie est clamor plurium, uti hoc loco, quasi esset convocium. Ovid. lib. VI Met. 378, de ranis, *dilatant patulos convicia rictus*; atque etiam memorat Col. R. R. lib. X, c. 12, *convicia ranae semper querulae*, i. e. quae semper coaxat. Adde infra lib. III, fab. XVI, 3. Nota varietatem in verbis *clamor*, *convicium*, *querela*. Laudat Hartmann. Cic. ad Div. I, Ep. 5: *Pompeius clamore convicioque iactatus est*. Vides igitur, haec duo esse synonyma. *S.*—Minus recte. Vnus enim *clamare* potest: *convicium* vero nullum, nisi plurium vocum concursu. Vt rem paucis absolvam: unus et plures possunt clamare, seu clamorem tollere: sed non unum penes est convicio permovere. *G.*

6. *stagni incola*, exquisite pro rana. Delectatur enim Phaedrus iucunda varietate in appellandis animalibus. Eodem modo Plin. lib. VIII, c. 57, sed masculino genere, vocat mures *domuum incolas*, teste Burm. *Incola* feminini esse generis, ex hoc versu patet, nisi quis τὸ *quaedam* cum Anenio referat ad ranam, ut rana dicatur *incola*, sicuti aquila rex, quod tamen minus placet. Scribunt etiam Gesnerus et Scheilerus in Lexicis, *incola* esse communis generis.

Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miseras arida sede emori.
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

FABVLA VII.

VULPIS AD PERSONAM TRAGICAM. *

Personam tragicam forte vulpis viderat:

7. *unus*, solus, subaudi *sol*. Burmannus notat quoque elegantem oppositionem in *unus omnes*, laudans Catull. I, 5, » ausus es *unus* Italorum *omne* aevum explicare; » Virg. Aen. III, 716, » Aeneas *omnibus unus* narrabat. » — *exurit*. Serv. ad Virg. I, 39, esplicat, *ita urit, ut nihil supersit*. Hinc recte Scheff. *exsiccat, absumto per calorem humore omni*. Virg. Ge. III, 432, *postquam exusta, palus terraeque ardore dehiscunt*.

8. Hic τὸ *emori* significat, vel mori e sede arida, *ob* sedem aridam, et tunc emori indicat caussam mortis: vel quod nos gallice, *mourir longuement*, et *à petit feu*; et tunc emori indicat genus mortis, aut potius moras mortis imminentis, et in utroque casu perspicua est vis praepositionis. *G.*

9. *crearit*, procrearit.

(*) Qui factum sit, ut vulpis conspectui offerretur persona tragica, Graeca fabula sic indicat: Ἀλώπηξ εἰς οἰκίαν ἐλθοῦσα ὑποκριτοῦ, καὶ ἕκαστα τῶν αὐτοῦ σκευῶν διερευνωμένη, εὗρε καὶ κεφαλὴν μορμολυκείου εὐφυῶς κατεσκευασμένην, quem locum docte explicat Cl. Ernesti, cuius Edit. Aesopi vid. p. 11. Sed Romulus Divion. fingit, *lupum* personam tragoedi *in agro* invenisse.

1. Orell. *vulpes*.

1. Hunc locum acute et erudite explicavit ill. *Böttiger*, cuius interpretationem nunc dabimus. » Iam Addisonus, elegantissimus antiquorum monumentorum spectator, in Itinerario suo (Hagae 1718), p. 216, scite observavit, hanc vulpeculae ad personam tragicam orationem vix satis perspici posse, nisi quis formam veterum personarum, cuiusmodi innumerae adhuc in antiquis monumentis reperiuntur, probe cognitam habeat et exploratam. Tenendum scilicet, personas illas totum caput ambiisse, ita ut in sincipite capillamenta essent pro diversis actorum partibus concinnata, in occipitio autem vultus, quos partes postularent, effícti. Hinc iam intelligitur, cur cerebrum illi inesse neget vulpecula. Nam in dimidiatis istis personis, quibus hodie fere utuntur, ridiculus sane foret, si quis cerebrum quaereret. Atque hoc quidem iam in vulgus notum. Sed est aliud, quod quum male habuerit ipsum Lessingium qui miratur, cur personam istam *tragicam* appellarit poëta, atque id vitio vertit auctori nostro, age, illud quoque paucis explicemus. Non

O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

temere profecto addidit poëta *tragicam*. Personis tragicis, ut probe congruerent cum tota tragicorum actorum σκευῇ, ad corporis magnitudinem, humana maiorem, ingeniose composita, in vertice adiectum fuit fastigium quoddam in acutum desinens, quod Graeci ὄγκον, Latini proprio vocabulo *superficiem* appellarunt. Manifesto hoc apparet e luculento Pollucis loco, ubi fuse tractat personas tragicas IV, 133, ὄγκος ἐστι τὸ ὑπὲρ τὸ πρόσωπον ἄνεχον εἰς ὕψος λαμβδοειδεῖ τῷ σχήματι, et deinceps in singulis personis tragicis commemorandis diligenter notat, quemnam ὄγκον in illa conspicias. Pulchre rem tutam illustravit *Gisb. Cuperus* ad Apotheosin Homeri p. 82. Iam vero facile intelligitur, cur vulpes huic inprimis personae, quae, ut Luciani verbis utar, πρόσωπον ὑπὲρ κεφαλῆς ἀνατεινόμενον haberet et in mirum assurgeret tumorem, magnam quidem *speciem*, quod equidem de amplitudine magis quam de pulchritudine intellexerim, sed parum cerebri inesse, salse moneret. Hoc quoque forsan non ab re videbitur alienum, monere, ante ludorum scenicorum commissionem in theatris personas eiusmodi in suggestu quodam propositas esse, unde cognoscerent praetereuntes, mox vel tragoedias, si tragica persona ostenderetur, vel comoedias, si comica, in scenam productum iri. Liquido hoc apparet e picturis compluribus in *Monumentis Herculanensibus*, T. IV, tab. XXXIII sqq. ubi eiusmodi personae in suggestu, ad quem per gradus aliquot ascenditur, expositae conspiciuntur. Iam intelligitur illud quoque, qui fieri potuerit, ut vulpes eiusmodi personam, conspectui suo oblatam, deridere potuerit, quamquam illud quoque me non praeterit, personas varias, ornamenti tantum caussa, aedificiis, vestibulis inprimis, et fontibus artificiose exstructis additas fuisse. In illis tamen fere ubique comicis tantum personis usos esse architectos, e Vitruvio et antiquae artis operibus, quotquot ad nostra tempora pervenerunt, demonstrare in proclivi esset. s

3. *honorem et gloriam*. Burmannus hanc fabulam spectare putat principes in aula viros, tam civilibus, quam militaribus honoribus ornatos ab imperatore; illos *honorem*, hos *gloriam* respicere. Publius Syrus Sentent. 232, *Fortuna nimium quem fovet, stultum facit.*

4. *sensum communem*, qui continetur notionibus insitis et naturali facultate intelligendi, iudicandi, ratiocinandi, recti et boni cognoscendi. Graeci appellant κοινὸν λογισμόν.

FABVLA VIII.

LVPVS ET GRVIS.*

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat: primum, quoniam indignos adiuvat;
Impune abire deinde quia iam non potest.
Os devoratum fauce quum haereret Lupi,
Magno dolore victus, coepit singulos
Illicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem persuasa est iureiurando Gruis,

(*) *Gruis*, antique pro *grus*. Sic habet Romulus Div. lib. I, fab. VIII. Sic lib. IV, fab. VI, 13, *plebes* pro *plebs*; *vulpis* fab. praec. pro *vulpes*. Ita *sepes* et *seps*, *suis* et *sus*, etc., dici, probandum in se suscepit Gudius.

1. *pretium meriti*, praemium beneficii et operae praestitae. Multis exemplis vocis *pretii* usum illustrat Nic. Heins. ad Ovid. Ep. VI, 146, et Met. II, 701, indicante Burmanno. *Meritum* est beneficium magnum. Plus valere, quam *officium*, ostendit locus Cic. ad Div. XI, 17, *magna eius sunt in me non dico officia, sed merita.*— *desiderat*, postulat. Ita Caes. de B. G. VII, 52, *in milite modestiam et continentiam desiderat.*

3. « Non animadverterunt (inquit Burmannus) viri docti vim particularum *iam non*, quae notant, iam non potest securus abire sine damno, aut noxa, ut potuit, antequam medicinam fecisset lupo. Haerente enim osse in fauce lupi, ille nocere non poterat, sed quum stulta Grnia eius gulae credidisset collum suum, sublato osse, antequam penitus extraxisset collum, potuisset lupus, libera iam gula, arripere et devorare Gruem: periculosam ergo sibi facit, alteri utilem medicinam; et bis peccat, iuvando indignos, et se in periculum, unde non potest, si alter velit, impune abire, coniiciendo. » Frustra putat Meursius, *impune abire* peccatum non esse, et hinc Phaedro rationem non constare; sed alterum peccatum est, sua culpa, imprudentia nimirum, in periculum venire; quod Cicero appellat *peccatum stultitiae*.

4. *fauce*. In oratione ligata frequentius occurrit singularis, quam in prosa. Vide lib. I, fab. I, 3; *haerere* vero *fauce* recte dici, neque *se fauci*, vel *in fauce*, vidit Burm. ad Ovid. Met. IV, 27, et XI, 403.

6. *Illicere pretio*. Infra lib. V, fab. VII, 18, dixit *adducit pretio*, sed *illicere* est fortius. Complectitur enim fraudem et dolum.—*pretio*. Praemio, ut vs. 10, coll. V, 1.—*illud malum*, os devoratum. Elegans metonymia, effectus pro caussa. Hinc apte *extraherent*. In graeca fabula haec simpliciter expressa sunt: εἰ τὸ ὀστοῦν ἐκ τοῦ λαιμοῦ αὐτοῦ ἐκβάλοι.—*ut illud extraherent malum*. Simili metonymia apud Theocr. XIX, 5, Amor

Gulaeque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam Lupo.
Pro quo quum pactum flagitaret praemium:
Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput
Incolume abstuleris, et mercedem postules.

FABVLA IX.

PASSER ET LEPVS.

Sibi non cavere, et aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.

κηριοκλέπτας 'Αφροδίτᾳ δεῖξεν ὀδύναν, Veneri ostendit dolorem.

8. *credens* dixit, notante Scheffero, in respectu ad antecedens lupi iusiurandum et rei periculum.— *colli longitudinem*, collum longum. Sic lib. I, fab. XII, 6, *crurum tenuitas*, pro crura tenuia. Lib. I, fab. XXXI, 4, *celeritas pennae* pro celeres pennae. Eleganter autem dixit *colli longitudinem*. In longitudine enim maxime posita erat medicina, qua extrahi os devoratum debuit, vel in intimo collo latens.— *Gulae*. Haec de lupo Phaedrus: sed quum Phaedrus inducit lupum de se ipso loquentem, neglecta vulgariori locutione, nempe *gula*, aliam nobiliorem profert, nimirum *ore nostro*, cuius adiectivum *noster* interpretem non expostulat. *G.*

9. *fecit medicinam*. Elegantius est, quam si dixisset, *extraxit os*. *Facere medicinam* est mederi. Cic. ad Div. XIV, Ep. 7, *ita sum levatus, ut deus aliquis medicinam mihi fecisse videatur.*

11. *quae*. Eleganter positum pro *quum tu*. Pronomen enim *qui, quae, quod*, in omnibus suis casibus eleganter adhibetur pro coniunctione *quum* et pronominibus substantivis aeque ac demonstrativis, et tunc propter coniunctionem subintelligendam regit coniunctivum.

12. *abstuleris*, extuleris. Sic Anon. Nil. et Romulus.— *Incolume*. Aesopus: *κάρας σῶαν, μηδὲν παθοῦσαν*. et Aphthonius: *κεφαλὴν ἀπήμονα*.— *mercedem*, quasi non satis sit mercedis, quod vitam tibi concesserim. *Scheff.*— Mercedes medicis praestari dicuntur a vett. ICtis ap. Brisson. de Verbor. signific. Cic. ad Div. XVI, Ep. 14, *medico mercedis quantum poscet promitti iubeto*. Hartman.— Aphthonius *μισθὸς τῆς ἰάσεως*. Antea dixerat *pretium*, deinde *praemium*, nunc *mercedem*.

12. Orell. *postulas*.

1. *cavere*, consulere. Iuris et ICtorum verbum est, quum ab his monentur iuvanturque consilio clientes, ne suam conditionem faciant deteriorem. Cic. Off. II, 65, *in iure cavere, consilio iuvare atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis, vehementer et ad opes augendas pertinet.*

Oppressum ab Aquila, fletus edentem graves,
Leporem obiurgabat Passer: ubi pernicitas
Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes? —
Dum loquitur, ipsum Accipiter nec opinum rapit,
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modo securus nostra irridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

3. *Oppressum.* Eleganter. Hoc verbum enim proprie est, inopinantes et imparatos invadere, ita ut fugiendi adimatur facultas. Cl. Hartman. producit locum Iustin. lib. XI, 2, de Alexandro M. *tanta celeritate Graeciam oppressit, ut, quem venire non senserant, videre se vix crederent.* — *Oppressum.* Ab *ob* et *premere*, si fides Sanctii annotatori (p. 361 seq.), « *ob* habet implicitam notionem τῶν *circum, iuxta, propter, contra.* Verum neglecta hac implicita notione, ad primitivam notionem revocat Lennepius docens, ut *ab*, ab ἀπὸ, sic *ob*, oriri a veteri ὀπὸ, cuius usitatum est ὄψ, *oculus*, ac proinde *ob* exprimere respectum (oculum). » Et proprie dici de iniusto qui fortior, innocentem opprimens, obtutu haeret defixus in uno. Quae quidem notio ad multos ducit extensionis sensus quos hic evolvere abs re esset.

4. *obiurgabat*, reprehendebat eum irrisione. Vid. vs. 9. — *ubi.* Elegantissimus in exprobrationibus et irrisionibus huius particulae usus.

5. *quid*, locutio elliptica pro *ob quid*, i. e. cur, ut Graecorum τι pro διά τι. Ter. Andr. II, II, 3, *laetus est, nescio quid.* Sic alibi saepe. — *Cessarunt.* Cur officium, strenue currendo et te exitio eripiendo, non fecerunt? nam hoc verbum significat etiam, languide et negligenter aliquid facere, ut docuit Vavassor de vi et usu quorumdam verbor. Vide loca a Burmanno laudata, Virg. Aen. VI; 51, ibique cel. Heyne; It. Hor. I, Ep. II, vs. penult.

6. *nec opinum*, non opinantem, nil tale metuentem. *Nec* saepe usurpatur pro *non.*

7. *interficit. Facere inter*, proprie significat *séparer*, ut in hoc Plauti: *iam mihi harumce aedium usus interfectus est.* Vide quae de his acute Gardinus noster in *Synon. Latin.* G.

8. *in solatio.* Sensus h. v. est: quum solatium mortis suae perciperet lepus semivivus ex eo, quod passer, a quo irridebatur, simili morte periret. — *In solatio*: ut Meursio, ita et nobis rectius videretur τὸ *in solatium.* G.

10. *Simili querela.* Huic locutioni lux affunditur e vs. 3, ubi graves fletus edentem leporem fecerat poëta.

FABVLA X.

LVPVS ET VULPIS, IVDICE SIMIO.

Quicumque turpi fraude semel innotuit,
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.
Hoc attestatur brevis Aesopi fabula.
Lupus arguebat vulpem furti crimine:
Negabat illa se esse culpae proximam:
Tunc iudex inter illos sedit Simius.
Vterque causam quum perorassent suam,
Dixisse fertur Simius sententiam:
Tu non videris perdidisse, quod petis;

2. *amittit fidem*; non invenit fidem, seu, ut Romulus Div. expressit, *illi non creditur.* Opponitur enim τῷ *etiam si verum dicit.*

5. *culpae proximam*; suam. Sic explicat Romul. lib. I, fab. XIX. Latinitatem hujus locutionis vindicant Gud. et Burmann. quos vide, additis Schefferi Notis. Dixit *culpae proximam*, pro propinquam, quemadmodum, qui vacant culpa, abesse a culpa dicuntur, ut Ovid. I Trist. II, 98. Sic Terent. *culpa a me est procul.* Apud Tertull. de Pallio c. IV. est, *ita demum culpae prope est, habitum transferre*, ubi v. Salmas. p. 277. Simili modo Auctor Declamationis, quae nomine Sallustii in Ciceronem circumfertur, *is erat calumniae proximus.* Haec Cicero ita expressit, ut saepe dicat *affinem*, i. e. participem, *culpae, noxae, facinori*, ut Lexica docent.

7. *Vterque* cum plurali. Sic Plaut. Curc. I, III, 31, *uterque insaniunt.* Tac. Hist. lib. II, cap. 97, *uterque ambigui* (erant). — *perorassent.* *Perorare causam* est, dicere, agere causam, seu causam suam proponere judici. Nota proprietatem verbi. Cic. pro Sext. c. 2, *a Q. Hortensio caussa est P. Sexti perorata.* Id. pro Coel. c. 29, *dicta est a me caussa, iudices, et perorata.* Gallicus Interpres, *ayant plaidé sa cause.* — Rectius, ni fallor, Gardinus; *perorare*, *finir son discours*, *pérorer.* Vid. Facciol. *G.*

9. *Tu*; intellige Lupum. — *non videris.* Moribus receptum erat, quae jurati iudices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut *videri* pronunciarent. Cic. lib. II in Verr. c. 38: *Vix ille hoc dixerat, quum iste pronuntiat, Sthenium litteras publicas corrupisse videri.* Idem in Pisonem: *tum tu ipse de te videri fecisse pronuntiasti.* Vid. Brisson. de Form. lib. V, p. m. 482, et quos laudat Rittershus. Hac formula, notante Burmanno, usi videntur Romani iudices, quia saepe etiam in factis, ut apparet, evidentissimis, falli solent mortales, at in rebus humanis plurima incerta esse eventu docemur. — *non videris.* Simili modo τὸ δοκεῖν usurpant Graeci; δοκεῖν, *per seipsum quidem indicat*

Te credo surripuisse, quod pulchre negas.

FABVLA XI.

ASINVS ET LEO VENANTES.

Virtutis expers, verbis iactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.

id quod tantum speciem veri habet; verum passim, in schola Socratica, usurpatur ad illud indicandum quod revera est: sexcenties apud Platonem, Xenophontem aliosque, elegans est huius verbi usus in declaranda modestia. Sexcenties apud optimae notae scriptores dicitur etiam in bonam partem de iis quae revera sunt, et ideo putantur esse, quae excellunt, atque adeo celebrantur sermonibus omnium. Vid. Lexic. Xen. G. — *perdidisse.* Potest quidem hac sententia uterque mendacii damnatus fuisse intelligi. Sed tamen, quum etiam vulpes *surripuisse* iudicetur, ego de lupo *perdidisse* ita explico, ut ipse antea furto rem surripuerit, quam nunc, vulpe iterum ab eo auferente, nihil videtur perdidisse, quia non erat res propria, sed furtiva. Similis est sententia Diogenis apud Laert. VI, 54, quam dixit duobus iuris peritis, τὸν μὲν κεκλοφέναι, τὸν δὲ μὴ ἀπολωλεκέναι, ubi male in versione legitur, *alterum quidem nihil furatum esse, alterum vero nihil perdidisse*, quum in priori membro *nihil* expungi debeat. Adduxit ibi Menagius hanc Phaedri fabellam. *Burm.* — Compara tamen, quae obiicit cl. *Lange*, Prolegg. ad Phaed. p. 19. Nam si admittatur interpretatio Burmanni et, qui huic obsequitur, Schulzii, censet vir doctus, lupum, arguentem vulpem furti crimine, verum dixisse putandum esse; id quod repugnat scopo fabulae, quae quum lupum, tum vulpem exhibent mendaces. Fingit igitur, vulpem aliquid surripuisse, at non lupo, sed aliis. Sic enim uterque ei mentiri videtur; lupus, statuens vulpem aliquid sibi esse furatam; vulpes, negans omnino se culpae esse proximam.

10. *pulchre*, scite, speciose, callide.

1. Facile accedo Burmanno, qui hunc versum intelligit de ignavo et glorioso milite, ut a Plauto et Terentio inducitur, qui iactat res suas bello gestas, quasi virtute sua gloriam illam militarem consecutus esset, quum sit virtutis expers. Gloria enim proprie in bello adquiritur. Ter. Heaut. I, 1, 60, *ibi rem et gloriam repperi.* Dicitur autem *iactare gloriam*, i. e. gloriose facta, seu gloriam virtutis, ut *iactare genus et nomen.* Hor. Od. I, xiv, 13. Ovid. Her. XVI, 81, *iactare regna et virtutem.* Caes. B. C. III, 83, *urbanam gratiam et dignitatem.* Ipse Phaedrus dixit lib. I, fab. XXII, 12, *meritum inane iactant.* Sed τὸ *verbis iactare gloriam* respondet τῷ *verbis extollentes virtutem gloriamque* Livii lib. XXI, cap. 20, quem locum Burm. affert.

Venari Asello comite quum vellet Leo,
Contexit illum frutice, et admonuit simul,
Vt insueta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet. Hic Auritulus
Clamorem subito totis tollit viribus,
Novoque turbat bestias miraculo.
Quae dum paventes exitus notos petunt,

3. Poësis compositionem vulgarem invertit.

4. *Contexit illum frutice*, occuluit illum fruticibus, seu, ut Burmannus explicat, in fruticeto eum latere iussit. *Frutice* per enallagen ponitur pro *fruticibus*. Non enim leo asinum frondibus texisse putandus est, quod quidam statuunt. Vnde vs. 11, *asinum evocat*, scilicet e fruticibus; hinc *exitus noti* e fruticeto. *Contegere* autem est occulere. Sic Caesar B. G. VIII, c. 5, *in tecta Gallorum milites contegit*. Cic. Provino, 4, *contegere vitia fronte*.

5. *Insueta* non ipsi asino, sed feris, quae adsuetae clamoribus venatorum et canum, quibus complebant nemus, numquam asini vocem audiverant in venatu. *Burm.* — Quaerit Langius; si vox asini feris insueta erat, ubi noverat leo? Sed non anxie disquirendum, ubi et qua ratione leo in familiaritatem venerit asini. Poëtae sufficit indicare, vocem asini non solere audiri in silvis. Deinde si vox *insueta* explicanda est *sibi*, i. e. asino, asinus voce haud naturali feras terruisse existimandus est. Quod quomodo efficere potuerit, equidem non ausim divinare. An bestiae aliam vocem, quam naturalem, possunt emittere? Denique, si leo asinum contegit frutice, inde colligi non potest, feras auritulum noscitasse facie, aut eius vocem iam olim audivisse. Nam si asinus, bestia illa ignava et imbellis, illud naturae dedecus, in conspectu ferarum coepisset rudere, vix sperare poterat leo, fore, ut istae fuga salutem peterent. Hinc occuluit fruticeto. Ceterum notandum, epitheton *insueta* esse quadrisyllabum, per diaeresin.

6. *Excipere* est verbum proprium venatorum, qui feras agitant atque deiiciunt. Apte laudat Burm. Senec. I de Ira 2, *venator quum et fugientes persequitur, et venientes excipit*. Cui loco adde Hor. III, Od. XII, vs. ult. *latitantem fruticeto excipere aprum.* — *Hic*, eleganter pro *tunc* usurpari animadvertit clar. Schw. sed quod silet, annotandum simili usu apud Graecos ἐνταῦθα, modo topicum, significare *hic*, modo chronicum, significare *tunc*. Cuius significationis exempla laudat lexicon Xenoph. T. II, pag. 630. — *Auritulus*, graphice et exquisite pro asino, etsi quoque lepores *auriti* dicantur Virg. G. I, 308. Solent enim poëtae animalia ab ea corporis parte, qua maxime cognoscuntur, denominare. Sic *barbatus* pro hirco lib. IV, fab. IX, 10.

7. Orell. *tollit totis*.

8. *turbat*. Fortius est et ad fugam accommodatius, quam *terret*. — *miraculo*. Eleganter pro voce antehac in silvis numquam audita.

9. *exitus notos*, adsuetas elabendi vias. Bene Burmannus: *Nihil fre-*

Leonis affliguntur horrendo impetu.
Qui postquam caede fessus est, Asinum evocat,
Iubetque vocem premere. Tunc ille insolens:
Qualis videtur opera tibi vocis meae?
Insignis, inquit, sic, ut nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fugissem metu.

FABVLA XII.

CERVUS AD FONTEM.

Laudatis utiliora, quae contempseris,

quentius apud poëtas et alios, quam res notas vocare, quibus quotidie utimur, quas videmus, audimus assidue. Infra lib. II, fab. V, 17, *noti flexus.* Hor. I, Od. 11, *nota quae sedes fuerat columbis.* — Exitus autem eleganter vocantur angusti tramites et loca, per quae et in bello milites et in venatu (nam haec semper componi solent) ferae elabi solent.

10. *affliguntur*, alliduntur terrae. Cf. Gronov. Obs. IV, c. 8, ubi tradit differentiam inter *affici*, *affligi*, et *affigi*, quae confusa in veteribus libris ambiguas nonnunquam reddunt lectiones.

12. *Iubet* pro auctoritate sua et imperio; est enim rex animalium. — *vocem premere*, comprimere, i. e. tacere, ut Virg. Aeneid. IX, 324, de Mnestheo, *sic memorat vocemque premit.*

14. *Insignis etc.* Haec sunt ironice dicta. — *sic.* De eleganti usu huius particulae pro *tam insignis*, vid. Burm.

15. *genus*, gentem; ut lib. I, fab. III, 10, *redire coepit ad proprium genus* Sic de ranis, *pavidum genus.* Lib. I, fab. XXXI, 6, *gentus inerme*, de columbis. Haec locutio, notante Burmanno, ab hominibus translata, de quibus *genus* saepe pro gente ponitur, ut Iustin. II, 4, *genus se Scytharum esse.* Vid. Freinshem. ad Curt. V, 1, 40. Graeca fabula haec ita exhibet: εὖ ἴσθι, ὅτι κἀγώ ἄν σε ἐφοβήθην, εἰ μὴ ᾔδειν σε ὄνον ὄντα, quod et facetius et significantius Cl. Ernesti ad Aesop. p. 171, esse videtur, quam verba Phaedri. Nam in illo latere ait Satyram, quam Phaedrus ita explicet, ut paene in convicium degeneret.

1 seq. Sensus: Haec fabula docet, ea quae contemnuntur, saepe esse utiliora iis, quae magni facere solent homines. — *exserit* est, notum facit, aperit, de eo quod latebat. Senec. Herc. Oet. 255, *secreta mentis exserit.* Sic bene Scheff. Idem enim propemodum est, quod *nudare.* Hinc *enses exserti* apud Ovid. Fast. III, 814, et *mammae exsertae* Aen. I, 492. Apertam *veritatem* dixit Salvianus de Gubern. Dei lib. V, p. 169, quam paullo ante *exsertam* dixerat, teste Hartmano. Hoc verbum ad singularia Phaedri

Saepe inveniri, haec exserit narratio.
Ad fontem Cervus, quum bibisset, restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat;
Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere coepit, et cursu levi
Canes elusit. Silva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus,
Lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,

refert Burm. — *Inveniri*, pro deprehendi experimento, elegantius est quam esse. Verbo substantivo enim eleganter substituitur aliud, quod modum, vel effectum, vel eventum aliquem rei cuique aptum exprimat. Sic eodem sensu occurrit lib. IV, fab. XI, 17.

2. Orell. †*erit*.

4. Lib. I, fab. IV, 3, dixit: *Lympharum in speculo vidit simulacrum suum*. Graecus: πίνουσα εἶδε τὴν ἑαυτῆς σκιάν. Aphthonius: ἑαυτὸν ἐθεᾶτο τοῖς νάμασι.

5. *mirans laudat*. Cum admiratione laudet, et hac dote mire sibi placet. Similiter Ovidius de Narcisso, in fonte effigiem suam vidente et laudante: *Cunctaque miratur, quibus est mirabilis ipse*. Graecus: ἐπὶ τοῖς κέρασιν ἠγάλλετο ὁρῶσα τὸ μέγεθος καὶ τὴν ποικιλίαν; quae *varietas* non ad *colorem*, sed ad cornuum minorum numerum et multiplicem figuram est referenda.

7. *Venantum*, venantium, poëtice pro venatorum. Simili modo Aphthonius θηρῶντες. *Venantum canes* dixit Lucret. lib. IV, teste Scioppio. Sic Virg. Ge. III, 541, *genus omne natantum*, pro piscibus. Ita *medentes*, pro medicis Lucret. I, 934; *volantes* pro avibus. — *conterritus*. Terrore captus qui totum corpus, sensusque omnes simul, atque una, eodemque temporis puncto occupet.

9. *elusit*. Verbum gladiatorium. Gladiatores enim *eludere* dicuntur, quum ictus adversariorum declinatione corporis effugiunt et frustrantur. Hinc *elabi*. Cic. Cat. I, 1, *quamdiu furor iste tuus nos eludet?* Sed quia gladiator, adversarii sui ictum declinans, spem huius frustratur, *eludere* frequentissima significatione ponitur pro deludere, decipere, frustrari. — *ferum*. Ferus absolute pro *fera* passim a Phaedro usurpatur, notante iam olim Rittershusio. De cervo etiam Virg. dixit *ferum*, Aeneid. VII, 89. Apud antiquos pro quovis animante legitur. Sic Virg. Aen. II, 51, de equo. Sed re vera substantivum m. g. subaudiendum.

10. Quum cornua virgultis retinerentur, eoque cervus impeditus fuisset.

Vtilia mihi quam fuerint, quae despexeram,
Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint.

FABVLA XIII.

VULPIS ET CORVUS.

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,
Sera dant poenas turpes poenitentia.
Quum de fenestra Corvus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore,
Hunc vidit Vulpis, deinde sic coepit loqui:
O qui tuarum, Corve, pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore et vultu geris!

15. *habuerint.* Ex interpretatione Burman. fecerint, importarint, ut lib. I, fab. XXVIII, 6. Dixit autem *habere luctum*, ut lib. I, fab. XIX, 1, *habent insidias blanditiae.* Cicer. de Legg. II, 26: *habet luctum concursus hominum.*

1 seq. *Verba subdola* sunt verba, doloso consilio facta, et composita ad voluntatem audientis, blanditiae. Plaut. Trinumm. II, 1, 12, *eos cupit, eos consectatur, subdole blanditur.* Simili modo dixit Ovid. A. A. 1, 598, *subdola lingua*; Caesar autem de B. G. lib. VII, c. 31, *idoneos homines deligebat, quorum quisque aut oratione subdola, aut amicitia facillime capi posset.* Graecus: οὐ δεῖ τινα ὑπὸ τῶν κολάκων ἐπαίρεσθαι. Poenas turpes dixit, ob turpitudinem et dedecus ex iis, quia fere; qui sic puniuntur, simul risui aliorum sunt expositi.

1. 2. Orell. *gaudet — Fere dat poenas turpi p.*

3. *raptum caseum.* Graecae fabulae, excepta Aphthonii fabula, narrant, corvum rapuisse carnem, quod accommodatius videtur Lessingio. Faciliori enim negotio exportari poterat caro.

5. *deinde.* Post brevem, ut ait Gudius, meditatiunculam, qua potissimum astutia corvo caseum eriperet. Eleganter passim sic utitur Phaedrus hac particula.

5. Orell. *Vulpes hunc vidit.*

6. Laudes corvi simplicius expressit Graecus: ἐπαινεῖ αὐτὸν ὡς εὐμεγέθη τε καὶ καλὸν, addens, ὅτι πρέπει μάλιστα αὐτὸν τῶν ὀρνέων βασιλεύειν. — *qui* etiam in interrogationibus poni potest pro *quis*, i. e. qualis, etsi *quis* occurrat saepius; intendit autem orationem.

7. *geris* ex ingenua Latinitate posuit pro habes. *Gerere* enim est ita habere, ut et tu praeferas, et alii id respiciant et observent. Ovid. *quam virginis ora geraltis*, et Virg. *virginis os habitumque gerens.*

Si vocem habere, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum; quem celeriter
Dolosa Vulpis avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corvi deceptus stupor.

* * *

Hac re probatur, ingenium quantum valet,
Virtute et semper praevalet sapientia.

FABVLA XIV.

EX SVTORE MEDICVS.

Malus quum Sutor, inopia deperditus,
Medicinam ignoto facere coepisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine;
Verbosis adquisivit sibi famam strophis.

8. Si vocem haberes, praestares reliquis avibus non solum pulchritudine corporis, sed etiam voce. Liv. *ita repente exuit antiquos mores, ut nemo in tota iuventute haberetur prior*, i. e. praestantior.

11. *dolosa*. Vocabulum poetis magis usitatum, quam prosaicis. Conf. Walch. de stilo Phaedri p. 72. — *avidis r. d.* concinne notat celeritatem actionis. Addit Graeca fabula verba vulpis: *ὦ κόραξ, εἰ καὶ φρένας εἶχες, οὐδὲν ἐδέησεν σοι εἰς τὸ βασιλεύειν.*

11. Orell. *Vulpes*.

12. *Corvi stupor*, corvus stupidus.

13. *Hac re*. Hac fabula, hac narratione, hoc exemplo, hoc argumento.

14. Theognis: *κρεῖσσον σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς.*

1. *Malus*, artis suae imperitus. — *inopia deperditus*. Recte explicat Schefferus de eo, cuius facultates omnes sic erant exhaustae, ut iam sutor esse non posset.

2. *Medicinam facere*, exercere artem medicam. Ita Graeci *ποιεῖν τὴν ἰατρικήν*. Simili modo dicunt *argentariam*, *topiariam facere*, et alia huius generis.

3. Hic versus ita construendus: *et venditaret antidotum, falso nomine*, hoc est, quod falsum nomen haberet, et re vera non esset antidotum (vi quippe venenis resistendi destitutum), ut ablativi illi substantivis nominibus saepe addi vidimus. *Burm.*

4. *Verbosis strophis*. Stropha proprie conversionem significat, qua quum naturaliter utantur animalia et homines, quum effugere vel circumvenire aliquem volunt, hinc stropha apud Scriptores argenteae aetatis est fraudulenta et ludificatrix fallacia. Schol. Aristoph. *στροφαὶ λόγοι-*

Hic quum iaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, eius experiendi gratia,
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua
Antidoto miscere illius se toxicum,
Combibere iussit ipsum, posito praemio.
Timore mortis ille tum confessus est,
Non artis ulla medicae se prudentia,
Verum stupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata concione haec edidit:
Quantae putatis esse vos dementiae,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?

ται καὶ οἱ συμπεπλεγμένοι καὶ δολεροὶ λόγοι. V. Faber et Gesner. in Thes. L. L. Hoc loco capi potest pro mendaci garrulitate et, ut Petronius ait, exaggerata verborum volubilitate. Sic praeclare explicat Gronov. Optime Gallici Interpretes *charlatanerie*. Plin. I, Ep. 18: *Ego aliquam stropham inveniam*, i. e. dolosam excusationem, fallaciam. Atque ita quoque Martialis usus est lib. XI, Ep. VII (VIII), *iam stropha talis abit*. Burmannus vero laudat Martial. III, Ep. VII: *Nihil stropharum est: iam salarium dandum est*, item Senec. Ep. XXVI.

5. *Hic*, tunc, quum iam famam adquisivisset strophis. Ita sumi docet Tursell. p. m. 422. Sic etiam capitur lib. I, fab. XI, 6; lib. II, fab. VIII, 5. Sunt qui capiant pro adverbio loci *hic*, ignoto illo loco.

6. Scheff.: *rex* est, qui summam tenet reipublicae, moderator urbis; cum quo facit Cl. *Gail*, qui explicat *l'intendant, le premier de la ville*.

7. Deinde infudit aquam (in scyphum), et se toxicum cum illius medici antidoto miscere simulavit.

8. *antidoto*, est dativus caussae, ut explorari certissime posset antidotum. *Tzschuck.*

8. Orell. *Illius miscere atidoto.* — 9. *Ebibere.*

9. *posito*, lib. V, fab. V, 5, dixit *proposito*, quod etiam exemplis pluribus se tuetur. Nec tamen propterea, *posito* mutandum in *proposito*. Satis enim vindicant exempla, a viris doctis adducta, *ponere praemium*. —*ipsum*, sutorem medicum.

10. *mortis*, imminentis ex haustu poculi toxicati, sicut credebat medicus. *Scheff.* Vehementer placet sutor, timore mortis perculsus; non enim de rege haec intelligenda.

12. *stupore*, stolida credulitate.

13. *edidit*, aut ipse, aut per eum, cui dederat mandata. Sic enim saepe activa usurpantur.

15. Recte observat Clar. Tzschuckius, acrem et acerbam vituperationem ex oppositione pedum, nobilioris cum ignobiliori.

16. *calceandos*, calceis muniendos. Tota haec regis ad concionem oratio ingeniosa est, atque mirifice delectat.

Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum stultitia quaestus impudentiae est.

FABVLA XV.

ASINVS AD SENEM PASTOREM.

In principatu commutando civium
Nil praeter domini nomen mutant pauperes.
Id esse verum, parva haec fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat Senex.
Is, hostium clamore subito territus,
Suadebat Asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: Quaeso, num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?
Senex negavit. Ergo quid refert mea,
Cui serviam, clitellas dum portem meas?

18. Recte h. v. Scheff. et Burm. explicant: ex quorum stultitia, seu per quorum stultitiam est quaestus impudentiae, i. e. sollemni idiotismo, impudentibus: quod idem est, ac si dixisset, lucrantur impudentes.

1. In commutando principatu mutatio plerumque non pertinet ad pauperes, tenues et humiles, quibus, ut utar verbis Burmanni, ex vicissitudine vix licet sperare honores vel dignitates, vel opes. Sunt enim neque miseri atque tenues et manent. Horum non interest, quibus serviant, dum iugum semper portent. Re vera igitur nil mutant, praeter nomen principis. Sed alia res est in divitibus et potentibus, ad quos multum utique pertinet principatus commutatio, sive sit bonus, sive malus princeps. Imperante enim malo principe, qualis fuit Tiberius, periclitantur honores, divitiae, ipsa denique vita divitum et potentium, ut historia istorum temporum satis superque comprobat.

1. Orell. *saepius* pro *civium*.

6. *Suadebat Asino fugere*, pro fugam, vel fugiendum esse. — *Ne possent capi*, ne caperentur; *possent* eleganter abundat, ut lib. III, fab. VII, 8, venusta et poëtis crebra loquendi formula. Hor. lib. III, Od. III, 43, *stet Capitolium fulgens triumphatisque possit Roma ferox dare iura Medis*, i. e. iura det.

FABVLA XVI.

CERVUS ET OVIS.

Fraudator hominem quum vocat sponsum improbum,
Non rem expedire, sed malum dare expetit.
 Ovem rogabat Cervus modium tritici,
Lupo sponsore. At illa praemetuens dolum:
Rapere atque abire semper adsuevit Lupus;
Tu de conspectu fugere veloci impetu:
Vbi vos requiram, quum dies advenerit?

1. Fraudator, qui petit pecuniam mutuam, et adhibet sponsorem improbum et malum, sine dubio molitur fraudem, et decepturus est creditorem. Non enim id intendit, ut liberet a periculo creditorem, isque pecuniam in tuto collocet, seu ut expeditum, sine lite sit negotium (*rem expedire*); sed ut detrimentum inferat creditori (*malum dare expetit*).— *Sponsum vocare* est propria et sollemnis in hac re locutio, et idem valet, quod iubere aliquem fidem pro se interponere et cavere, rogare aliquem, ut pro nobis spondeat. Horat. II, Ep. II, 67, *Hic sponsum vocat*, etc. Dictum autem *sponsum*, pro ad spondendum, ut *oratum mittere* lib. IV, fab. XVII, 2.

1. Orell. *Fraudator homines quum advocat sponsum improbos.*

4. *praemetuens*, statim et in antecessum metuens.

5. *Rapere atque abire*, rapinam facere, seu violenter tollere, et celeriter discedere. Nam *atque* hic non tam connectit, quam celeritatem indicat. Gell. X, c. 29, » praeterea *atque* pro alio quoque adverbio dicitur, i. e. *statim* » citans Virg. G. I, 199—203, ad quem locum tamen v. cel. *Heyne*. Laudat Burm. Plaut. Mostel. V, 1, 9, *quem quum convocavi*; atque *illi me e senatu segregant*, i. e. statim, confestim me segregant: item Ter. Eun. I, 117.

6. *Tu*, scilicet adsuevisti.— *de conspectu*, pro a conspectu. Cic. in Verr. *de complexu parentum ad mortem raptus*. Sic notat Tursell. pag. m. 251, *exire de navi*, *de provincia decedere*.

7. *dies*. Verbum forense, pertinens ad germanam Latinitatem, de die praestituta solutioni debitae pecuniae, h. l. tritici.

FABVLA XVII.

OVIS, CANIS ET LVPVS.

Solent mendaces luere poenas malefici.
Calumniator ab Ove quum peteret Canis,
Quem commendasse panem se contenderet;
Lupus, citatus testis, non unum modo
Debere dixit, verum affirmavit decem.
Ovis, damnata falso testimonio,
Quod non debebat, solvit. Post paucos dies
Bidens iacentem in fovea conspexit Lupum:
Haec, inquit, merces fraudis a Superis datur.

2, 3. *Calumniator*, delator, qui falsas lites intendit; seu qui per fraudem et frustrationem alium vexat litibus, *explicatur*. — *commendasse*. Commendare est fidei alicuius ac diligentiae curaeque aliquid committere, servandum tradere, deponere. Alii *commodasse* legunt, i. e. mutuum dedisse, quo sensu Cicero dixit *commodare tritici modios*. — *contenderet*, infert disceptationem, unde recte vs. 4 *testis*.

3. Orell. *commodasse*. — 5. *Deberi*.

8. *Bidens*. Exquisite. In appellandis animalibus variare solet Phaedrus; vs. 6, diserat *ovis*. — *fovea*. Solebant veteres lupis capiendis fodere foveas, quas fronde obtegebant, quasi solidum illic esset; dein trans foveam ponere (et suspendere) ovem (vel clamosum aliud animal), qua tanquam illecebra sollicitaretur lupus, et dum (ad ovis balatum) approperat, praecipitaret in fossam. — *prospexit*. Ita Cl. Schw. sed in hunc nostrae editionis textum τὸ *conspexit* rectius admittendum censuimus; vide infra adnotat. ad voc. *conspexit*. G. — Burmann. cui suffragatur Clar. Tzschuck. explicat, procul spectare, quod conveniat egregie timido animali, quod procul videns lupum in fovea, non audeat tamen prope accedere. Sed quomodo ovis *procul* videre poterat lupum iacentem in fovea? Itaque magis placent, quae Schefferus notat: « *prospicit* Latinissime et elegantissime, qui ex editiore loco vergit oculos in depressiorem » ut etiam Heinsius interpretatus est. Nam iacebat in fovea lupus et ideo altior stabat ovis. Faber igitur h. l. non audiendus. Ceterum non mortuus erat lupus, ut ceperunt Albinus et Rob. *Prevost*, Gallici Interpretes, sed delapsus et captus. Fac enim secus fuisse, perit omnis dicti elegantia vs. 9, quod bene observatum Scheffero. — *conspexit*. Burmannus vult *prospexit* (quod admisit Phaedri edit. ad usum Delphini, Londini 1822), quia nimirum procul spectare, convenit egregie timido animali. Verum, iacente lupo,

FABVLA XVIII.

MVLIER PARTVRIENS. *

Nemo libenter recolit, qui laesit, locum.
Instante partu, mulier, actis mensibus,
Humi iacebat, flebiles gemitus ciens.
Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturae melius quo deponeret,
Minime, inquit, illo posse confido loco
Malum finiri, quo conceptum est initio.

quis locus ovis timiditati? Nedum prospiciat ovis, nedum procul spectet, inspicit potius, conspicit, tota in conspiciendo, quod eleganter mihi videtur exprimere τὸ *conspexit*. Quod appellant vulnus, non sanat Cl. Scheffer. legens *prospicit*, infelix insuper hac glossa: *prospicit*, *latinissime et elegantissime*, *qui ex editiore* (non *editore*) *loco vergit oculos in depressiorem*: nam eo sensu dixisset Phaedrus *despicit*, non *prospicit*. Vid. I, xxiv, 2, *conspexit*; I, xii, 7, *conterritus*; I, v, 10, *despicit*; praesertim *prospicit* IV, iv, 20. G.

(*) *Mulier parturiens*. Hanc non ut fabulam, sed veram historiam refert Plutarchus in Coniug. Praecept. pag. 143 (Edit. Frcf. 1620 in-fol.), et in eamdem sententiam dixit Ovidius I Trist. I, 85, *Et mea cymba, semel vasta percussa procella, Illum, quo laesa est, horret adire locum.*

1. *recolit*, iterum colit, id est habitat. Habitabant enim agrestes priscis temporibus, ubi agros colerent. *Colere* autem est habitare.

3. Orell. *Humo*.

4. *Vir*, pro marito, ut saepe. V. Gesner. Thes. L. L. h. v. Sic *mulier* pro uxore. — *corpus lecto reciperet*, intellige *ut*. Dictum ut *recipere aliquem domo*.

5. *Onus naturae deponeret*, alvum exoneraret, fetum deponeret. Vox autem *naturae* capienda pro partibus genitalibus et utero, ut Gudius docet.— *deponeret*. Accommodate. Manet enim in metaphora, ab onere et sarcina desumpta.

7. *conceptum*, ortum. Sic apud Cic. N. D. III, c. 38, *conceptus a se ipso dolor* opponitur immisso divinitus. An Phaedrus in ambiguo huius verbi sensu ludere voluerit, quod volunt Rigalt. et Schefferus, incertum.

FABVLA XIX.

CANIS PARTVRIENS.

Habent insidias hominis blanditiae mali:
Quae ut vitemus, versus subiecti monent.
Canis parturiens quum rogasset alteram,
Vt fetum in eius tugurio deponeret,
Facile impetravit: dein reposcenti locum
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumto, flagitare validius
Cubile coepit. Si mihi et turbae meae
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

1. *Habent*, continent, inferunt.

3. *rogasset alteram*. Hic notanda est mira verborum varietas: 1.° rogat canis; 2.° preces admovet; 3.° postquam exoravit, i. e. postquam orando impetravit, flagitat validius. Crescit feliciter narratio, ac tandem vis praevalet.

3. *reposcenti*, scilicet alteri cani.

6. *preces admovit*. H. l. de eo, qui ab invito studet obtinere. Antea *rogabat* canis; nunc *preces admovet*, quod est fortius, post *exorat*. Nota gradus. — *tempus exorans breve*. Non modo homines exoramus, sed res, quas obtinemus. Hoc verbum, ut alia bene multa, ellipticum est: etenim *impetrandi* notio, quae quidem est praecipua, nullatenus explicite et materialiter includitur ἐν τῷ *exorare*. Sic sexcenties graece. Vid. I, XXI, 9. *G.*

7. Post se trahere, seu secum ducere posset. *Secum* enim potest subintelligi.

8. *Hoc* refer ad *tempus breve* (vs. 6), quod Canis altera concesserat. — *flagitare validius*. Vs. 5, simpliciter *reposcebat locum*; nunc *flagitat validius*. Elegantia verbi notanda, quod proprium est debita exigentium.

9. *Cubile*. Cic. de N. D. II, 49, *bestiae in cubilibus delitescunt*. Nota varietatem et copiam in *tugurium*, *locus*, *cubile*; deinde in *fetus*, *catuli*, *turba*. — *coepit* intellige iustus possessor ab iniusto, cui mox respondet possessor iniustus.

FABVLA XX.

CANES FAMELICI.

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.
Corium depressum in fluvio viderunt Canes:
Id ut comesse extractum possent facilius,
Aquam coepere ebibere; sed rupti prius
Periere, quam, quod petierant, contingerent.

1. Melius haec expressa sunt in fabula graeca: πολλοὶ δι' ἐλπίδα κέρδους ἐπισφαλοῦς μόχθους ὑφιστάμενοι, φθάνουσι πρῶτον καταναλισκόμενοι. — *effectu caret.* Ovidiana phrasis, apud quem II Amor. III, 16, *caret effectu quod voluere duo.*

2. *ad perniciem devocat*, exitium affert mortalibus.

3. *Corium*, pellis sicut detracta est pecori. — *depressum*, demersum. Hoc sensu Cic. pro Arch. c. 9, *depressa classis.* Nep. Con. IV, *naves deprimit.* *Schw.* Apte ficta fabula. Canes enim appetere coria et pelles, ostendit Hor. II, Sat. v, 83, *Vt canis a corio numquam absterrebitur uncto;* et hinc graecum proverbium χαλεπὸν, μαθοῦσαν κύνα σκυτοτραγεῖν.

5. *ebibere.* In graeca fabula habetur: συνέθεντο ἀλλήλοις, ὅπως πρῶτον τὸ ὕδωρ ἐκπίωσιν, καὶ εἶθ' οὕτως ἐπὶ τὰς βύρσας παραγένωνται. — *rupti periere*, disrupti (διαῤῥαγῆναι). Eleganter.

6. *contingerent.* Non solum illi famelici corium non comedunt, sed nec contingunt quidem; non perveniunt ad voluptatem illius corii tangendi quod cupide expetunt. *G.*

FABVLA XXI.

LEO SENEX, APER, TAVRVS ET ASINVS.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,
Ignavis etiam iocus est in casu gravi.
Defectus annis, et desertus viribus
Leo quum iaceret, spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem iniuriam:
Infestis Taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus, ut vidit ferum
Impune laedi, calcibus frontem extudit.
At ille expirans: Fortes indigne tuli

2. *iocus.* Iocus et ludus pro re abiecta et levi, quae merito ludibrio haberi possit. Cic. pro Flacc. 5, *quibus iusiurandum iocus est, testimonium ludus, etc.* Sciopp.

2. Orell. *est etiam iocus.*

3. *Defectus annis*, confectus, debilitatus senectute.

5. *fulmineis.* Huic epitheto inest mirifica elegantia et vis. Sic saepe de apro poëtae. V. Interpp. Stat. Theb. VI, 865, *fulminei sues.* Dicuntur autem dentes aprorum *fulminei*, non a lucendo, sed a vi atque furore. — *fulmineis.* Recte dicitur aper fulmineis venisse dentibus, quem vetus ira, quem vis agit et furor. Mox ictu vindicat iniuriam, id est, fulminat hostem. *Chambr.* — *ad eum venit*, irruit in eum. De hac locutione, quae ut *ire in* vel *ad aliquem*, notat iratum animum, erudite disputavit Burmann. »*Venire*, inquit, *contra* vel *adversum aliquem* Ciceroni et aliis usitatissimum. Sed rarius est *venire ad aliquem.* Ita tamen Caes. B. G. VII, 70: *Galli perturbantur: veniri ad se confestim existimantes, ad arma conclamant.* Et saepe praepositio *ad* pro *in* poni solet. Liv. I, 5, *ad regem impetum facit.*

6. *ictu.* Proprie et Latine dici de morsu aprorum, Scheff. et Arn. probant ex Ovid. lib. VIII Met. 344, *obliquo latrantes dissipat ictu*; et Hor. lib. III, Od. XXII, 6 seqq. Praeterea notandum, *ictu* apte hic poni responsum ad fulmen vs. 5, et morsum apri.

9. *Extudit.* Haec locutio ad insolentiores referenda. — Delectat varietas: aper vindicat iniuriam ictu; taurus confodit cornibus; asinus frontem calcibus extundit. — Extundere, *tundere, broyer. Extundere, faire sortir de (ex) en broyant.* Nota, 1° compositum illud esse ellipticum; 2° hanc versionem, *faire sortir de*, nullatenus materialiter includi in τῷ *extundere*: sic sexcenties apud Graecos. Vid. I, XIX, 6; et apud Virg. *meditando extunderet artes.* G.

Mihi insultare; te, naturae dedecus,
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

FABVLA XXII.

MVSTELA ET HOMO.

Mustela, ab homine prensa, quum instantem necem
Effugere vellet: Parce, quaeso, inquit, mihi,
Quae tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: Faceres si causa mea,
Gratum esset, et dedissem veniam supplici:
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quas sunt rosuri, simul et ipsos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus improbam leto dedit.
Hoc in se dictum debent illi agnoscere,

11. *naturae dedecus*. Eleganter de Asino, ex quo formato natura non tam laudem meruit, quam dedecus.

12. *certe*, indubitato, sine dubio; si hanc interpretationem admiseris. Burmannus sic legas suadet, *quod ferre cogor certe* (*certo*) *bis videor mori*; quae ratio placet magnopere. Nec desunt, qui *certe* referant ad *videor*, *bis mori*; etsi nil loco suo moveant; talem enim σύγχυσιν etiam alibi occurrere censet. — *bis videor mori*. Vsitata locutio, pro magnum dolorem et acerbitatem ex indigna morte sentire.

12. Orell. *Quod ferre cogor, certe bis v. m.*

2. *parce*. Notandus elegans huius verbi usus, ubi aliorum animos mollire cupimus.

2. Orell. *Quaeso, parce.*

3. *muribus*, omissa praepositione *a*, quam alias solent apponere. Sic Pallad. in Apr. c. 8, *purganda alvearia sunt sordibus*.

4. *causa mea* elegantior et veteribus magis usitata locutio, quam *causa mei*. Ter. Heant. V, v, 23, *Syro ignoscas volo, quae mea causa fecit*.

6—8. *Nunc quia laboras*, sed quia non ideo in capiendis muribus operam ponis, ut gratum mihi facias, et domum purges; immo vero, ut absumas, quod a pridianis coenis fuit reliquum (*ut fruaris reliquiis*), *quas* mures *sunt rosuri*, utque ipsos simul devores; noli, etc. Sic omnia plana et aperta.

9. *improbam*, impudentem, audacem, ut lib. II, fab. I, 4.

10. *in se*, Ipsorum gratia. — 11. Sensus: qui quicquid agunt, rationibus suis consulunt, seu utilitatis pri-

Quorum privata servit utilitas sibi,
Et meritum inane iactant imprudentibus.

FABVLA XXIII.

CANIS FIDĒLIS.

Repente liberalis, stultis gratus est:
Verum peritis irritos tendit dolōs.
  Nocturnus quum fur panem misisset Cani,
Obiecto tentans an cibo posset capi:
Heus, inquit, linguam vis meam praecludere,
Ne latrem pro re domini? multum falleris.
Namque ista subita me iubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

vatae, non aliorum caussa agunt. Vsitatius, serviunt utilitati suae.

12. *Et iactant*, repetendum *qui*, quasi dixisset *et qui iactant.* Vid. *van Dorp* Observ. p. 12, ubi haec: *durior est locutio.* Sed plura eiusmodi apud hos posterioris aetatis scriptores sunt obvia, quae elegantiori aevi Augustaei stilo non conveniunt. Hac ratione *qui* saepe per ellipsin apud alios quoque omittitur. Iustin. lib. II, cap. 6: *Superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad regem Thessaliae Deucalionem ratibus evecti sunt*, pro *aut qui ad regem, etc.*

1 sq. Qui praeter spem et consuetudinem liberalis est, stultis quidem, credulis et imprudentibus, valde placet; sed rerum peritis frustra struit insidias, quia suspectus est.

4. *capi*, trahi in partes et ad silendum impelli.

4. *posset.* Sic Orell. Alii *possit.*

5. *linguam praecludere.* Proprie et eleganter. Similì modo Livius lib. XXXIII, c. 13, *inimicissimis omnibus praeclusisse vocem videbatur.* Burm. laudat Ovid. II, Met. 658, *linguaeque meae praecluditur usus.*

6. *pro re domini. Res* idem est, quod opes fortunae, res familiaris. Hoc sensu veteres usurpant saepissime. Sic Velleius *militare pro re civium*, ex emendatione Heinsii.

7. *benignitas.* Id est liberalitas.

8. *facias lucrum*, ne quid furto lucreris. *Scheff.*

FABVLA XXIV.

RANA RVPTA ET BOS.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam Rana conspexit Bovem,
Et, tacta invidia tantae magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an Bove esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Maiore nisu; et simili quaesivit modo,
Quis maior esset. Illi dixerunt, Bovem.
Novissime indignata, dum vult validius
Inflare sese, rupto iacuit corpore.

1. *Inops*, invalidus. Hoc sensu Liv. II, 1: *Nihil cum potentiore iuris humani relinquitur inopi.*

3. *tacta*, incensa, commota. Eleganter de subito motu. Ovid. Met. VII, 688, *tactus dolore coniugis amissae.*

6. *intendit cutem.* Burmannus explicat: inflando auxit et distendit. Verbum *intendo* pro *inflo*, Walch. de Stilo Phaedri p. 76, ad Latinitatem rariorem refert.

9. *Novissime*, tandem.

10. *rupto iacuit corpore.* Praeclare dictum, pro simplici *rupta est.*

FABVLA XXV.

CANIS ET CORCODILVS.

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.
  Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Corcodilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur quum currens bibere coepisset Canis,
Sic Corcodilus: Quam libet lambe otio,
Noli vereri. At ille: Facerem mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

FABVLA XXVI.

VULPIS ET CICONIA.

Nulli nocendum: si quis vero laeserit,
Multandum simili iure, fabella admonet.
  Ad coenam Vulpis dicitur Ciconiam

3. De Canibus in Nilo bibentibus v. Aelian. V. H. lib. I, cap. 4, et περὶ ζώων lib. VI, 53, adde Plin. H. N. lib. VIII, c. 40. Hinc iocus in Antonium apud Macrob. Saturn. I, cap. II: *post Mutinensem fugam quaerentibus quid ageret Antonius, respondisse familiaris eius ferebatur: quod canis in Aegypto; bibit et fugit.*

6. *lambe otio*, lambe quiete, sine festinatione, in otio, seu ut Liv. lib. XXVII, cap. 2, *per otium.*

7—10. Orell. sic:

† *Pota, accede: noli timere, sedulo*
Ait; at noli vereri inquit. At ille;
Facerem hercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum
meae.

2. *Multandum simili iure.* Recte explicant, simili modo vindictam sumere, par pari referre. Capiendum enim *simile ius* pro iure talionis. Vid. Rittersh. et Santoroc. *multare* autem, quod proprie de poena pecuniaria usurpatur, sumi solet de omni fere poena et malo, quo quis afficitur. Sic *damno, exsilio, morte, virgis, etc., multare*, apud optimos scriptores occurrit. Sed *multare simili iure* vix alibi reperias. Quare ista locutio referenda ad singularia poëtae.

3. Orell. *Vulpes ad coenam.*

Prior invitasse, et illi in patena liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia.
Quae Vulpem quum revocasset, intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, et torquet convivam fame.
Quae quum lagonae collum frustra lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

4. *patena*, antique, pro *patina*. Patenas, unde *patella*, passim dixerunt Veteres. Citat Burmann. Veget. de Mulomed. I, 56, 4, ubi *patena*, pro alveo, in quo hordeum equis apponitur. Sic, teste Scheffero, apud Col. XII, 43, 5, e Cod. MS. nonnullae editiones habent *patenarum*, pro *patinarum*, quod est in edit. Gesneri. Frustra vero est Bentleius, qui lagenam et patinam ambabus simul putat esse positas, quemadmodum egregie docet Burmannus. Nam si eodem tempore appositae fuissent, neutra habebat, quod quereretur, quum Vulpes ex patina, Ciconia ex lagena possent simul famem sedare. Sed totus fabulae ordo docet, Vulpem vocasse prius Ciconiam, nihilque illi posuisse, praeter sorbitionem liquidam in patena, unde quum nihil posset gustare Ciconia, sed vacuo ventre discessisset, illa alio die revocat ad coenam vulpem, cui ponit lagenam solam, plenam intrito cibo.

5. *Posuisse*, pro apposuisse. Proprie de ferculis.

7. *revocasset*. Verbum ad convivia pertinens, referendum ad *invitasse* vs. 4. Est vicissim vocare, qui nos vocavit. — *intrito cibo*. Plene ac proprie, quod alias simpliciter *intritum* dicitur (εμβροχὴ, ἄρτος ἔντρυπτος) fiebatque ex comminuto pane, macerato lacte, addito nonnunquam allio, caseo et similibus, unde et *alliatum* et *moretum* vocabatur. Sic Donatus ad illud Terentii Phorm. II, 11, 4, *tute hoc intrivisti*, ubi de moreto, seu allisto exponit: *proprie intrita dicitur huiusmodi cibus*.

9. *torquet*. Famis sensum acrem exprimit. Hinc eleganter vs. seq. *lambit collum lagonae*.

11. *Peregrinam volucrem*. Ciconiam *peregrinam* vocat, quia quotannis, statis temporibus, peregre abire et reverti solet.

FABVLA XXVII.

CANIS, ET THESAVRVS, ET VULTVRIVS.

Haec res avaris esse conveniens potest,
Et qui humiles nati, dici locupletes student.
Humana effodiens ossa, thesaurum Canis
Invenit, et violarat quia Manes Deos,
Iniecta est illi divitiarum cupiditas,
Poenas ut sanctae religioni penderet.

1 sq. *res.* Capienda haec vox pro ipsa fabula et referenda ad siogularia Phaedri. Alias vocat fabellam, uarrationem, exemplum.

2. *Et qui*, intellige, et *illis* qui. —*humiles nati.* Propter sequens *locupletes* intellige pauperes, non humili loco natos.— *dici*, esse. Veteres enim nonnumquam verba *dici*, *vocari*, *appellari*, *incedere* usurparunt pro *esse*. Ita et Graeci posuerunt καλεῖσθαι pro εἶναι.

3. *Canis effodiens ossa*, cibi gratia. Anonymus Nil. canem et vulturem humana ossa effodisse narrat. Vid. vs. 8. —*thesaurum.* Sepulcris illatae sunt non vestes solum aliaque ornamenta, quae dilexerant homines; sed et aurum et magna plerumque nummorum copia pro cuiuslibet arbitrio condita est, adeo quidem, ut Romani lege sancirent tandem, ne cum mortuis sepelire pecuniam liceret; quemadmodum etiam ornamenta cum corporibus condi non oportere, sanxerunt leges. Istum morem aperte tangit Plautus Pseud. I, IV, 19, 20: *Ex hoc sepulcro vetere viginti minas Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.* Huc etiam referendus locus *Philostrati* de Vita Apollonii Tyan. lib. VII, 23, *εἰ μὲν ἀφ᾽ ὧν οὐ θεμιτὸν πλουτῶν, οἷον λῃστείας, ἢ φαρμάκων....ἢ τάφους ἐκίνησας, ὅσοι τῶν πάλαι βασιλέων εἰσὶν οἱ πολύχρυσοί τε καὶ θησαυρώδεις*, etc., ubi vid. Olearius. Factum hoc cum luxus, tum securitatis gratia. Quarum rerum cupiditate illecti qui sepulcra effodere, et eas inde clam tollere non verebantur, atque ita pacem Deorum Manium sollicitabant, τυμβώρυχοι dicti sunt. Hoc autem qui facerent, Sepulcri religionem violabant. Tale crimen in Cod. Theod. *proximum sacrilegio* dicitur. Vid. Kirchmann, de Fun. lib. III, c. 24, et Gutherius de iure Manium, lib. II, c. 32.

4. *violarat Manes Deos.* Sepulcra antiquitus Dis Manibus sacra, et thesauros in iis abditos in Deorum Manium tutela fuisse, nota res.

5. *Iniecta est*, immissa est, intellige a Diis iratis et ultoribus. Cum emphasi dictum.

6. *Religio* hoc loco idem est, quod res religiosa, i. e. locus religiosus, vel religione sanctus, seu sepulcrum. Namque ubique apud Phaedrum eiusmodi locutiones, quae universe efferuut, quod ad suas formas referendum est. Dicitur autem vox *religio*

Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi,
Fame est consumtus; quem stans Vulturius super
Fertur locutus: O Canis, merito iaces,
Qui concupisti subito regales opes,
Trivio conceptus, et educatus stercore.

FABVLA XXVIII.

VULPIS ET AQVILA.

Quamvis sublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet solertiae.
  Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,
Nidoque posuit pullis, escam ut carperent.
Hanc persecuta mater orare incipit,
Ne tantum miserae luctum importaret sibi.
Contemsit illa, tuta quippe ipso loco.
Ab ara Vulpis rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis.

de omnibus iis, quae religiose debent coli, custodiri et observari. Sic de iureiurando, de iudice, sacris, caerimoniis, etc.

1. *Quamvis*, quantumvis.

2. Sensus: quia homines callidi facile inveniunt occasionem vindictae. *Solertia* h. l. capienda pro dolo, calliditate, et idiotismo sollemni, pro callidis.

3. *sustulit.* Proprie de raptu avium, quia secum tollunt in sublime. — *posuit*, apposuit, scilicet catulos. — *carpere* proprium animalibus, quae pascuntur. Cic. de N. D. II, 47: *alia animalia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt.* Cui loco adde locum Ovid. quem Burm. affert Amor. III, v, 27. Sed hic *carpere* est, per partes dividere, discerpere; quod est fortius, quam si simpliciter dixisset, ederent. Ovid. lib. III A. A. 755, *carpe cibos digitis.* De vario usu huius verbi v. Lambin. ad Hor. I, Od. xi, 8, quem Burm. laudat.

5. *persecuta.* Notat sollicitudinem et festinationem. Ter. Phor. III, iii, 18: *quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi.*

8. *Ab ara.* In graeca Aesopi fabula narratur, quosdam in agro capram sacrificasse: hinc ara.

8. Orell. *Vulpes ab ara.*

10. Versus obscurus et dubiae interpretationis! Accedo Desbillonio,

Aquila ut periclo mortis eriperet suos,
Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

FABVLA XXIX.

ASINVS IRRIDENS APRVM.

Plerumque stulti risum dum captant levem,
Gravi distringunt alios contumelia,
Et sibi nocivum concitant periculum.

qui ita interpretatur: hosti caussam dolendi parans ipso etiam sanguinis, sive catulorum suorum damno. Comburi enim non poterat arbor a vulpe, ita ut ipsius catuli non simul flammis consumerentur. — *Sanguis* poni pro stirpe, prole, nota res.

11. *suos*, pullos. — 12. *natos*. De avibus et bestiis, ut Phaedrus passim.

1. *risum captant levem*. Captare risum, est, aucupari, totum in eo esse, ut risum moveamus, vel concitemus. Contextus fabulae docet, haec esse intelligenda de stultis, qui facetiis et iocis, sale non conditis, efficere student, ut levis risus oriatur.— 2. *distringunt*, afficiunt. Verbum baloeorum est, et idem quod strigili radere. Plin. III, Ep. 5: *dum distringitur tergiturque, audiebat aliquid*. Hinc ad frictiones transfertur, quae fiunt acrimonia verborum (*durch hecheln*). Sic infra lib. IV, fab. VII, 1: *Tu qui scripta distringis mea*, et Ovid. II Trist. 563: *non ego mordaci distrinxi carmine quemquam.* — *contumelia*. Levior iniuria. Non potero rem melius declarare, quam si ponam quaedam Senec. de Const. Sap. c. 4: *dividamus iniuriam a contumelia. Prior illa natura gravior est, haec levior, et tantum delicatis gravis, qua non laeduntur, sed offenduntur*. Et c. 10: *contumelia est minor iniuria, quam queri magis, quam exsequi possumus, quam leges quoque nulla dignam vindicta putaverunt. — Ille me hodie non admisit, quum alios admitteret; sermonem meum aversatus est; aut palam risit, et non in medio me lecto, sed imo collocavit.* Contumeliam graviorem iniuria videri hominibus, multis comprobavit exemplis summus Gesnerus. *Patior facile iniuriam, si est vacua a contumelia*, Pacuv. apud Non.

3. *nocivum*, nocens, noxium. Bentleius de Latinitate huius vocis dubitat, substituens *vicissim*. Sed Harius, praeter Plinium Hist. Nat. XX, 2 ext. Ovidium quoque ea usum esse docet, Remed. 45. Labente tamen Latinitate, qua Phaedrus scripsisse putandus est, adiectiva hac forma frequentius usurpari coepta sunt. Et apud Phaedrum passim occurrunt. Sic lib. III, fab. III, 10, *insitivus*. Petron. c. XXXIII, *absentivus*. V. Burm. — *concitant sibi periculum*, se adducunt in periculum. Ita Cl. Schwabius aliique. Sed sic nullatenus exprimunt vim praeposi-

Asellus Apro quum fuisset obvius,
Salve, inquit, Frater. Ille indignans repudiat
Officium, et quaerit, cur sic mentiri velit?
Asinus demisso pene: Similem si negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.
Aper quum vellet facere generosum impetum,
Repressit iram, et: Facilis vindicta est mihi;
Sed inquinari nolo ignavo sanguine.

tionis *cum.* Excitare (ciere ex) significat, *faire sortir de.* Incitare, *pousser dans.* Verum maior certe vis et energia τοῦ *concitare sibi periculum:* quod quidem mihi stultum repraesentat, *pro virili parte*, totum in id incumbentem ut se incitet ad periculum; ac proinde, consmioe infeliciore, sibi concitantem periculum. *G.*

5. *Salve, Frater.* Haec verba in ore asini, dici non potest, quantum habeant iucunditatis. Simili modo vulpis ad corvum Fontanii: *eh! bonjour, monsieur du Corbeau! — indignans.* Indignatur, se tam familiariter appellari ab eo, quem contemnebat.

6. *mentiri velit*, eleganter dictum pro, cur sic mentiatur. Haec increpationem innuunt, ut lib. III, fab. VI, 2, observante Scheffero ad h. l. et de Re Vehic. lib. I, c. 17, p. 223. Simili modo Plin. lib. IX, Ep. 17: *vis tu remittere aliquid ex rugis?* ubi vim habet admonendi. Vid. Gesnerus ad h. l. τὸ *velit* igitur neque abundat, neque destinatum animi consilium indicat, quod vult Prasch. Blandius tamen esse, quam si diceret, cur sic mentiatur, notat Passerat. ad Prop. II, El. 2 in fin. teste Burmanno.

7. *demisso pene*, promisso, exserto.

8. *hoc*, i. e. penis, δεικτικῶς capiendum.

9. *generosum*, dignum genere et ortu, fortem.

FABVLA XXX.

RANÆ METVENTES TAVRORVM PRÆLIA.

Humiles laborant, ubi potentes dissident.
Rana, in palude pugnam Taurorum intuens,
Heu, quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu quum decertarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boves:
Est statio separata, ac diversum genus;

1. *Humiles*, cives, seu potentibus subditi. — *laborant*, affliguntur, periculo obnoxii sunt.

2. *pugnam Taurorum*. Docte de hac re disputat Erasmus in Adagio. *Abiit et taurus in silvam*, ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν, p. m. 39, ubi vide. Tauri nimirum nonnumquam a vaccarum armentis secedebant, et aut reliquis aggregabantur tauris, aut solitarii per nemora vagabantur, nullo feminarum desiderio tacti. Eum secessum eumque vaccarum neglectum peculiari verbo vocabant ἀτιμαγελεῖν (Vid. Theocriti Schol. IX, 5. *G.*). Hunc animantis morem simulque vocem ipsam ei tributam rei, demonstrat Aristoteles lib. VI, c. 22 Hist. Anim. ubi vid. Scaliger. At quum tempus coitus adesset, tum demum taurus incipiebat communibus cum vaccis pascuis uti, neque ei conveniebat cum reliquis taurorum armentis, sed cum iis de vaccis certabat, quod non solum in tauris accidere, sed in feris ferme omnibus testatur Aristoteles l. c. Non pauca Burmann. et Gronov. commemorant loca, obvia ap. poëtas de hac pugna taurorum et regno saltuum: e. g. Apollon. Rhod. II, 88, ad quem loc. Brunck. V. C. laudat Ovid. Met. IX, 42 sqq.; Stat. Theb. II, 323; VI, 861; Virg. Ge. III, 220 sqq.; Aen. XII, 716 seqq. Quibus adde pulchram descriptionem eiusmodi pugnae ap. Oppian. In Cyneg. lib. II, vs. 43—82, ubi v. Commentar. Rittershus. pag. 51 sqq. Victi tauri in silvam ac sola loca sese proripiebant, ubi recuperabant vires, quemadmodum Rittershus. docuit ad Oppian. loc. cit.

5. *decertarent*, i. e. decretoria pugna certarent.

5. Orell. *quum illi certarent.*

7. *Est statio separata*. Sunt verba alterius ranae, quae hunc habent sensum: tauri quidem (subaudienda enim particula *quidem*, ut lib. II, fab. I, 11, 12) loco a nobis diverso ac secreto vivunt; illi vivunt in nemoribus et campis, nos in aqua latemus (vs. 9), sed, etc. Dixit autem *statio* pro sedibus, i. e. pascuis, quibus boves degunt, ut Virg. Ge. lib. IV, 8, *principio sedes apibus, statioque petendae.*

Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in secreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

FABVLA XXXI.

MILVUS ET COLVMBA.

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.
Columbae saepe quum fugissent Miluum,

9. *secreta latibula.* Abundare videtur *secreta*, i. e. disiuncta, solitaria. Inest enim in τῷ *latibula*, fere ut *liquida sorbitio* lib. I, fab. XXVI, 4 sq. Clar. Tzschuck. tamen vult, poëtam intendere voluisse notionem. *Latibula* de feris et bestiis, ut lib. II, fab. VIII, 1.

10. Ornate et graphice, pro, proculcabit nos ranas. Est lucida descriptio periculi ex re ducta (vs. 1) quo et pertinet *furor* vs. sq. *Tzsch.*

11. *ita.* De eleganti huius particulae usu, pro, hac ratione, hoc modo, hac conditione, hoc tempore, vid. Ernesti Rhet. pag. 148. Respicit autem ad interrogationem v. 4 sqq. quare et quomodo ipsis tantum malum possit imminere, ut iam Scheffer. notavit. — *pertinet.* Huius verbi elegantiam, pro, eo usque se porrigit, pertingit, recte observant Scheff. et Burm. nempe quia sermo est de capite, et antecessit *longeque ab illis degerent.* Apte Burm. affert locum Liv. lib. I, cap. 10: *ad quos eius iniuriae pars pertinebat.* Proprio sensu legitur apud Cic. N. D. II, 55: *venae in omnes partes corporis pertinent.* Sic alibi saepe. — *Caput* pro vita et salute. Sic lib. I, fab. XIV, 15, et lib. III, fab. III, 7. Sensus: a pugna taurorum nostra pendet vita. —*Caput ita.* Orell. *Ita caput.*

3 sq. *fugissent... vitassent.* Haec duo verba Burmannus idem h. l. notare existimat, quod *effugissent* et *evitassent*, per poëtarum nempe licentiam, verba, quae idem fere notant, variandi. At ista variandi licentia a Phaedri succincta brevitate longe abest. Hinc intelligo *fugissent* de ipso conatu effugiendi; *vitassent* vero explico de effectu, pro, evitassent, effugissent. Sed qui fugit, non semper evadit; propterea addit Phaedrus, *vitassent necem.* Senec. Epist. V: a ferae pericula, quae vident, *fugiunt*, quum *effugere* securae sunt. » Et de Tranquill. An. c. II, quum attulisset illud Lucretii, *Hoc se quisque modo semper fugit*, addit: » sed quid prodest, si non *effugit?* » Et Ovid. Met. I, 506: *Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae*, in quo *penna* pro

Et celeritate pennae vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius aevum ducitis,
Quam regem me creatis icto foedere,
Qui vos ab omni tutas praestem iniuria?
Illae credentes, tradunt sese Miluo;
Qui, regnum adeptus, coepit vesci singulas,
Et exercere imperium saevis unguibus.
Tunc de reliquis una: Merito plectimur.

pennis ponitur, ut *celeritate pennae* vs. 4. Hisce in locis, quae produxit Burmannus, *fugere* de conatu fugiendi capitur; *vitare* vero, quod aliis in locis est conari effugere, ut lib. I, fab. XIX, 4 sq. *vitare insidias*, lib. II, fab. IV, 22, *aper rapinam vitans*, h. l. significat, evitare, effugere. Sall. Bell. Iug. cap. 76: » proditionem timebat, quam *vitare* posse celeritate putabat. « Atqui columbae, quae fugerant milvum, et celeritate pennae vitaverant necem, postea ei se credere poterant. Non satis accurate Interpretes quum Germanorum, tum Gallorum, haec vertisse mihi videntur.

7. Quare vitam agitis sollicitam? Hor. lib. I, Ep. xviii, 93: » percontabere doctos, Qua ratione queas *traducere* leniter *aevum*.

8. *icto foedere*. Icere, ferire foedus veteres dixerunt, pro facere. Ratio inde orta, quod inter ceteras ineundi foederis caerimonias etiam porca diis caedebatur.

10. *credentes*. Absolute hic positum, pro *credulae*.

11. *caepit vesci*. Vid. ad lib. I, fab. II, 8 Verbum *vesci* cum accusativo apud quosdam reperitur. Plin. lib. X, 38: *Aves nonnullae vescuntur ea, quae rapuere pedibus*. Id. lib. VIII, 50: *si caprinum iecur vescantur*. De Constr. huius verbi Burm. laudat Brouckhus. ad Tibull. II, El. V, 63 sq. vid. etiam Voss. de Constr. cap. 22, et Walchii Diss. de stilo Phaedri pag. 76.

PHAEDRI
AVGVSTI LIBERTI
FABVLARVM AESOPIARVM
LIBER SECVNDVS.

AVCTOR.

Exemplis continetur Æsopi genus,
Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque sese diligens industria.

1—4. Dabimus huius loci interpretationem, quae Burmannum habet auctorem, et quam unice putamus veram. Genus scribendi, quo usus est Aesopus, continetur, continet se intra sola exempla, i. e. fabulas fictas, nec alius ipsi, et iis qui eius exemplo hoc scribendi genus secuti sunt, finis propositus (vs. 2), quam ut corrigatur error mortalium, et acuat se diligens industria. Recte nempe putat Burmannus, in hac Praefatione Phaedrum sibi munire viam, qua se defendat contra eos, qui culpare vellent, quod, quum in praefatione lib. I professus esset, se polire tantum materiam repertam ab Aesopo, nunc tamen quaedam sit immixturus, non ex fabulosa antiquitate, sed quae memoria facta erant sua (veras historias), de quibus mox vs. 9 sq. Obiicere ergo poterant invidi, non dare illum fabulas Aesopias, sed narrare historias etiam veras. Vid. e. c. lib. II, fab. V. His occurrit fatendo, Aesopi quidem genus solis absolvi fabulis, contineri illis, non egredi fines illos, auctori propositos, sed quum earum finis sit, corrigere errorem mortalium, nihil debere lectorem interesse, an fabulas, an facta legat, dummodo finem Aesopi et propositum servent, aurem capiant, et suavitate et varietate delectent aeque verae historiae ac fabulae lectores; eo magis, quod nec longo ambitu narret ea, quae acciderint, sed brevitate eas faciat fabulis similes: se ergo servaturum dicit morem Aesopi; sed si libido ei venerit, aliquid de suo interponendi, ut aequi

Quicunque fuerit ergo narrantis iocus,
Dum capiat aurem, et servet propositum suum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem servabo senis;
Sed si libuerit aliquid interponere,

bonique consulat lector, rogat.—*Aesopi genus*, hac voce, quae absolute posita, immerito offendit interpretes, intelligit genus scribendi Aesopi, quo ille usus est, i. e. fabulas fictas; quae interpretatio firmatur vs. 2. Pulcbre hanc locutionem explicavit Desbillonius. Cic. lib. II, de Or. cap. 21 memorat *genus Crassi magnificum atque praeclarum*, quod genus dicendi esse, ex orationis contextu facile intelligitur. Phaedrus autem quum in Prologo lib. I, et fabula III, 3, quodnam sit genus, in quo se exerceret Aesopus, satis ostendisset, nunc poterat id leviter indicare. Sed et Prol. lib. IV, 13, de hoc eodem genere loquens, verba etiam paulo minus significantia adhibet, dum se usum esse dicit *vetusto genere*. Nam Aesopi est vetustum illud scribendi quidem genus.—*continetur*. Omne Aesopi scribendi genus versatur in explicandis exemplis, seu fabulis fictis, et his quasi finibus continetur. — *acuat sese diligens industria*. Intelligit industriam in investigando fabulae sensu adhibendam. *Industria* et *diligentia* quomodo differant, docet Cic. Verr. I, 6: « quo in negotio *industriam* meam celeritas reditionis, *diligentiam* multitudo litterarum et testium declaravit. » *Diligens* igitur non est otiosum, quod male putabat Iortinus l. c. quum non omnis industria sit diligens.

5. Sensus satis apparet ex iis, quae supra diximus; qualiscunque fuerit iocus, sive fabula ficta, ex Aesopio genere, sive historia vera, in fabulae modum, ex inventione Phaedri narrata, debet re, non auctoris nomine commendari.

5. Orell. *narrandi iocus*.

6. *Dum*. Dummodo.—*capiat aurem*, teneat, oblectet, suavitatis sensu e fabulis. — *servet propositum suum*, in proposito maneat idemque assequatur; dixerat enim, scopum fabularum esse, *corrigatur error ut mortalium*.

7. *Re*, elegantia narrationis, quae capit aurem, ipso argumento fabulae et salubritate praeceptorum, ad vitam moresque pertinentium. — *commendatur*, non auctoritate scribentis, *auctoris nomine*.

8. Equidem servabo *morem*, consuetudinem, *senis*, Aesopi, quem etiam lib. III, fab. III, 14, appellat *naris emunctae senem*, praecepta vitae fabellis fictis tradendi; ita quidem, ut materiam, ab eo repertam, versibus senariis polire pergam.

9—11. De hoc loco lege fusam et eruditam Burmanni disputationem. Sensus: Si commodum visum fuerit, inserere aliquid ex iis fabulis, quas ipse invenero, i. e. quae continent veras historias, ut fab. V h. l.; lib. III, fab. X; lib. IV, fabb. V, XXI, XXIV; lib. V, fabb. I, V, VII, quo forte etiam referendae fabulae, quae nondum reperiuntur in Graecis: eam potissimum ob causam, ut varietas eorum, quae dicuntur, i. e. fabularum, sensus lectorum delectet; bonam

Dictorum sensus ut delectet varietas,
Bonas in partes, Lector, accipias velim,
Ita, si rependet illam brevitas gratiam;
Cuius verbosa ne sit commendatio,
Attende, cur negare cupidis debeas,
Modestis etiam offerre, quod non petierint.

FABVLA I.

IVVENCVS, LEO ET PRÆDATOR.

Super iuvencum stabat deiectum Leo.
Praedator intervenit, partem postulans:
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
Et improbum reiecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum,

in partes, Lector, accipias velim. Nescio enim, an simul respiciat, quod vult Schirachius Clav. P. I, p. 100, scribeos: *modeste sic vocat quoque artificiosam suam narrandi rationem atque elegantiorem; non enim ita planus esse ac Aesopus in narrando esse voluit, sed paululum polivit. Hinc orta est dictorum quaedam varietas, atque elegantia placens.* — *sensus delectet*, subaudi, lectorum.

11. 12. Orell. *velim.* †*Ita sic rependet illi brev. gr.*

12. Ex interpretatione Burmanni sensus versus hic est: *ita*, ea lege, conditione benigne interpreteris, lector, *si brevitas* historiae narrandae *rependet*, compensabit, *illam gratiam*, nimirum quod tam benevolus sis, ut ea, quae sum interpositurus, bonam in partem accipias.

13—15. Quam ipsam brevitatem ne commendem verbosius, attende, etc.

1. *Stare* superbi victoris esse, notat clar. Tzchucke, praeeunte Scheflero. Ideo et tali habitu victores vulgo depinguntur. — *deiectum.* Proprie hoc verbum usurpant de victis et oppressis in venatione et bello.

2. *partem postulans.* Quaerunt interpretes, quo iure postulaverit partem iuvenci. Sed eiusmodi quaestiones in praedatore (venatore) videntur superfluae, in quo iuris colorem non est quod valde urgeas.

4. *improbum*, praedatorem impudentem, audacem. — *reiecit.* Nota delectum verbi, quod non tam contemtum, quam impetum et minas indicat. — *innoxius* active, qui nocet nemini, ut recte Scheffer. Huic opponitur praedator. Burmannus apte memorat locum Curtii lib. III, xi, 4: *tela innoxia in humum cadebant.* Plin. H. N. VIII, 31, *innoxii morsus.*

5. *deductus*, pervenit. Eleganter de

Feroque viso retulit retro pedem.
Cui placidus ille: Non est, quod timeas, ait.
Et, quae debetur pars tuae modestiae,
Audacter tolle. Tunc diviso tergore,
Silvas petivit, homini ut accessum daret.
Exemplum egregium prorsus et laudabile;
Verum est aviditas dives, et pauper pudor.

FABVLA II.

ANVS DILIGENS VIRVM MEDIÆ ÆTATIS, ITEM PVELLA.

A feminis utcunque spoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis discimus.

eo, qui non consulto in aliquid incidit.

7. *Non est quod timeas;* pro, non est quidquam, propter quod. Ellipticum genus, optimis scriptoribus familiare, de quo vid. Vorstius de Constr. 19. *Scheff.* — Graeca imitatione οὐκ ἔστιν ὅπως. Mart. XII, 38: *non est quod timeas, Candide.* Ter. Andr. II, vi, 17: *est quod succenseat tibi.* Heaut. I, ii, 4: *nihil est quod verears, Clinia*; et IV, vi, 6: *nihil est, illic quod moremur diutius.* Pro variis rebus, de quibus agitur, subintelligi debent causa, ratio, facultas, animus, casus et similia. *Burmann.*

10. *ut accessum daret.* Quo liberius et sine metu accedere posset viator.

12. *Est aviditas dives, etc.* Sine dubio commune dictum, quod ad sua tempora retulit Phaedrus, ut saepe alibi. Idem dicunt illa Martialis V, 81 Bipont. *Semper eris pauper, si pauper es Aemiliane, Dantur opes nulli nunc nisi divitibus:* et idem, quod lib. V, fab. IV, 9, *qui rapuere divitias, habent.* *Burm.* Sensus: at hocce tempore avidi sunt divites, verecundi et modesti pauperes.

2. *nempe.* Singularis quaedam vis inest huic particulae, quam male iungunt nonnulli cum *amentur.* Ironiae, vel sarcasmi indicium esse, recte putat Burmannus, ut dicat Phaedrus, quum hoc sit quotidianum, viros a feminis exspoliari, nec quisquam, qui quotidie hoc accidere videt, ignorare debeat, quasi hoc non sufficeret, exemplis, i. e. fabulis hoc etiam discere debemus. Quum enim fabularum usus sit, ut ea, quae vel ignorant homines, vel quae per praecepta deberent discere, quasi videant et tangant manu per exempla, vix opus esset hoc docere per fabulas, quia usus quotidianus satis superque monstrat. Schirachio interprete Clav. P. I, pag. 238, *nempe*, consensum magis in eo, quod iam dictum est, declarat, hoc sensu: hoc sane certum est, quid enim? exemplis comperimus et usu. Sic fere

Ætatis mediae quemdam mulier non rudis
Tenebat, annos celans elegantia:
Animosque eiusdem pulchra iuvenis coeperat.
Ambae, videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere coepere invicem.
Quum se putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus est: nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

Scheffer. Cl. Tzschuck. explicat *utique*, ita ut ironiae inserviat. Non pauci hanc particulam prorsus neglexerunt.

3 sq. *mulier non rudis.* Honesta meretricis circumscriptio, quae longo usu artes meretricias probe callebat. Sic Helena apud Ovid. Ep. XVII, 141: *sum rudis ad Veneris furtum*: et ita II Amor. IV, 48, *rudis* dicitur simplex puella. *Burm.* — *tenebat.* In sua potestate habebat, vinculis amoris obstrictum sibi tenebat. Eleganter et proprie hoc verbum de amantibus et meretriclis amoribus usurpari, docte et fuse ostendit Gudius. — *annos celans elegantia;* comtu et cura corporis, cultu atque ornatu exquisitiori celare studens senectutem, seu aetatem ingravescentem. Praeclare h. l. illustravit Burmann. *Elegantes* nempe apud Romanos antiquitus dicebantur, qui nimis lecto amoenoque cultu victuque essent.

5 *Animosque.* Alias de pluribus dicitur; sed Burmannus probat, de uno etiam homine dici a scriptoribus. Ovid. Met. II, 39: *et hunc animis errorem detrahe nostris;* Trist. V, 1, 23: *Quod superest animos ad publica carmina flexi.* Ita alibi; non igitur opus est emendare *animum.*

6. *videri volunt pares,* aetate, specie. — *legere,* evellere. Proprie et eleganter hic, quia seligebant una canos, altera nigros (singulatim) evellendos, quomodo *flores legi* Virgilio dicuntur. Ovid. Art. II, 666: *albentes iam legit illa comas*, ubi vide Heinsium. *Scheff.* — *fingi*, ornari, scilicet quoad capillos. Virg. Aen. IV, 148: *mollique fluentem fronde premit crinem fingens.* Ovid. A. A. I, 306: *quid fingis inepta comas?*

8. Orell. *Qui se putaret.*

9 sq. *funditus evellerat.* Prop. III, Eleg. ult. 33: *vellere tum cupies albos a stirpe capillos.* Burm. Ad hoc plumbeis utebantur pectinibus, teste Freinshemio. Evellebant autem canos ornatus causa, quod docet historia Iuliae, evelli sibi canos curantis, cui supervenit Augustus, quam narrat Macrobius, teste Rittershusio. — *canos... nigros.* De crinibus coloratis haec non sunt intelligenda, quod volunt nonnulli: id quod docet fabula graeca; qua vocatur *ἀνὴρ μεσοπόλιος*, semicanus; Ignatius vero fab. XXIV: *ἐρωμένας δύ' εἶχεν ἀνὴρ μιξόθριξ.* Neque obstat, quod mediae aetatis vir canos habeat; nonnulli enim mature habere solent.

FABVLA III.

HOMO ET CANIS.

Laceratus quidam morsu vehementis canis,
Tinctum cruore panem misit malefico,
Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Æsopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Quum scierint esse tale culpae praemium.
Successus improborum plures allicit.

FABVLA IV.

AQVILA, FELES, APER.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat:
Feles cavernam nacta in media pepererat:
Sus nemoricultrix fetum ad imam posuerat.

1. *vehementis*. Vehemens est ira concitatus, seu *acer*, ut l. III, fab. VII, 18. Nam *vehemens* et *acer* saepe iunguntur. Cic. pro Caecin. 10, *qui quum ita vehemens acerque venisset*; Idem II de Orat. 43: *potest inflammari animus iudicis acri et vehementi quadam incitatione*. Rigaltius *vehementem* canem interpretatur rabiosum. Praeterea notandum, *vehemens* h. l. esse dissyllabum.

2. Orell. *(im)misit*.

3. *remedium*, superstitiosum scilicet.

7. Graecus haec ita expressit: οἱ πονηροὶ τῶν ἀνθρώπων εὐεργετούμενοι μᾶλλον ἀδικεῖν παροξύνονται. Sensus: improbi quum vident, quod maleficia sequantur praemia, plures alii ad mala alteri inferenda invitantur.

1—3. *in sublimi quercu*, in cacumine quercus. Sic enim haec capienda esse, docent sequentia, *in media, ad imum*, i. e. imam arboris partem. Lib. III, fab. XIII, 1, dixit *in alta quercu*, et lib. I, fab. XIII, 4, *celsa residens arbore*. — *Sus nemoricultrix*. Vox poëtica, quae alibi non reperitur; mox dixit *aprum insidiosum* v. 9, sed v. 12, *setosam suem*. Nota variationem eiusdem rei. Est autem *nemoricultrix* more Graecorum composita vox, quibus ὀρικτίτης (a κτίζω), ὀρείοικος et ὀρεινόμος, de quibus vid. Vechneri Hellenolexiam ab Heusingero editam, et Burmann. ad h. l. Est ut *pietaticultrix* apud Petron. cap. 55, et *cerva silvicultrix* et *aper nemorivagus* Catulli Ep. LXIII,

Tum fortuitum feles contubernium
Fraude et scelesta sic evertit malitia.
Ad nidum scandit volucris. Pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan et miserae mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Vt nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuso et perturbatis sensibus,
Derepit ad cubile setosae suis:
Magno, inquit, in periclo sunt nati tui,
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam complevit locum,
Dolosa tuto condidit sese cavo;
Inde evagata noctu suspenso pede,

72. Ad quam analogiam Phaedrus forte formavit *nemoricultrix*, quemadmodum Propert. lib. III, xi, 34, Bip. dixit *viros silvicolas*, teste Burmanno. Offendit aures ter repetitus sonus in *fecerat, pepererat, posuerat*, ut iam olim notavi.

3. Orell. *nemoris cultrix*.

4. *fortuitum contubernium*. Contubernium est tabernaculi societas, estque proprie militum. Deinde est cohabitatio extra militiam, ut hoc loco; ut sensus sit, forte ita acciderat, ut tres diversi generis bestiae una habitarent et quasi contubernales essent.

5. *scelesta malitia*. Epitheton *scelesta* abundare videtur Iortino in *Tracts philological and critical*, Vol. II, p. 297, malitiae notionem tamen recte credi potest augere. — *evertit*. Apte hoc verbo utitur, quia sedes aquilae et apri, i. e. quercus peti dicuntur.

9. *Aprum insidiosum*. Sus eadem illa est, quam Phaedrus vs. 3 *nemoricultricem*, et vs. 12, *setosam* vocat. Aper videlicet aeque feminam potest ac marem significare. Epicoena autem vocantur eiusmodi nomina. Eodem modo Virg. Aen. II, 356, lupos feminas vocat raptores Lupos.

11. *Terrore offuso*, intellige aquilae, quae hoc versu manifesto respicitur. *Offundere terrorem* est, terrere; terroris vero magnitudinem indicant sequentia, *perturbatis sensibus*.

12. *Derepit*. Deorsum repit. Plin. H. N. VIII, 36: *ingrediuntur et bipedes; arborem aversi derepunt*.

16. *locum*. Cubile suis intelligit. — *complevit locum*. Sic vertas: *elle eut rempli* TOUT *ce lieu d'épouvante*, ut vim reddas praep. *cum*. Vid. I, XII, 7, *conterritus*; I, XVII, 8, et I, XXIV, 2, *conspexit*. G.

18. *suspenso*. Recte Schefferus, leni, tacito, ut ambulans non posset audiri. Nota delectum epitheti. Ter. Phorm.

Vbi esca se replevit et prolem suam,
Pavorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis desidet;
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia sunt consumti cum suis,
Felique et catulis largam praebuerunt dapem.
Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

V, v, 28: *suspenso gradu placide ire perrexi.* — *suspenso gradu*, calliditatis et doli notatio, quam etiam adiuvant *noctu* et *prospicit toto die*. Tzsch.

20. *prospicit*, velut et ipsa non auderet egredi, et observaret molitiones scrophae.

21. *ruinam*, casum arboris (vs. 8-10). — *desidet*, otiosa sedet. Hoc sensu occurrit apud Sueton. Caes. 4: *vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere... videretur, ab Rhodo... transit in Asiam.* Ter. Hec. V, III, 2: *frustra ubi totum desedi diem.* Innuit autem ignaviam ex pavore, notante iamiam Scheffero.

22. *vitans*, qui conabatur effugere. Vid. ad lib. I, fab. XXXI, 3 sq. — *vitans* pro *conans effugere*. Sic saepius graece, verbum significat non actum, sed voluntatem, conatum, etc. *G.*

23. *quid multa?* Formula, quum rem in pauca conferimus.

24. *catulis*. Mire variat eamdem rem! *fetus* (v. 3); *progenies* (v. 10): *nati, tener grex* (vs. 13, 14); *porcelli* (vs. 15); *proles* (vs. 19); *catuli* (vs. 24). — *dapem*. Vid. lib. II, fab. VI, 15.

24. Orell. *Felisque catulis.*

25. *concinnet*. Fingendo et comminiscendo inferat (*anstifte*). *Desbill.* Quum hoc verbum a cura crinium, qui in cinnos componuntur, aut aliis rebus, quae permixtione aliarum rerum adornantur, ait desumtum, hic malum multa arte et dolo paratum notat. Ita *concinnare vinum* Catonem dixisse, observat Plin. XIV, cap. 20, quod est varie condire. Ita *spoliatum crinibus vultum concinnare*. Petronio c. CXIII est, fictitiis comis ornare. *Concinnare ingenium* Senec. Ep. VII, et *concinnare corpus* Ep. XXX. *Burmann.* Festo auctore, *concinnare* est apte componere.

26. *stulta credulitas*. More suo, pro stulte creduli.

FABVLA V.

CÆSAR AD ATRIENSEM.

Est ardelionum quaedam Romae natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta et aliis odiosissima:
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Vera fabella: pretium est operae attendere.
  Caesar Tiberius quum petens Neapolim
In Misenensem villam venisset suam,
Quae monte summo posita Luculli manu,
Prospectat Siculum, et despicit Tuscum mare;
Ex alticinctis unus Atriensibus,

1—6. Cum pulchra hac ardelionum descriptione compara, quae scribit Seneca de Tranq. An. c. 12: *circumcidenda est concursatio, qualis est magnae parti hominum, domos et theatra et fora pererrantium. Alienis se negotiis offerunt, semper aliquid agentibus similes. Horum si aliquem, exeuntem domo, interrogaveris: quo tu? quid cogitas? respondebit tibi: non mehercule scio, sed aliquos videbo, aliquid agam. Sine proposito vagantur, quaerentes negotia; nec quae destinaverunt, agunt, sed in quae incurrunt*, etc. Cui loco adde Sidon. lib. V, Ep. 20. Graecis dicuntur πολυπράγμονες. Martial. II, VII, 8: *Nil bene quum facias, facis attamen omnia belle: Vis dicam qui sis? magnus es ardelio.* — *ardelio* ab *ardela* pro *ardeola*; ut a *tabella, tabellio*. R. ἄρω, ἄρδω, *ardeo*. Ita Lenn. præeunte Vossio. *G.*

2. *trepide*, exquisite, pro festinanter, propter negotiorum multitudinem. Vsum vocis *trepidus*, pro festinus, egregie illustravit *Wakefield.* ad Lucret. III, 846, ubi praeter Virg. Aen. VIII, 4 sq. et loca alia, hunc quoque Phaedri locum laudat. — *concursans*, huc et illuc cursitans. Sic auctor Bell. Afr. LXXXI, *ipse pedibus circum milites concursans*. Pulchre haec interpretatur Seneca, loco supra cit.

9. *posita.* De iis qui aedificant. Affert Schefferus locum Varronis R. R. I, 12: *danda opera, ut potissimum sub radicibus montis silvestris villam ponas*. Sic domum, urbem, templa, balnearia *ponere* dicunt veteres.

10. Orell. † *prospicit T. m.*

11—13. *Ex alticinctis*, etc. Atrienses, quod vel e loco Ciceronis Parad. V, 2, luculenter apparet, ad lautioris familiae partem pertinebant; quippe qui in atrio supellectilem curarent, et hospitibus clientibusque, in atrio dominos praestolantibus, picturas, sta-

Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,

tuas, et quae alia artis opera ibi exposita essent, docte diserteque commonstrarent (Vid. Columell. XII, 3, 9, et Petron. c. 29, pag. 108 Burm. et qui diligenter haec enotavit *Pignorius* de Servis p. 221 sq. ed. Patav.) Ex hoc ipso atriensium officio satis declarari posse arbitror, servis iunioribus, delicatulis, ad ministeria eiusmodi obeunda scite compositis et exornatis, has *atrii curandi* (sic in Inscriptt.) partes demandatas fuisse. Atque hoc ipsum innuit lepidissimus fabellarum scriptor vocabulo *alticinctus*, quod non tantum ad alacritatem et expeditam in officiis persequendis celeritatem, sed ad cultum etiam venustiorem delicatioremque spectasse, docte iam demonstravit Ocl. Ferrarius de Re Vestiaria, et probat locus insignis Senecae de Brevit. Vit. cap. 12, ubi de ostentatione divitum: *quam videam, quam sollicite argentum ordinent, quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant.* Nullum enim dubium est, hunc tunicam altius cingendi ritum ad impuras inprimis libidines, quibus tota tunc temporis paedagogia et cirratorum puerorum greges inservirent, excitandas irritandasque inprimis valuisse. Conf., si quis dubitet, locum disertum Petronii c. 21, p. 31 Bip.: » Cinaedus supervenit, myrtea subornatus gausapina, *cinguloque succinctus.* » Porro autem ex iis, quae adiicit Phaedrus, facile colligas, quomodo comparatus fuerit speciosus iste puerorum delicatiorum vestitus. — *tunica* fuit tenuissima, *linteo Pelusio* confecta, sive gossypium intelligas (quod linteis, ὀθονίοις saepissime indicasse veteres, nunc satis constat, et probavit Forsterus de *bysso veterum*), sive linum, in tenuissima fila diductum. Nam ad tenuissima lintea, in quibus *minimum firmitatis, plurimum lucri*, diserte Pelusiacum refert Plin. XIX, c. 2, 3. Sic, quum unica tantum tunica, eaque tenuissima indutus esset servus, pellucebat corpus, cuius singula membra ut eo magis eminerent, *destricta* erat tunica, i. e. manibus tunicam destringentibus laevigata (sermone vernaculo diceremus *glattgestrichen*), ut nil sinuosum et in plicas corrugatum appareret. Saepe enim corrugatas fuisse plicis, scite compositis, ex monimentis veteribus satis constat. Comparasse iuvabit statuam Musei Pio-Clementini puellae, tunica eiusmodi succinctae, Tom. III, quam saltatricem in stadio decurrentem esse putat *Viscontius.* Tunica eiusmodi alte cincta usque ad genua prominebat. In ora, seu limbo *dependebant cirri*, i. e. fimbriae, filamenta, ornatus causa addita. Nam ut hodie fasciae, quibus mulierculae nostrae gaudent, ita texi solent, ut in ora nonnihil subteminis relinquatur, quod cirrorum assutorum instar oram extremam claudit; sic in textrinis Aegyptiis tunicolas istas ita textas esse existimo, ut fimbriae ex ora infima dependerent. Vidit hoc et cum Martialis et Ovidii linteis et mantelibus villosis pulchre comparavit doctissimus Fastorum interpres Neapolis ad IV, 933. Sed rem totam conficit locus Arriani in Periplo maris Erythraei, T. I, pag. 14, Geogr. min. Huds. ubi de mercibus Aegyptiacis sermo est. Diserte ibi commemorantur λεντία (lintea) καὶ

Perambulante laeta Domino viridia,
Alveolo coepit ligneo conspergere
Humum aestuantem, come officium iactitans:
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Praecurrit alium in xystum, sedans pulverem.
Agnoscit hominem Caesar, remque intelligit.
Id ut putavit esse nescio quid boni:

δικρόσσια. Κροσσοὶ enim, ut Salmasius pluribus docuit, commune omnium fimbriarum vocabulum, et δίκροσσον ad Aegyptiaca amicula refert Pollux VII, 73. Vocabantur eiusmodi tunicae χιτῶνες σινδόνες. Vide Hesych. s. v. σινδόνες. *Boettiger*.

14. *laeta viridia*. Viridia apud veteres ponuntur pro herbis, arboribus, plantis, etc. At hic loca sunt, ad ambulandum idonea, virentibus herbis, floribus, plantis, arboribus atque arbustis consita. Vs. 18 enim praecurrit *alium in xystum*. *Viridia* et *viridiaria* dixere veteres. Viridiaria interdum capienda pro hortis, quales habebant in praediis et villis. Pandect. VII, 1, 13 med. *praedium viridaria habens*. Hisce in viridariis alebant Romani speciosas volucres, teste Suet. Tib. 60: *militem praetorianum, ob subreptum in viridario pavonem, capite punivit*.

15. *alveolo*. (Gallice, *avec un arrosoir*. G.) De vario alveolorum in supellectile rustica usu cfr. Cato de R. R. c. XI, XII. — *conspergere humum aestuantem*. Conspergebatur humus *aestuans*, i. e. ex nimio calore solis, pulvere concitato, ardens, vel ad mitigandum aestum, vel ad sedandum pulverem (v. 18). Sic scribit Suetonius (Cal. 43) Caligulam a propinquarum urbium plebe exegisse, *verri sibi vias et conspergi propter pulverem*. Plaut. Stich. II, II, 30: *consperge ante aedes*.

16. *come officium iactitans*. De ardelione officioso optime. Voll videri, obtrudit se. *Tzschucke*. Non sine veri specie Burmannus conjicit, spargendi munus non pertinuisse ad atticinctos atrienses, sed viliores servos, quod pateat ex Cicer. Parad. V, cap. 2, adeo hoc officium dici potuisse *come*, quod ultro, in spem gratiae, ad minus honestum ministerium se demiserit, in quo mirifice sibi placebat Atriensis.

16. Orell. † *laetans officium come*.

17. *Flexus*. Schefferus explicat, compendia viarum.

18. *alium in xystum*. Xystus est ambulatio subdialis ante porticum, consita arboribus, et floribus odoratis, plantis atque viridibus vestita, in quam atriensis praecurrit, *sedans*, id est, sedaturus pulverem. Dicit autem *alium*, quia iam Tiberius unum perambulaverat (vs. 14), sed ibi forte nondum Caesaris in se converterat oculos.

19. *remque intelligit*, i. e. negotiosam, sed inanem operam venditantis in spem magnae mercedis. *Gronov*.

20. Orell. * *ut putavit*.

20. *Id ut putavit*. Referendum ad *agnoscit hominem* et *rem intelligit* (v. 19). Intellexit autem atriensis e vultu Tiberii, et sermone cum comi-

Heus! inquit Dominus. Ille enimvero adsilit,
Donationis alacer certae gaudio.
Tum sic iocata est tanti maiestas Ducis:
Non multum egisti, et opera nequidquam perit;
Multo maioris alapae mecum veneunt.

tibus, aut quoque denique modo, Caesarem se agnovisse, et spem inde muneris conceperat.

21. *enimvero.* Vis huius particulae notanda. Alias vehementius affirmat, aut negat. Plaut. Amph. II, II, 126 sq. *Tun' te abiisse hodie hinc negas? nego enimvero;* quo locn *enimvero* est, *freylich, ganz gewiss.* Sed h. l. celeritatem et festinationem adiuvare videtur, bene observante clar. Tzschuckio. Praeclare igitur Lallemant. vertit: *l'autre ne fit qu'un saut.*

.23. *iocata est.* Iocus consistit in ambiguitate vocum *alapa* et *venire* (vs. 25), quae salem habet. — *maiestas Ducis*, pro ipso Duce. Romanorum Imperatores *Duces* esse vocatos, vidimus in Exc. XVI, ad vs. 14, 21, 23. Dixit autem Phaedrus more suo *maiestatem Ducis*, ut dixit *gemuit corvi stupor* et permulta alia. Labente quidem in humilitatem et adulationem saeculo, formulae, quae tituli locum obtinent, *mea parvitas* Valerio Maximo, *mea mediocritas* Velleio, *nostra infirmitas* Quintiliano et aliis frequenter usitari coeptae sunt: ita quoque *tua clementia*, *excellentia*, *maiestas* coepit postea frequentari, ut erudite monstrat Burmannus, laudans Barthii Adv. lib. XXIII, 9, et viros doctos ad Val. Max. Praef. Sed vix credibile, iam tempore Phaedri talem formam inveni coeptam esse. Bene etiam monet Walchius formulam loquendi, *maiestas tanti ducis iocata est*, esse Latinam, nec cum illis, *mansuetudo tua, sanctitas tua* posse comparari; etsi ad rariores pertineat (in poësi tamen usitatiores, quam in prosa).

23. Orell. *tanta maiestas ducis.*

24 sq. Burmannus ita hos versus interpretatur: Tu, qui videris multum egisse (ut ardeliones in initio fabulae dicuntur *multa agendo nihil agere*), revera nihil egisti, et opera illa, conspergendae humo insumpta, quam tu pro alio subis, nec pro officio debes, perdita tibi est; sperasti, me liberalitate aliqua, aut forte manumissione donaturum te, sed non tam vili pro opera vendere libertates soleo, seu ut expressit Desbillonius, manumissio apud me maioris, seu maiori pretio venditur. — *alapae.* Sollemnis servos manumittendi modus erat manumissio per vindictam. Dominus, qui per vindictam servum suum a servitute liberari volebat, servo, antea in gyrum acto, alapam infligebat. Ad hanc manumissionis solemnitatem respicit poëta. Isidor. Orig. IX, 4: *apud veteres, quando manumittebant, alapa percussos circumagebant et liberos confirmabant.* — *mecum.* Non pauca exempla interpretes et ipse Burmannus afferunt, quibus locutionis *mecum veneunt* insolentia defendatur. Vid. Scheff. Heinsii et Burmanni Notae; quae vero non ita plene satisfaciunt Burmanno, ut probent, recte dici, *rem venire mecum*, pro, a me vendi. Quare inter singularia Phaedri habet. Sed Desbillonius eodem

FABVLA VI.

AQVILA, CORNIX ET TESTVDO.

Contra potentes nemo est munitus satis;
Si vero accessit consiliator maleficus,
Vis et nequitia quidquid oppugnant, ruit.
Aquila in sublime sustulit Testudinem:

sensu *mecum* usurpari contendit a Virg. Aen. IV, 115: *mecum erit iste labor*, i. e. ex Heynii, Viri summi, interpretatione, apud me erit, mihi incumbet; qui laudat Silium VIII, 330: *mecum erit haec prorsus pietas*. Gronovius in suis ad Schefferum litteris τὸ *mecum* explicat domi meae, ut idem sit, ac si dixisset Tiberius: in domo mea manumissio maiore pretio venditur, seu in domo mea frustra speratur libertas pro tam levi opella. Non male. Praeter alia autem Gron. affert locum Cic. lib. V, Ep. 8 ad Att. „ne illum malus emptor alienus mancipiis, quae permulta *secum* habet, spoliaret," h. e. quae Romae sunt, domi eius absentis, quum ipse in exsilio viveret Massiliae. — *veneunt*. Solebant cum servis frugi pacisci domini, quanta pecunia redimerent libertatem. Id illi comparcentes de demenso et peculio negotiantes, quum solvissent, manumittebantur. Plaut. Poen. III, 1, 16: *quum argentum pro capite dedimus, nostrum dedimus*, non *tuum*. *Liberos nos esse oportet*. Et contra ad Sueton. Vesp. 16, *gratuita* libertas dicitur, quae sine eiusmodi pacto datur. *Gron.* — Ter. Phorm. I, 1, 19: *de demenso suo, suum defraudans genium, compersit miser*, ad quem loc. v. Bipont. Ceteroquin tota haec Tiberii oratio displicet cl. *Iacobs*, in Observatt. ad Phaedri fabulas, qui eiusmodi veris fabellis in hoc fabularum *Aesopiarum* opusculo non magnopere delectatur: quas nos censet debere vagae Phaedri opinioni, in numero fabularum Aesopiarum haberi posse, quicquid risum conciteт, et ad praecepta virtutis ac morum possit referri. Atque etiam Bentleio displicet ista Tiberii oratio, quam de manumissione intelligi posse negat, exclamans ad vs. 25: a Vestram fidem! quomodo, sodes, *iocatus est* Tiberius, si *tam triste et aridum responsum* dederit.

2. *consiliator*. De hac voce, quam Vossius adnumerat vocibus barbaris, sed qua, praeter Phaedrum, usi sunt Plin. lib. IV, Ep. 17, et Apulei. lib. I Met. vid. Cellarii Cur. Post. p. 57, qui ad Latinitatem restitutam referre videtur. coll. Walch. de Stilo Phaedri p. 67.

3. *Vis et nequitia*. Tò *vis* refer ad *potentes* vers. 1; *nequitia*, i. e. astutia, calliditas, ad *consiliator maleficus* vs. 2. Sic pulchre cohaerent omnia, et frustra Meursius statuebat hic unum versum excidisse. Vid. Freinshem. et Scheffer.

Quae quum abdidisset cornea corpus domo,
Nec ullo pacto laedi posset condita,
Venit per auras Cornix, et propter volans:
Opimam sane praedam rapuisti unguibus,
Sed, nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,
Gravi nequidquam te lassabit pondere.
Promissa parte, suadet, ut scopulum super
Altis ab astris duram illidat corticem,
Qua comminuta facile vescatur cibo.
Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
Simul et magistrae large divisit dapem.

5. *cornea domo.* Elegantissime dicit testam *domum*, quia testudo testa utitur, ut domo. Eodem modo Cic. de Div. lib. II, c. 64, cochleam dixit *domiportam*; *corneam* vocat, tum quia cornu similis est, tum propter duritiem. vs. 12 appellat *duram corticem.* Cic. de N. D. I, c. 36, de avibus *corneum rostrum.* Vid. Scheffer. *Ora cornea* rostra vocat avium Ovid. Met. VIII, 545; *cornea ungula* Lucan. VI, 83. *Corneum* pro duro poni, probavit Burm. ad Petron. c. XLIII.

7. *per auras.* Poëtice dictum. Ita saepissime poëtae *in auras*, *sub auras*, *ad auras.* —*propter*, iuxta, est h. l. adverbium, ut apud Cic. pro Rosc. Am. 23: *duo filii propter cubantes*, et Terent. in Adelph. IV, II, 37: *ibi angiportum propter est*, i. e. in propinquo, prope est.

11 sq. De aquila, testudines raptas frangente, e sublimi iaciendo, vid. Plin. lib. X, c. 3. Haec res Aeschylo poëtae mortem accivit, testibus Aeliano in H. A. VII, 16, et Val. Max. lib. IX, c. 12, Ext. 2. Idem de cochleis narrat Aelian. lib. III, c. 20, περὶ ζώων. —*Altis ab astris*, poëtice dictum, pro, ex altissimis caeli plagis, e sublimi aëre. —*duram corticem.* Feminino genere (quod rarius) posuit, ut et alii. Vid. ad Ovid. Met. IV, 375. *Burm.* —*corticem* pro testa, v. ad vs. 5. Schefferus laudat Plin. H. N. lib. IX, c. 12: *aquatilium tegumenta plura sunt; alia corio et pilo teguntur, ut vituli; alia cortice, ut testudines.* Etiam Martial. lib. X, Epigr. 37, memorat *conchae levem corticem.* Alia loca produxit Rigaltius.

11. *monitis.* Bene respondet τῷ *magistrae* vs. 15.

15. *magistrae*, consiliatrici, ut in principio fabulae *consiliator*: nam pro suasore, auctore consilii, *magister* saepe a scriptoribus ponitur. Senec. Thyest. 310: *saepe in magistrum scelera redierunt sua.* Ter. Andr. I, II, 22: *si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.* Burm. —*magistrae large divisit dapem.* Verbum ad convivia pertinens, quum cuique sua pars ex cibis porrigitur. Petron. cap. 33: *scrutari paleam coeperunt erutaque subinde pavonina ova divisere convivis.* Scheff. —15. *large divisit dapem.* Ita MSS. Pith. Rem. Perott. et Ed. Vett. nisi quod Cod. Perotti habeat *dimisit*, pro *divisit*; quibus, praeter alios, ob-

Sic tuta quae naturae fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

FABVLA VII.

MVLI ET LATRONES.

Muli gravati sarcinis ibant duo.
Vnus ferebat fiscos cum pecunia;
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille, onere dives, celsa cervice eminet,

sequuntur Vrsin., Harius, Brotier., Bipontin., Desbillon. Etsi vero et *large* et *largam* recte dici potest, ut probant non pauca exempla, Burmanno notata, tamen *largam* praestare censent Bentlei. et Burmann. ut Phaedrus lib. II, fab. IV, dixit *felisque catulis largam praebuere dapem. Largam* etiam edidere Lallemant, Sanadon, et Philipp. Sed hac in causa assentio Cl. Tzchuckio, scribenti: „*large* melius, quam *largam*. Non enim praeda erat larga, sed eius divisio, quod in adverbii crebra mutatione in adiectivum considerandum est.“

16. *naturae munere.* Munus naturae est dura cortex, seu cornea domus, data a natura. Cl. Tzchuck. signate pro simplici natura dictum vult. Compara h. v. cum vs. 6.

17. *occidit tristi nece.* Vid. ad lib. I, fab. I, 13. τὸ *tristis* ad epitheta pertinet, quibus valde delectatur Phaedrus.

17. Orell. *Impar duobus.*

Cum hac fabula comparabis fabulam Aesopi LXI, apud Hauptm. p. 50, apud Ernestium p. 49. Hoc loco non praetermittendum, poëtam in hac fabula aberrasse a veritate illa naturali, in multis Aesopi et Phaedri fabulis conspicua. Quum enim aquila testudinea raptas frangere soleat, e sublimi iaciendo, ut vidimus ad vers. 11 seq. perperam *cornix* monstrat aquilae, quid faciendum sit, ut facile vescatur carne testudinis. Melius *aquila* alii bestiae suo adesset consilio. Conf. cl. *Iacobs* in Observat. ad Phaedri fabulas.

2. *fiscos.* Fisci sunt sacci plexiles, seu corbes viminei, qui servandae ferendaeve maioris summae pecuniae adhibebantur. Ponitur igitur vox h. l. proprie. Asconius Ped. in Cicer. p. 18, b. edit. Aldin. *fisci, fiscinae, fiscellae sunt utensilia ad maioris summae pecunias capiendas.* Cic. Verr. III, 85: *Quaternos HS. in cistam transferam ex fisco.*

3. *tumentes.* Nota colorem, a dic *plenos*, addit Cl. *Chambry*, iam nullus epitheto color est. a *G.*

4 sq. Notanda pulchra utriusque muli descriptio, cum superbi ac timidi vs. 4 sq. tum placidi et sua sorte contenti vs. 6: *Ille onere dives.* — *Clarum.* Egregie facit ad efferendam superbiam. *Tzchucke.* — *tintinnabulum.* Mulos ornatus causa tintinnabula

Clarumque collo iactat tintinnabulum;
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant,
Interque caedem ferro Mulum trusitant,
Diripiunt numos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur casus quum fleret suos:
Equidem, inquit alter, me contemtum gaudeo:

ad collum appensa habuisse, testari possunt loca Luciani et Apuleii, quae profert Schefferus de Re Vehic. lib. II, cap. 11, p. 28 seq. Addatur Hieron. *Magius* de tintinnabulis, cap. 8. Alii non tam ornatus causa putant factum, quam quod sono eo delectarentur muli. At Gronovio atque Scheffero factum hoc esse videtur quo adventantibus alii occurrentes in tempore decederent de via, praesertim cava vel angusta, sono tintinnabulorum audito; quemadmodum hodie in Gallia et Italia fit. V. Not. Gronov. et Scheffer. de Re Veh. l. c. Quum Phaedrus de uno tantum tintinnabulo loquatur, verl non videtur esse simile, id ornatus causa fuisse alligatum; nisi quis putare velit, singularem, per enallagen numeri, poni loco pluralis. Itaque facile accedo Gronovio.

6. *quieto ..... placido gradu.* Τοῖς *quieto gradu* discernitur ab altero, qui tintinnabulum collo iactabat: *placido* vero ab eodem, cervice celsa eminente.

7. *advolant.* Recte notat Scheffer. verbi huius elegantiam, quo nimia eripiendae pecuniae cupiditas significatur. Accommodate vero Hartmannus citat locum Caes. de B. G. V, 17: *repente ex omnibus partibus ad pabulatores advolaverunt.*

8. Orell. *mulum sauciant.*

8. *inter caedem*, potest explicari, dum muliones et custodes, qui fiscis sine dubio erant praesidio, occiduntur a latronibus. Sicque ἐν παρόδῳ caedem factam innuit, quod praeter Prasch. Freinsh. Scheff. merito placet Burmanno, Heusingero, Tzschuckio. Quanquam et verbera et vulnera, quae mors non sequitur, *caedes* dicuntur, ut multis exemplis probavit Burmannus. Sic ap. Ovid. lib. I, Amor. El. VII, 27: *Quid mihi vobiscum caedis sceleris que ministrae?* at ille pulsasse se tantum amicam, non uccidisse dolet. Sed praefero prius. Atque h. l. notare iuvabit brevitatem Phaedri. Fusius enim canere poterat praelium, praesidium inter atque latrones commissum; sed quia hoc nihil ad consilium narrandi prodesse videbatur, ei sufficiebat verbo huius rei facere mentionem, *inter caedem*, ita ut reliqua lectoribus supplenda relinqueret. Namque non singula exsequi debet fabularum scriptor. — *ferro trusitant*, vicibus iteratis ense percutiunt, i. e. vulnerant, vs. 12. Est autem *trusitant* freqnentativum, nusquam alibi obvium, verbi *truso*, quo usus est Catull. Ep. LVII (LVI), vs. 6. Hinc, si tamen lectio vera est, ad singularia Phaedri referendum. — *Trusitant*, quod tuentur tum Forcellinus, tum I. I. G. Scheller. aliique religioni sit mutare vocabulum, inter

Nam nihil amisi, nec sum laesus vulnere.
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas;
Magnae periclo sunt opes obnoxiae.

FABVLA VIII.

CERVUS ET BOVES.

Cervus, nemorosis excitatus latibulis,
Vt venatorum fugeret instantem necem,
Caeco timore proximam villam petit,

ἄπαξ λεγόμενα annumerandum, cuius primitivum *truo* (ortum a graeco τρύω, *perforo*), ex quo fluxere, *trudo*, *truso*, *trusito*. G.

12. Orell. *Nam nil amisi.*

1. *excitatus*, scilicet a canibus venaticis, non ab ipso venatore, ut fingit Bentleius. Excitatas enim a canibus feras sequuntur et iis instant venatores. Est autem verbum ad venationes pertinens, vid. Burmann. qui laudat Senec. de Clem. I, 16: « Idem facit venator, qui instituit catulos, vestigia sequi, quique iam exercitatis (*canibus*) utitur ad excitandas vel persequendas feras. » Petron. CXXXI: *aliis leporem excitavi*, ad quem locum vide viros doctos in Edit. Burmann. Adde Senec. in Hippol. vers. 110: *iuvat excitatas consequi cursu feras*, qui locus Scheffero debetur, et Cic. Off. III, 17. — *latibulis*, lib. II, fab. IV, 12, dixit *cubile*, de sue. Clar. Hartmann. e Laur. Vall. Elegant. lib. IV, cap. 79, notat, *latebras* hominum proprie dici, *latibula* ferarum; at non ubique hanc differentiam observari: lib. I, fab. XXX, 9, dixit *paludis in secreta veniet latibula*; sed apud Cicer. Flacc. 13, *latibula occultorum locorum* usurpatur de hominibus.

2. *venatorum necem*, i. e. mortem a venatoribus inferendam. Multa enim nomina activam et passivam simul habent significationem, ut iniuria, invidia, metus, pudor, etc. Vid. Graeci; Gellius IX, 12. Coll. Heusinger. Sic *metus hostium* recte dicitur et quum timent hostes, et quum timentur. Laudat Burm. Liv. I, 13: *Sabinae mulieres, quarum ex iniuria bellum ortum erat*, pro, quam ipsae passae erant, et C. 14: *ut expiarentur legatorum iniuriae*, pro, quae illatae erant legatis. Desbillonius vero Virg. Aeneid. XII, 5: *saucius ille gravi venantum vulnere pectus*, ubi ad verba *venantum vulnere*, notat Servius, *quod venantes fecerunt*. Alia exempla suppeditabunt Notae Burmann. Viros doctos, qui hanc loquendi rationem, falso quibusdam suspectam, illustrant, idem vir doctus recenset: coll. Walch. de Stilo Phaedri p. 68.

3. *caeco* dixit, quia temere proximam petierat villam, neque ante consideraverat, in quanto hic versaretur periculo. Indicat epitheton timoris magnitudinem. Simili modo Liv. lib.

Et opportuno se bubuli condidit.
Hic Bos latenti: Quidnam voluisti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris?
At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite;
Occasione rursus erumpam data.

I, cap. 27: *alii arma foede iactantes caeci in aquam ruebant.* — *proximam villam petit.* Hanc fabulam nobis exhibere rem saepe solitam, et cervos, pressos a canibus et venatoribus, se recipere in tecta et stabula, docuit Burm. ex Ovid. II, ex Pont. II, 39 seq. et Plin. VIII, 32, ubi cervos, *urgente vi canum ultro ad hominem confugere* scribit.

4. *opportuno.* Poëtae utuntur adiectivis, ubi requiritur adverbium. Haec exprimere poterat Phaedrus: et opportune se bubili condidit, sed minus eleganter. Explicant, quod opportune obvium erat. Albinus: *qu'il trouva heureusement ouverte.*

4. Orell. *bubili.*

5. *quidnam voluisti tibi?* Pleonasmus hic pronominum etiam Graecis usitatus. *Tzschuc.* Guyetus subaudit *fieri.* Sensus: Quam male causas tuae consuluisti? Sic Virg. Ecl. II, 58: *eheu quid volui misero mihi,* ad quem loc. v. *Heyne.* Schefferus laudat Ter. Eun. III, v, 40: *quid tibi vis? satisne sanus?*

7. *spiritum,* vitam, ut lib. III, fab. II, 6; lib. IV, fab. XI, 7: *spiritu culpam luet.* — *Credere,* de eo dicitur qui aliquem magni faciens, ei confidit; *committere* de eo qui cautus, vel non incautus aliquid totum (σύν) committit alterius fidei. *G.*

8. *modo.* Hoc loco capiendum pro *tantummodo*, *solum.* Non igitur explicari debet *nunc parcite,* ut habeat vim praesentis temporis, quod placet Tan. Fabro, censori versionis gallicae, quae habet auctorem *Albinum,* qui verterat: *Vous autres seulement ayez pitié de moi.* Verum tamen non est accedendum Burmanno, statuenti, *modo,* ad tempus relatum, numquam esse idem, quod *nunc*, sed *aliquanto ante,* ita ut notet tempus proxime elapsum, quo sensu occurrit lib. I, fab. IX, 9: lib. V, fab. II, 8, et ap. Cic. lib. IV, Ep. 13: *in qua urbe modo gratia, auctoritate et gloria floruimus, in ea nunc quidem iis omnibus caremus.* Vid. Tursellin. pag. 631. Non unus enim locus in priscis scriptoribus docet, particulam *modo* usurpari posse pro *nunc.* Vid. Ter. Hec. III, v, 8. Id. And. II, I, 3, ut taceam de aliis.

9. *rursus erumpam.* Nota elegantiam verbi, quod significat, celeriter et cum impetu exire, occasione oblata. Simili modo Caes. de B. G. III, 3, *post dato signo e castris erumperent.* Adde loc. Virg. Aen. X, 604, Hartmanno notatum. τὸ *rursus* explicandum *vice versa,* non *iterum,* hoc sensu: quemadmodum huc erupi, sic indidem erumpam. — Hoc voc. *rursus* nos vertebamus *encore;* sed prave admodum, monente Cl. Schwabio. Τὸ *rursus* hic significat *vicissim*, *vice versa.* Notent tirones adverbium Graecorum αὖ, significare modo *rursus* (*derechef, encore*); modo, *vicissim, vice versa* (*à mon tour, à ton tour, à son tour, etc*)

Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus affert, nec ideo videt.
Eunt subinde et redeunt omnes rustici;
Nemo animadvertit; transit etiam villicus,
Nec ille quidquam sentit. Tum gaudens ferus
Bubus quietis agere coepit gratias,
Hospitium adverso quod praestiterint tempore.
Respondit unus: Salvum te cupimus quidem;
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,

Vide nostram in praepositiones scriptionem tom. I, p. 39. *G.*

10. Poëtice dictum, pro, dies vesperascit, seu diem excipit nox. Funccius male ad orationem cervi refert, ut sensus sit: *vesperascit enim, et tegere me potero umbra noctis.* Praeiverant Romulus et Anonymus Nilantii. Ille: *vos me modo celate tantum; dum erit sero, eo ubi volo securus*; hic: *quum venerit sero, ibo, etc.* At si haec esset mens Phaedri, quid opus erat addere *occasione data?* Dicendum erat: rursus erumpam, quum spatium diei noctis excipient vices. Male etiam cohaeret oratio, si eo, quo vult Funccius, sensu locus capiatur.

11. *Frondem*, frondes, i. e. pabulum; frondibus enim boves pascebantur. Apte laudat clar. Hartmann. Columell. lib. XI, cap. II, 82: *iisdem temporibus, si sit, fraxineam; si minus, orneam; si nec haec sit, iligneam frondem bubus recte praebebimus.* — *nec ideo videt*, cervum; quia vel frondes afferebat, vesperascente iam caelo (vs. 11); vel oculis non percurrebat singula.

12. *rustici.* Colonos intelligit et familiam villae. *Scheff.*

13. *animadvertit*, subaudi quidquam, e vs. sq. huc trahendum.

14. *ferus*, cervus. Vid. ad lib. I, fab. XII, 9.

15. *quietis.* Recte viri docti, Prasch. Scheff. Har. Burmann. capiunt pro tacitis, qui latitantem voce non prodiderant, seu, ut ait Romulus et Anonymus Nil. *quod fugientem celassent*, vel *celarent.* Ita Ter. Phorm. IV, III, 65, *quiesce*, pro tace, *ne interloquere.* Idem in Prol. Andr. 22: *dehinc ut quiescant porro moneo.* vid. Burmann. Male Rittershus. iungit *gratias quietis*, i. e. quietis causa.

16. *praestiterint.* Proprie; non enim spatium modo datum significat, sed et securitatem hospitii praestitam, per silentium et quietem. Atque ita Senec. I Clem. 2: *hoc est non dare tantum salutem, sed et praestare*, ubi vides, quomodo a *dare* distinguatur. *Scheff.*—Bene vim verbi animadvertit Schefferus, et Manut. ad Cicer. IV ad Fam. 8, notat, inter *praebere* et *praestare* hoc discrimen intercedere, quod illud sit animi propensi ad iuvandum, hoc re ipsa et actione declarandi. *Burm.*

18. *qui oculos centum habet.* Vivida descriptio heri, plurimum in rebus suis videntis, i. e. diligentissime prospicientis, ne quid detrimenti res familiaris capiat, ducta ab Argo, quem C oculos habuisse poëtae tradunt. Ab

Magno in periclo vita vertetur tua.
Haec inter ipse dominus a coena redit:
Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad praesepe: Cur frondis parum est?
Stramenta desunt? Tollere haec aranea
Quantum est laboris? Dum scrutatur singula,
Cervi quoque alta conspicatur cornua.
Quem convocata iubet occidi familia,
Praedamque tollit. Haec significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

Apollodoro Bibl. lib. II, c. 1, 3, vocatur Ἄργος πανόπτης; a Plauto Aul. III, vi, 19, Argus, *qui oculeus totus fuit*, teste Hartmanno. Fabulam de Argo vid. apud Ovid. Met. I, 620—724.

19. *in periclo vertetur*, versabitur. Plaut. Merc. I, ii, 12: *res in periculo vortitur*. Liv. VI, 36: *in maiori discrimine domi res vertebantur*. — *in periculo vertetur*. Τὸ *vertetur*, explicat per *versabitur* Cl. Schw. quod quidem scholion in textum partim admittit Cl. *Chambry*, praeeunte ill. Archiepiscopo *Huetio*, qui illud *versabitur*, propria manu, in exemplari oculis subiecto, exaravit. Verum, pace doctissimorum virorum, dixerim, τὸ *vertetur* notat peripetiam, quam non exprimit τὸ *versari*; peripetiam quam manifestam faciunt haec verba, *ille, qui oculos centum habet, si venerit*. G.

21. *corruptos*, scilicet macie, id est macilentos.

27. *tollit*. Saepe in similibus locutionibus, post *iubere*, vidi in MSS. alterum verbum non infinitivi, sed indicativi modi poni. Curt. VII, v, 40: *Alexander Oxathrem propius iussit accedere, tradique Bessum ei*, ubi MSS. *traditque Bessum ei*. Burm.

28. Huius sententiae veritatem et alii scriptores agnoscunt. Laudant interpp. Col. lib. III, cap. xxi, 4: *quocunque domini praesentis oculi frequenter accessere, in ea parte maiorem in modum fructus exuberat*, a quo etiam R. R. lib. IV, c. 18, *oculi et vestigia domini res agro saluberrimae dicuntur*. Aeschylus in Persis vs. 169: ὄμμα γὰρ δόμων νομίζω δεσπότου παρουσίαν. Plin. lib. XVIII, cap. 6: *maiores nostri fertilissimum in agris oculum domini esse dixerunt*. Adde, quos laudat clar. Schulz. — *Dominum videre plurimum*. Ita Phaedrus noster: quam venustius vero Fontanius qui (lib. IV, 21), *Il n'est pour voir que l'œil du maitre. Quant à moi, j'y mettrais encore l'œil de l'amant!* vid. Theocr. XXV, 59. *G.*

EPILOGVS.*

Æsopi ingenio statuam posuere Attici,
Servumque collocarunt aeterna in basi:
Patere honoris scirent ut cunctis viam,
Nec generi tribui, sed virtuti, gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne solus esset, studui; quod superfuit;
Nec haec invidia, verum est aemulatio.
Quod si labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.

(*) Orell. *Auctor.*

2. *servumque*, pro eum. Sic signa- lius ad notandum honorem, huic ellam generi promiscuum, el ad su- stinendam proximam sententiam. *Tzsclucke.*—Sunl, qui explicent, effi- giem servi. Schefferus ad hanc vocem notal: » Significanler, pro, *licet foret servus*, nempe quia his concessus ho- nor isle non fuil. » — *collocarunt.* Proprie. *aeterna in basi.* Basis in ge- nere illud esl, quo aliud innititur. Hoc loco significat inferiorem statuae Aesopi partem, qua nitebatur (*Po- stament*), v. Gesneri Thes. L. L. h. v. In basi statuarum eranl Inscriptiones, quibus memoria virorum illustrium aeternilali, vel aeternae memoriae commendari solebat. Ex quo polest intelligi, quasi Phaedrus basin dical *aeternam*, quare eius memoriam in omne aevum conserval. Sic Diana eral posita Segestae excelsa in basi, in qua grandibus litteris *P. Afrioani* nomen erat incisum, cumque *Cartha- gine capta restituisse*, perscriptum.»

3 sq. *ut scirent*, scilicet homines. Sollemne Latinis, hanc vocem sub- audire. V. Vechneri Hellenolex. pag. 120, ex edit. Heusingeri.

3. Orell. *ut cuncti viam.*

5. *occuparat.* Praevenit me, prae- vertit, i. e. aule me scripsit fabulas. Graeci φθάνειν. — *ne primus forem.* ut non essem primus fabularum scri- ptor.

6. *Ne solus esset* fabulator. — *quod superfuit.* Hoc enim solum mihi su- pereral et relictum eral. Elogium tale est Ciceronis apud Hieronymum, Ep. de vita Clericor. *Demosthenes tibi prae- ripuit, ne esses primus orator, tu illi ne solus*; qui locus debelur Neveleto.

7. *aemulatio.* Bono sensu, ut sit imilatio virtutis, ut habemus defini- lionem apud Cic. Tusc. Quaest. lib. IV, c. 8. Cic. pro Mur. 29: *Zeno, cuius inventorum aemuli Stoici nomi- nantur.*

9. *quos opponat Graeciae* tanquam tales, qui Graecis, ingeniorum prin- cipatum affectantibus, ingenii gloria non cedant. Certamen omnis laudis Latio erat cum Graecia. Graeci enim, ut ait Tac. lib. II Ann. 88: *sua tan- tum mirantur*; invidebant Romanis,

Si livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam submovet felicitas.
Sin autem doctus illis occurrit labor,

ut exemplum est Apollonii in Cicerone Plutarchi cap. 5. Docte hac de re disputat Freinshemius. Gloriatur autem hoc versu Phaedrus, ut recte vidit Burmannus post Schefferum, in novo hoc scribendi genere sectatores se habiturum, ita, ut tamquam auctor et conditor huius scribendi generis velit haberi apud Romanos: id quod notandum contra Guyetum, quem offendebat vox *plures*.

10. *Obtrectare curam*, detrahere de fabularum libello eumdemque parvi facere.

11. *eripiet*, mihi. Sensus: non efficiet livor, ut mihi non conscius sim laudis et gloriae mihi debitae, seu, ut pulchre expressit *Lallemant*: *l'envie ne m'ôtera point la persuasion où je suis, que je mérite quelques louanges.* Simili modo Prol. III, 61: *sollemnis mihi debetur gloria.* Iactantius haec dicta; sed sic solent passim veteres.

12. *nostrum studium.* Opusculum meum, fabulae. — *ad aures tuas.* Cum Heusingero intelligo Anonymum illum ad quem hunc librum scripsit, Phaedrus autem in mente habuisse putandus est Anagnosten, Patrono fabulas suas praelegentem. Cl. Tzschuckius ad vocem *aures* subaudit, lectoris.

12. Orell. *pervenit ad aures tuas.*

13. *Et animus sentit*, id est, si tu sentis, percipis *fabulas*, elegantiam, suavitatem et vim fabularum. — *arte*, artificiose, seu secundum praecepta artis *fictarum*, ita ut simul voluptatem ex iis capias. Tò *si* omissum, e vs. praec. repetendum. *Animum* pro persona non raro poni, nota res. Sic *apud animum statuere*, pro apud se. Egregie autem huic loco illustrando inservit Prol. III, 3: *ut liber animus sentiat vim carminis*, ubi vide. Burmannus tamen verbo *sentire* hanc quoque vim esse putat, ut significet, perite de iis iudicare, tanquam artifex, cuius animus delectatur ipso adspectu operum suae artis. Sic explicat Gronov. Diatr. Stat. cap. 43, pag. 285, de iis, qui de tabulis pictis et imaginibus recte iudicare possunt. Et ita *sensus* ap. Cicer. Verr. IV, 44: *mirari solebam, istum in his ipsis rebus aliquem sensum habere.* Sed dubito, an hoc sensu verbum *sentire* ceperit Phaedrus.

14. Ita mihi beatus videor, nullum ut querendi locum relictum esse putem. *Faber.* — *doctus labor.* Si capias hanc locutionem eodem sensu, quo dixit Prol. III, 26: *docto labori dulce praeponens lucrum*, ut significet laborem litterarium, i. e. librum fabularum, in oppositione ad labores, qui non pertinent ad litteras, neutiquam offendere potest lectorem. V. ad vs. 10. — *illis occurrit*, pervenit ad manus eorum; quo sensu referendum ad singularia Phaedri. Sine dubio est variatio praecedentis, *ad aures pervenit tuas.*

Sinistra quos in lucem natura extulit,
Nec quidquam possunt, nisi meliores carpere;
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

16. Sensus: quibus natura fuit noverca, qui pravo et perverso ingenio sunt nati. — *extulit*, protulit, produxit. Cic. Verr. III, c. 86: *quod agri segetesque extulissent*. Id. de Clar. Or. c. 16: *ager, qui multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet.*

17. *nec quidquam* positum pro *nec aliud quidquam*, ut Prol. II, 2. Vid. etiam Ovid. Met. I, 8: *rudis indigestaque moles, nec quidquam nisi pondus iners.* — *meliores* ipsis.

18. *Fatale exitium.* Locutio, si lectio vera, abhorrens et ab usu linguae et ab analogia. At contextus orationis docet, intelligendam esse calamitatem, fortunam adversam, fatis destinatam, nulla mea culpa, i. e. iniquam fabularum censuram. Cl. Schirach. Clav. P. I, v. *fatalis* explicat: interitum operae atque artis famaeque inde parandae, quem mea culpa non attraxerim, sed a fatis mihi impositum habeam, feram. — *corde durato feram*, animo obfirmato et adversus talia indurato. Simili modo dixit Luc. V, 797 sq. *cetera damna Durata iam mente malis firmaque tulerunt.*

19. Donec ipsam fortunam pudeat iniuriae, quam mihi intulit, et affligere innocentem desinat. Obiicit poëta fortunae crimen, quod fabulae immerito perstringantur, quod auctor earum promerita laude fraudetur, eidemque maligna interpretatione mala parentur.

PHAEDRI
AVGVSTI LIBERTI
FABVLARVM AESOPIARVM
LIBER TERTIVS.

PROLOGVS AD EVTYCHVM. *

Phaedri libellos legere si desideras,
Vaces, oportet, Eutyche, a negotiis,
Vt liber animus sentiat vim carminis.
Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horae pereat officiis meis.
Non ergo causa est, manibus id tangi tuis,

(*) Orell. *Phaedrus ad Eutychum.*

1. Graviter vituperat priores huius Prologi versus censor doctus in Ephem. Goetting. ann. 1781, Part. 53. — *Phaedri libellos*, meos libellos. Sic solent poëtae. Burmannus laudat Ovid. V Fast. 377: *Floreat ut tota carmen Nasonis in aevo.* Remed. 71, *Nasus legendus erat.* V. etiam Hoogstrat.

4. *ingenium.* Capiendum pro ingenii fetu, seu opusculo fabularum. Recte *Lallemant, productions de l'esprit.*

5. Bene explicat Gron. ut punctum temporis horaeve detraham meis ordinariis muniis, et tuis legendis libellis attribuam.

5. Orell. *officii mei.*

6 sq. Respondet obiectioni, quam ipse finxerat vs. 4 sq. Sensus: Non igitur est, quod in manus sumas fabulas, quas propter negotiorum multitudinem, quibus districtus es, non potes legere, aut praelegi tibi iubere. — *Non causa est, id tangi.* Infinitivus a poëtis multis nominibus substantivis subiicitur, pro gerundio in *di* exeunte. Interdum haec substantiva, ac tum quidem, quum illis *est* adiicitur, cum infinitivo passivi iunguntur. Exempla habes in *Iani* A. P. Cic. pro Caecin. c. 5: *nulla est ratio, amittere eiusmodi occasionem.* — *occupatis auribus.* Eleganter, in oppo-

Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices: Aliquae venient feriae,
Quae me soluto pectore ad studium vocent.
Legesne, quaeso, potius viles nenias,
Impendas curam quam rei domesticae,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,

sitione ad praecedens *manibus*, Inda illud *tuis* hue trahendum ast.

9. Sensus: quibus animo a curis et negotiis libero aliquid doctum, i. e. fabulas, legere cupiam. — *Soluto pectore*. Insolentior locutio videtur Burmanno, qua frequentiur est *animo soluto*.

10. Respondet ad vs. 8 sq. — *Viles nenias*. Nenia seu neniae, Graeca νήνια, proprie sunt inconditum carmen, quod in funere, laudandi gratia, a praeficis cantatur ad tibiam, ἐπιτάφιος ᾠδή. V. Fast. at Non. De Propriet. Serm. II, 594, et quos laudat Dispontin. Hinc tropice omnia dicta vulgata et carmina inepta dixerunt *nenias*, *schlechtes Lied*, *Posse*; h. l. viles neniae, *schlechte Fabeln*. Eodem modo Phaedrus lib. IV, fab. 1, 14, fabulas suas vocat *nenias*. Sic autem appellat per modestiam. Quae Bothius ad hanc vocem notat, non Burmannum, sed Harium habent auctorem. Vid. huius Epistol. crit. p. 47. Idem notandum de iis, quae ad vers. 22 de locutione *in vitam hanc incumbere* observata sunt. Conf. Harii Epist. crit. p. 48. Ceterum vix credibile est, Phaedrum respicere ad lectores fabularum, qui non erubescerent, ipsius fabulas maledico dente carpere, et publice nauci ducere. Vtique enim poëta hoc nexu fabulas suas dicere poterat *nenias*, communi usu loquendi, quo, modestiae causa, nostra, etsi bona et laudanda, verbis tamen alevare solemus. Cfr. Editor Anonymus ad h. l.

12. *Reddas amicis tempora*. Singularis locutio. Recte explicavit clar. Lindnerus l. c. p. 6, fruaris consuetudine amicorum, quibus alias, officii curis impeditus, parum temporis tribuare potes. Τὸ *reddas* refer ad *vicem* vs. 14. Haec locutio Burmanno idem notare videtur, quod apud Ter. Adelph. IV, 1, 16, *dare operam amicis*, clientibus, hospitibus. — *Reddas tempora*. Hic notent tirones *d* additum, iubente euphonia: nam reddere, a re (*rursus*), *dare*, *rendre ce que l'on a reçu*, vel *ce qui nous a été confié*. G. — *Tempora* vero eidem sunt opportunitates adeundi, quibus possunt te convenire et commendare negotia sua, quum per ferias illis vacare possis, quum officia, quibus distringeris, tempora amicis danda eripiant. Sic fere Desbillonius. Sed hoc sensu tempora *quaeruntur* Hor. I, Sat. IX, 58, *eliguntur* Senec. Ep. LXIV. Curt. VII, VIII, 10, non *redduntur*, observante cl. Lindnero, l. c. — *uxori vaces*. Vxori vacare est, fabulari cum uxore, seria et iocos miscere. Quod nempe non poterat diebus aliis Eutychus, occupatus negotiis suis. Ita bene Schefferus.

13. *otium des corpori*. Otium dare corpori est, respirare, vires colligere.

Vt adsuetam fortius praestes vicem ?
Mutandum tibi propositum est et vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi,
Fecunda novies artium peperit chorum;
Quamvis in ipsa natus sim paene schola,
Curamque habendi penitus corde eraserim,
Et laude multa vitam in hanc incubuerim,
Fastidiose tamen in coetum recipior.

14. *vicem*: Intellige officium et negotia, post ferias et datam corpori quietam obeunda. Hoc sensu occurrit apud Tac. Ann. lib. IV, 8: *vestram meamque vicem explete*, de iis, qui peragunt ea, quae sunt sui muneris; qui locus Scheffero debetur. Liv. I. 20: *ne sacra regiae vicis desererentur*, coll. Epil. III, 25. Paullo aliter cepit Burmann. — *praestes*, peragas. Cic. lib. II de Or. cap. 9, 38: *omnes artes aliae sine eloquentia munus suum praestare possunt*; sed *praestare vicem* pro, alicuius locum obire, partes agere, dixit Ovid. Art. III, 666, notante Burmanno.

16. Si velis cum litteris commercium habere. Locutio poëtica.

18. *tonanti*. Sollamna Iovis epith. Graece βρονταῖος — *sancta*. Venerabilis. Hoc sensu non de diis solum, sed etiam de hominibus solet usurpari. Ita Cic. Arch. 8: *sit sanctum apud vos hoc poetae nomen*. Id. Cat. I, 4, Senatum Romanum *sanctissimum orbis terrae consilium appellat*.

19. *Fecunda novies, etc.* Novem edidit liberos uno partu. — *artium chorum*. Ita Musas dici, quae artium sunt magistrae, rarum ac fortasse singulare. V. Heusinger.

20. *schola*. Intellige Graeciam, doctrinae parentem et magistram, eiusque partem illam, quae Musarum patria credita fuit (vs. 17) in Thessaliae et Macedoniae confiniis. Sed iugum Pierium, in quo se natum dicit Phaedrus, capiendum pro ea montis parte, quae pertinebat ad Macedoniam, in confiniis Thessaliae. Hoc docet vocula *paene*, quam non adiecisset, si in ipsa schola, i. e. in Thessalia, Graeciae parte, natus fuisset. Scribit etiam vs. 54, se litteratae Graeciae propiorem esse Aesopo. Graecus igitur fuisset, si in altera montis parte, Thessaliae adscripta, natus esset.

20. Orell. *pene natus sim*.

22. Sensus: quamvis in hoc studiorum genere multam laudem sibi assecutus. -

22. Orell. *Et laude invicta vitam*.

23. *Fastidiose*. Fastidiose recipere est, ita recipere, ut a recipiendo omnia exigas summa cura, nihil non absolutum velis ac perfectum; ut vel levissimo vitio ac defectu offendaris; ut summa cum venustate omnia fieri velis, et absolutionem perfectionemque desideres. Sic bene explicat Toepferus in Observ. ad Latinit. perti-

Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigilia,
Docto labori dulce praeponens lucrum?
Sed iam, quodcunque fuerit (ut dixit Sinon,
Ad regem quum Dardaniae perductus foret),
Librum exarabo tertium Æsopi stilo,
Honori et meritis dedicans illum tuis.
Quem si leges, laetabor; sin autem minus,
Habebunt certe, quo se oblectent posteri.
Nunc fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia,

nent. Centuria, quae legitur in Act. Soc. Lat. Ienens. Vol. III, p. 170. Atque etiam ita interpretatur idem vir doctus τὸ *fastidiose iudicare* Ciceronis de Or. I, 26. Gronovio *fastidiose* est, vix tandem et tarde, nec sine difficultate et cum fastidio; Burmanno, quasi non meritus essem, vix inter poëtas habeor a principibus artis istius. — *coetum*, scilicet poëtarum.

26. *Docto labori*. Doctus labor est, qui ad litteras pertinet, qui in colendis litterarum studiis insumitur.

27. *Quodcunque fuerit*. Haec verba in proverbium abiisse, recte statuunt viri docti Prasch. et Scheffer. Nec diffiteri vult Burmannus, proverbii locum posse vindicare, eidem tamen simul in non multum diversum sensum, quam apud Virgilium, capi posse videntur. Ibi enim notare ait, quicunque eventus me sequatur, sive mors, sive liberatio a malis, quae passus sum apud Graecos: hic sive inter poëtas habear, sive excludar coeto, tamen exarabo librum tertium. Sed, si quid ego iudico, haec sunt contra mentem Phaedri. Non enim dicit, se excludi coetu poëtarum; testatur potius, se recipi, etsi fastidiose. Quare quum initio huius prologi sermo sit de fabulis Phaedri ab Eutycho legendis, mea quidem sententia ista formula haec poëta ionnera videtur: sive habere velis cum Musis commercium, sive non; sive legas viles istas nenias, sive non, negotiis, quae officium tibi iniungit, cura domestica, consuetudine amicorum, etc., impeditus; exarabo tamen librum tertium. Fac enim, non tantum tibi esse a negotiis tuis otii, istas legendi fabulas, non frustra laborem suscepturus sum: habebunt enim posteri, quo se oblectent.

31 sq. *Brevi*. Sic veteres dixisse pro *breviter*, probat Burmannus exemplis Cic. III ad Div. 8: *faciendum putavi, ut tuis litteris brevi responderem*, et lib. IV, 5: *decrevi brevi ad te perscribere*. Quibus adde locum Cic. de Or. lib. I, c. 46. — *Servitus*. Aesopus, Xanthi philosophi servus. Abstractum pro concreto, ut saepe. — *obnoxia*, non tantum est subiecta alterius arbitrio, sed etiam semper timida, trepida, iniuriaeque exposita, quae impune fere laeditur. Huc referri posse videtur locus Livii lib.

Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego illius pro semita feci viam,
Et cogitavi plura, quam reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quod si accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suspicione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.

XXIII, c. 12, in quo τῷ *superbus* opponit *obnoxius*, addens, *quorum alterum est hominis alienae libertatis obliti; alterum suae:* cui addi potest locus lib. VI, c. 34: *obnoxios submiserant animos non infimi solum, sed principes etiam plebis, etc.* Obnoxium et trepidum coniungit Sueton. Tib. 12, testibus Gron. et cl. Tzschuck.

37. *elusit*, evitavit. Lege quae de hoc verbo notamus ad lib. I, fab. XII, 9. — *fictis iocis*, fabulis. — *calumniam.* Verte *chicane.* Vid. ad Prol. I, 5, et lib. I, fab. XVII, 2. Calumnia proprie lis, quam alicui sine causa intendimus, ut ei molestiam et periculum creemus. Deinde usurpatur de maliliosa, aut falsa saltem interpretatione.

38. *semita* est, qua singuli ingrediuntur; *via*, qua plures.

38. Orell. *Illius porro ego semitam.* Gud. dicit in cod. esse *po* cum lineola; unde Richter et Iac. Gronov. volebant *post semita.*

40. Hoc versu significare voluit, sese delegisse fabulas, unde ipsi per calumniam inimicorum postea calamitas fuit conflata. Non vero eo animo delegerat, ut sibi ipse calamitatem contraheret, sed ex delectu fabularum et historiarum inimici eius calumniam suam exstruxerunt, quasi carpendi Tiberium, Seianum et alios potentes, causa eas potissimum delegisset. Huc maxime referendae lib. I, fab. II et VI. Quae interpretatio reliquis praeferenda omnibus. Ex quo facile intelligitur, ipsum Phaedrum auctorem calamitatis suae esse appellandum, ut supra in vita Phaedri demonstravi uberius.

41—43. *alius Seiano.* Sensus: si integri a sceleribus viri essent iudices, qui fabellis meis vitus subesse iudicarent, tunc dignum me censerem malis, quae patior. *Burmann.* — *alius Seiano.* Sumta est haecce constructio a Graecis, pro, alius quam Seianus. Sic apud Plat. Theaet. pag. 186 fin. ἄλλο ὂν αἰσθήσεως ἐπιστήμη. V. *Iani* A. P. p. 124, et *Zeune* ad Viger. p. 75, b. Eodem modo Latini adiectivo suo *alius* utuntur. Hor. lib. I, ep. xvi, 20: *neu putes alium sapiente bonoque beatum*, et lib. II, i, 240: *alius Lysippo.*

45—47. Recte interpretatus est

Huic excusatum me velim nihilominus:
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.
Rem me professum dicet fors aliquis gravem.
Si Phryx Æsopus potuit, si Anacharsis Scytha
Æternam famam condere ingenio suo:
Ego, litteratae qui sum propior Graeciae,
Cur somno inerti deseram patriae decus?

Gronovius: si quis falso suspicabitur, se his tangi fabulis, et sibi applicabit, quae in genere dicta sunt, nemine certe destinato, is stollde se ipse prodet, ostendetque, quam sit male sibi conscius. — *rapiet ad se*. Cicer. sollemnis locutio, etiam in aliis rebus. Sic lib. I de Off. 3: *utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur*, et II, 10, de admiratione, *totos ad se convertit et rapit*; Ter. Prol. Adelph 3: *rapere in peiorem partem*. Burm. — Eleganter ad notandam calumniam vinleutamque interpretationem. *Tzschuck* — Sibi tantum applicabit, et aliis nil dictum credet. Cf. Schirachii Clav. P. I, p. 313. — *erit*, est. Vid. lib. IV, fab. IV, 12. — *commune omnium*, quod tangit omnes. Avianus in Praef. dixit *iocos communes*, i. e. qui tangunt omnes. -- *nudabit*. Signatius, quam patefaciet, iudicabit.

51. At forsan dicet aliquis, me magni momenti rem esse pollicitum. *Profitéri* est ultro offerre aliquid, polliceri. Cic. Rosc. Am. 53: *eadem in re operam vestram profitemini*. Sic alibi.

53. *condere famam*. Recte ex notione aedificandi explicant Scheffer. et Tzschuckius. Simili modo Sil. Ital. lib IV, 36 sq. dixit: *iuvat ire periclis Ad decus, et dextra memorandum condere nomen*, ubi *condere nomen* est, gloriam comparare.

54. Huius et sqq. versuum sensus, ut iam supra indicavi in Vita Phaedri, hic est: Ego, qui sum propior Graeciae litteratae Aesopo, qui in Phrygia; et Anacharsi, qui in Scythia erat natus, nolo patriae meae decus per inertiam deserere; quum Threissa gens, quamvis a Graecia sit multo remotior, suos tamen auctores Linum et Orphea numeret. — *litteratae propior Graeciae*. Phaedrus enim Macedonia ortus erat, natus in iugo montis Pierii, qui situs erat in Thessaliae confiniis.

55 *Cur somno inerti*, i. e. ignavia mea, *deseram*, omittam promovere et ornare, quum possim, *patriae meae decus?*. — *deseram*, omittam augere, negligam, postponam. Ita Liv. lib. I, c. 20: *ne sacra regiae vicis desererentur*. Cic. III Att. Ep. 19: *deserere preces fratris, promissa Sextii, spem Terentiae .... patriae decus.* Nam in monte Pierio, in quo Phaedrus natus erat, Musae, artium et litterarum Deae, credebantur esse genitae. Hinc *in ipsa paene schola* natum se esse dicit vs. 20. Sed qui censent, Phaedrum Thracem fuisse, ut Burmannus, hunc versum ita explicant: Ego cur decus iam inceptum et acquisitum per Orphea et Linum

Threïssa quum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit, et domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abesto livor : ne frustra gemas,
Quoniam sollemnis mihi debetur gloria.
Induxi te ad legendum : sincerum mihi
Candore noto reddas iudicium peto.

Thraciae (unde mox *sollemnis gloria* vocatur) *deseram somno inerti*, i. e. ignavia mea destituam, et non propagem studio et cura mea? deserimus enim inchoata iam, ut ita *deserere bellum* Iustino II, 12, *deserere morte opus* Ovid. IV ex Pont. XVI, 46.

56. *auctores*, poëtas. Intellige Linum et Orphea, Thracia ortos. Ita Homerus a Cicerone *auctor* dicitur Off. III, c. 26; et Hor. A. P. 45, et Ovid. Fast. VI, 709, *carminis auctor* habent.

59. Cursum vehementiorem Hebri fluvii retardavit, adeo quidem ut hic, dulcedine carminis captus, libentissime moraretur. — *Hebri*. Hebrus est fluvius Thraciae, oriens ex Haemo monte, et in Aegeum mare exiens. — *impetus*. Apte utitur hac voce, quae de rapido flumine, per carmina Orphei cursum suum retardanti, proprie dicitur.

61. *Quoniam*, referendum ad *frustra* vs. praec. — *sollemnis gloria*, laus litterarum, patriae meae iam solita. Vid. ad vs. 55. Sed qui statuunt Phaedrum Thracem fuisse, poëtam exempla Lini et Orphei respicere existimant. Sic Schefferus et Burmannus, qui de usu vocis *sollemnis*, hac significatione, docte disserit. Ita Sueton. Aug. 44 : *feminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari sollemne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit*. Hor. I, Ep. 1, 101, *sollemnia insanire* dicit, quod viri docti explicant, more solito. Quibus exemplis adde Cicer. Att. VII, 6 : *nostrum illud sollemne servemus*.

61. Orell. *mihi sollemnis*.

FABVLA I.

ANVS AD AMPHORAM.

Anus iacere vidit epotam amphoram,
Adhuc, Falerna faece, e testa nobili
Odorem quae iucundum late spargeret.
Hunc postquam totis avida traxit naribus:
O suavis anima! quale in te dicam bonum
Antehac fuisse, tales quum sint reliquiae?

1—3. Sunt, qui putent, testam dici *nobilem*, vel ob locum, ubi ficta erat, vel materiam, in qua veteres luxuriasse constat. Ita quoque intelligunt Gudius et Burmannus. Alii, ut Schefferus, Sautoroc., Schirachius Vir Doctus l. c. ob titulum *nobilem* dici censent, qui amphoris appendebatur, et qui vel vetustatem, vel nomen et patriam vini tam excellentis referebat; quo facto testa quemdam retinebat honorem et gratiam apud vinosos. Equidem mallem posterius. Testa enim eo iucundiorem odorem sparsisse credi potest, quo excellentior fuit nota Falerni.

3. Orell. *iocundum*.

4. *traxit*, attraxit. Graphice haec expressa sunt.

4. Orell. *Hunc*.

5 sq. O *suavis anima*. Vel ita intelligi potest, ut vocet amphoram *animam* suam, ut saepe amantes *animas* suas vocant amicas, et Graece ψυχὰς, et quemadmodum Cicero carissimis suis scribens *vos animae meae*, inquit, quod placet vehementer Gudio et Burmanno, quos vide, nec non Hoogstratano atque Richtero; vel si de odore amphorae iam epotae est capiendum, sermonem, ut centies fit, ab odore convertit ad amphoram, unde odor ille emittebatur, ut et Albinus et *Lallemant* Gallici interpretes ceperunt. Vid. Gud. et Burm. Equidem praefero posterius. Walchius explicat de ipsa muliere, quasi diceret: quantum mihi suavis est anima mea, dum tam dulcem odorem, ex Falerna faece excitatum, percipio: quae vix intelligit Burmannus, nisi de anhelitu suavi, quem mulier vino potato emitteret ore, capi velit, sed quid tunc faciet *in te*, ut legit Walchius? Interpretatio Walchiana fere redire videtur ad Freinshem. qui τὸ *anima* vertit in Indice per *Athem*.— *quale in te dicam bonum*. Recte explicat Burmannus: quam praestans vinum, o amphora, olim continuisti, cuius faex ipsa tam suavem adhuc odorem spargit! Vehementer autem, notante Gudio, feminae Graecae et Latinae amabant vinum. Pleni sunt eius rei utriusque linguae poetae. In his Iuvenalis, qui feminam comparat serpenti, Sat. VI, 431: *tanquam alta in dolia longus deciderit serpens, bibit et vomit*, similitudine valde concinna. Nam Plin. lib. X, 72, scribit,

Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

serpentes valde appetere vinum. — *quale in te dicam bonum.* Bothius edidit e Cod. Perott. *quale te dicam bonum.*

7. Non una est de explicando hoc loco virorum doctorum sententia. Burmannus ita fere interpretatur: *Qui ingenium moresque meos noverit, intelliget, quem hac fabula tangam. Nam ebriosae anus haec verba in senilem effetamque Tiberii Caesaris libidinem conveniunt, quae exhaustis viribus, dum plena iam fiui non potest obscena voluptate, eius tamen reliquiis utcunque se oblectat. Vid. c. 44 sq. Suetòn.* Non pauci Interpretes ad senectutem Phaedri referunt, ut Rittershus., Rigalt., Danet., Hoogstratan., Freinshem., Santoroc., Scheff., Brotier. In his Guyetus huic versui hunc sensum tribuit: *qui me noverit dicat, mirum me iuvenem fuisse, qui talis sum senex.* Schefferus vero: *vult,* inquit, *ex hoc ultimae senectutis, quae est quasi vitae faex, opusculo fabularum posse colligi, qualis fuerit integra adhuc aetate.* Burmannus praeter coniecturam iamiam memoratam, et hanc profert: » posset et fabula simpliciter de vita humana et senectute, quae *faex vitae* est, ut ait Seneca Ep. LVII intelligi, cuius, etsi optima pars exhausta sit, reliquiae sunt gratissimae. » Aliter tamen sentit Schirachius V. Cl. in Clav. v. *anima*, scribens: » Totam hanc fabulam miror Schefferum retulisse ad senectutem Phaedri, inductum vers. ult. Num credibile poëtam tam elegantem se tam immaniter laudasse? Nam quid aliud nisi summa sui ipsius laus, si innuit, senectutem suam, seu faecem vitae suae adhuc tam bene olere in fabularum suarum elegantia, ut iuventutis indicet praestantiam eximiam. Ego refero ad Aesopi fabulas, conversas in linguam latinam a Phaedro: has quasi reliquias et faecem amphorae optimi vini vult haberi, et si cui ipse placeat, debeat is colligere, quanta ipsius Aesopi sit excellentia; quod consueta sua breviloquentia sic extulit: *Hoc quo pertineat dicet, qui me noverit*, h. e. me cognoverit imitatorem Aesopi. Heinsius fabulam refert ad servitutem Phaedri et libertatis recordationem: Zeunius vero cum ad senectutem poëtae ingravescentem, tum ad calamitatem illius, statuens, utramque rem habere vim debilitandi ingenium. Vid. P. II Phaedri pag. 29 Edit. Hal. De Senectute locum volunt intelligi Funccius Apol. pro Phaedro p. 36, et cl. *Iacobs* in Additamentis ad Theor. Sulzer. T. VI, P. 1, p. 33: immo vero coniiciunt, hocce epimythio significare voluisse, de suo ipsius ingenio, doctrina atque virtutibus e paucis fragmentis, in fabulis suis obviis, non posse iudicari. In tanta sententiarum discrepantia, quum certiora nesciamus, obsequamur Burmanno, hanc in rem scribenti: *Quia Phaedrus noluit se aperte explicare, et nos a quaerendo desistamus.* »

FABVLA II.

PANTHERA ET PASTORES. *

Solet a despectis par referri gratia.
  Panthera imprudens olim in foveam decidit,
Videre agrestes: alii fustes congerunt,
Alii onerant saxis: quidam contra miseriti,
Periturae quippe, quamvis nemo laederet,
Misere panem, ut sustineret spiritum.
Nox insecuta est: abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie.
At illa, vires ut refecit languidas,
Veloci saltu fovea sese liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis, provolat,
Pecus trucidat, ipsos pastores necat;
Et, cuncta vastans, saevit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant,

(*) Hac fabula Tiberium, Rhodi exsulantem, et postquam rediit, saevientem in eos, a quibus despectus fuerat, describi, auctor est Guyetus, addicente Burmanno.

3. *agrestes.* Ita passim apud poëtas et historicos vocantur rustici, in agris viventes, qui *urbanis* opponuntur. — *congerunt fustes* in eam, vel ei; nam utrumque rectum, id est, fustibus coniectis eam impetunt.

5. *Periturae quippe*, quum peritura esset.

6. *Misere.* Obiecerunt. —*sustineret spiritum.* Vitam servaret. Cic. Verr. 5 extr. *re frumentaria alimur et sustinemur.*

10. *fovea sese liberat.* Exsilit. Latinissime. Eodem modo Cic. de N. D. II, 3: *cavea liberati pulli.* Ovid. Met. VI, 551: *vagina liberat ensem.*

11. *cubile.* Tuguria, vel latibula bestiarum *cubilia* dicuntur.

12. *provolat* cubili. Eleganter notat ipse vehementiam.

14. *saevit irato impetu*, pro simplici, saevit irata. Venustas et elegantia poëtica et hic notanda. Licuit autem Phaedro impetum dicere *iratum*, quum ira ex impetu appareat. Eodem modo, infra lib. III, fab. X, 25, dixit, *irae furentis impetum non sustinens*, pro ira, quae in furorem agit. V. Burm.

Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.
At illa: Memini, qui me saxo petierit;
Quis panem dederit: vos timere absistite:
Illis revertor hostis, qui me laeserunt.

FABVLA III.

ÆSOPVS ET RVSTICVS. (*)

Vsu peritus hariolo velocior
Vulgo esse fertur; causa sed non dicitur,
Notescet quae nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite. Monstro exterritus,

16. *Damnum haud recusant.* Pecus amittere non recusant. Vs. 13. —*pro vita rogant.* Male haec damnat Scioppius, quasi parum Latina, et Walchius purae et priscae Latinitatis non adeo frequentem hanc locutionem iudicat. Sed multis auctoritatibus vindicant Schefferus et Burmannus, quos vide. Cic. de reditu suo ad Quir. c. 7: *pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit.* Iustin. lib. XVIII, c. 6: *Pacem deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita Dii rogari maxime solent.* Sueton. Aug. XIII: *pro vita rogantes.* Differunt vero *rem rogare*, et *pro re.* Illud est petere rem, quam non habemus, hoc, precari, ut nobis servare liceat. Id quod recte notavit Burmannus post Gud.

17. *At illa.* Bothius, *Et illa.* Sic MSS. Pith. Rem. — *Memini qui.* De hac frequenti ellipsi, pro *illius qui*, vide quos laudat scriptores Burmann.

(*) Hanc fabulam veritum, ne quis ad monachos traheret, interpolasse Lancellotum monachum S. Cyrani, qui ediderit Latino-Gallice 1702, statuit Burmannus ad h. l. post Heumannum. Sed viri docti Robertum *Prevost* cum Lancelloto miscuisse videntur. Vide quae notantur in Notit. litter. de Edit. Phaedri ad ann. 1734 et 1702. Coll. Vers. Gall. ann. 1702.

1. Homo experientia edoctus vulgo velocior in coniectando et iudicando esse dicitur hariolo, i. e. rerum caussas celerius reperit. — *velocior*, scilicet ingenio. Vsurpatur haec vox cum de velocitate corporis, tum de celeritate animi, cogitationum et, ut hoc loco, ingenii. Sic apud Ovid. Met. VIII, 254, est, *vigor ingenii velocis*, et Cic. I Tusc. 19: *nihil est animo velocius.*

2. *causa*, unde natum sit proverbium, scilicet in Aesopo quaerenda est, qui ad adspectum monstrosi partus e vestigio causam reperiebat in flagitiis pastorum.

5. *exterritus.* Efficacius est, quam simplex *territus*, quod docet locus Ovid. Metamorph. 487; *monstris ex-*

Ad consulendos currit moerens hariolos.
Hic pertinere ad domini respondet caput,
Et avertendum victima periculum.
Ille autem affirmat, coniugem esse adulteram,
Et insitivos significari liberos:
Sed expiari posse maiori hostia.
Quid multa? variis dissident sententiis,
Hominisque curam cura maiore aggravant.
Æsopus ibi stans, naris emunctae senex,
Natura nunquam verba cui potuit dare:

territa coniux, territus est Athamas, in quo poëta maiorem dat feminae terrorem, quam viro.

7. *caput.* Vid. ad lib. I, fab. XIV, 15, et lib. I, fab. XXX, 11. Dixit autem ad *caput* domini pertinere, quia praecesserat *agnos humano capite.*

9 sq. De eiusmodi prodigii interpretatione cfr. locus Cic. Div. lib. I, cap. 53, a Gronovio notatus: *Si puella nata biceps esset, seditionem in populo fore, corruptelam et adulterium domi.* —*insitivos*, h. l. adulterinos, spurios, commoda translatione ab insitione arborum. Hor. Epod. II, 19. Alias etiam adoptivos liberos recte dixeris *insitivos.* Vid. Rittershus. Seneca Controv. II, 9, post med. *insitivus heres*, i. e. heres per adoptionem factus. Simili modo Cic. pro Sext. c. 47. Quintium, qui se Gracchi filium mentitus erat, Gracchum vocat *insitivum*, teste Scheffero.

11. *maiori hostia.* Accipiendum respectu aetatis, non formae corporis. Denotatur autem ovis bidens, quae opponitur lactenti. Liv. lib. XXII, 1: *decretum, ut ea prodigia partim maioribus hostiis, partim lactentibus procurarentur.* Huc facit locus Festi: *maximam hostiam ovilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore;* et Cic. Legg. II, 12: *illud non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis*, ubi *lactentes* et *maiores* hostiae opponuntur. Passim Livius prodigia *maioribus* hostiis scribit esse procurata, ut lib. XXXII, 1; XXXIX, 22; XL, 2; XLV, 2; alibi.

13. Ex incerto et sollicito dimittunt multo incertiorem et sollicitiorem, ex interpretatione Rittershusii.

14. *stans.* Hoc verbum non tam corporis statum, quam quod praesens ibi adesset Aesopus, Burmanno significare videtur, qui *stare* pro *esse* capi, docte probat e Serv. ad Virg. Aen. I, 646, ut omittam alia. — Scripsimus *obstans*, i. e. obviam veniens, ut est Plaut. Stich II, 1, 14. Amat antiqua Phaedrus. *Bothe.* Laudat correctionem Censor eruditus Lipsiensis. — *naris emunctae senex.* Poëtice et eleganter dictum et expressum ex Hor. I, Sat. IV, 8. Translatio deducta a canibus venatoriis, de iis, qui rem possunt subodorari, i. e. qui sunt iudicio tam acri tamque exacto, ut rem occultam indagare et intelligere possint.

15. Vult Phaedrus, Aesopum re-

Si procurare vis ostentum, Rustice,
Vxores, inquit, da tuis pastoribus.

FABVLA IV.

SIMII CAPVT. *

Pendere ad lanium quidam vidit simium
Inter reliqüas merces atque opsonia;
Quaesivit, quidnam saperet? Tum Lanius iocans:
Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.

rum naturalium causas optime calluisse, et in rebus naturalibus non potuisse decipi. Recte igitur viri docti Gudius, Scheffer., Gronov., Tzschuck. hunc versum interpretati sunt: natura non potuit externa specie decipere Aesopum, i. e. nunquam induci potuit ad credendum, monstrum aut prodigium esse, quod naturalem causam haberet, quamvis latentem et minime obviam.

16. *procurare.* Expiare, avertere. De procuratione prodigiorum v. Guther. de iure Pontif. lib. I, cap. 21. At de monstrosis huiusmodi partubus Boulangerum de prodigiis c. XVI, coll. Brisson. lib. I, p. m. 127.

Hac fabula, quae haud dubia ingenuae Latinitatis specimina continet, Phaedrum hariolos puto ridere. Sed Philippus poëtam censet destringere immane quoddam libidinis monstrum. Vid. Ej. Edit. Phaedri p. 298 sq.

(*) Orell. *Lanius et Simius.*

3. *quidnam saperet*, quomodo. Latinitatem huius locutionis probat Burmann. e Martial. XI, 90 Bipontin. Senec. Epist. LXXVII: *quid sapiat ostreum, quid mullus*, optime nosti; et Nat. Quaest. III, 18: *piscem, qui, ut aiunt, saperet ipsum mare.*

4. *caput.* Nonnulli Interpretes intelligunt, caput simii, hoc sensu: ut deforme est caput simii, ita et sapor est pessimus. Nam sequentia (vs. 6 sq.) indicant, ex facie hic iudicasse lanium. Sic intellexit locum clar. Tzschuck. præeunte Burmanno. At vero quum Phaedrus dicat, verbis lanii contineri iocum (*tum lanius iocans*), is quidem Desbillonio recte videtur consistere in ambiguitate vocum *caput* et *sapor*, ita ut unaquaeque vox sensum duplicem habeat. Id ergo quod dicit lanius, simul respicit hominem, cuius quale est caput, talis credendus est sapor, sive ingenium, sapientia. Sed quo turpiore capitis forma praeditus erat, qui de sapore simii interrogabat, eo magis ridicule responsum fuerit. Tale quid iam olim videbat Burmannus, coniiciens, hominem, qui interrogabat, fortasse facie fuisse deformi. Vocem autem *sapor*, sapientiam, ingenium significare posse, patet ex loco Cic. Or. post redit. c. 6, qui Desbillonio debetur, ubi de Gabinio: *sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum diceres.*

Ridicule magis hoc dictum, quam vere, aestimo;
Quando et formosos saepe inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

Ceterum Romae hoc accidisse, nec fabulam, sed historiam esse, veri non absimile videtur Burmanno. Alii Interpretes explicant hunc locum aliter. Sic Bothius: » *Caput*, hoc est *totum animal*, non caput sensu proprio, vel os orisque pulchritudo, qui error est eius, qui epimythium adscribillavit. Ita autem saepe usurpant vocem. Ter. Andr. II, II, 34, *ridiculum caput* dixit pro ridiculo homine; Hor. I, Od. XXXIV, *carum caput* pro caro, vel dilecto homine, etc. Iam autem sententia et vera existit, et minime, ut opinor, ridenda. Quum enim quod in carnibus *sapor* est, id in hominibus *mores* haud absurde dicantur, scriptor docere nos voluit, *Hominum qualia sint ingenia, tales etiam plerumque mores esse*. Quare epimythium, quod et calumniatur scriptorem, et in narratione brevi et ad locum tantum composita superfluum est, confodiendum censeo. « Bothio accedit Censor Phaedri Paufleri paullo ante cit. Sed quum omnibus Phaedri fabulis addita sint vel promythia, vel epimythia, equidem causam nullam video, cur hic epimythium abesse debeat. Fac enim, hanc narrationem ad locum tantum esse compositam, nec historiam, quae Romae acciderit, sed fabulam esse; epimythium non magis erit superfluum, quam in aliis Phaedri narrationibus, quae fabulae dici non possunt. Neque etiam brevitas narrationis inducere nos deberet ad credendum, epimythium esse superfluum, quod confodiendum sit, quum in aliis iisque brevioribus narrationibus (e. g. lib. I, fab. VII; lib. IV, fab. III) epimythia videamus addita. Argumentum denique epimythii nostri minime ridendum puto; carpit enim Phaedrus eos, qui, ut hodie centies fieri solet, et ut Romae etiam factum esse credibile est, ex sola facie de aliis iudicabant. Quum igitur epimythium, quod habent Codices, etiam Perottus, non reiici posse videatur, nec interpretatio vocis *caput*, ceteroquin erudita, potest admitti. — *praestatur*. Sollemne verbum venditoris, quo promittit rem esse talem, atque sic venturam ad emtorem, qualem dicit. *Scheff.*

5. *aestimo*. Male censet Bentleius, hoc verbum hac significatione inferioris esse aetatis. Nam praeter ea, quae Munker. praef. ad Hygin. et post Gronov. Burmannus ad Quintil. I. O. lib. V, cap. 10, et ad h. l. ad vindicandam Latinitatem vocis attulerunt, alii scriptores et ipse Phaedrus lib. IV, fab. XVII, 15, hoc verbum pro *iudicare* usurparunt. Ita Sallust. Cat. 8: *Atheniensium res gestae, sicuti ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere*. Id. ib. c. 31: *ne aestumarent, sibi perdita republica opus esse*. Caes. B. G. III, 20: » quum in Aquitaniam pervenisset, quae pars ex tertia parte Galliae est *aestimanda* « i. e. pro tertia parte Galliae habenda. Maxime huic verbo locus est, ubi duo inter se componuntur, et quid praeferendum sit, quid postponendum iudicamus, ut hoc loco. Ita, teste Burmanno, Vell. Paterc. II, 70: *ex sua fortuna eventum collegae aestimans*.

7. Exemplo sit vel ipse Aesopus,

FABVLA V.

ÆSOPVS ET PETVLANS.

Successus ad perniciem multos devocat.
 Æsopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus: Plus non habeo mehercule,
Sed unde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce dives et potens; huic similiter
Impinge lapidem, et dignum accipies praemium.
Persuasus ille, fecit quod monitus fuit;
Sed spes fefellit impudentem audaciam:
Comprensus namque poenas persolvit cruce.

quem corpore deformem fuisse accepimus, sed mire ingeniosum, ut iure optimo illud Ovidianum de se dicere potuerit: *Si mihi difficilis formam natura negavit, Ingenio formae damna rependo meae.*

1. Rebus ex animi sententia succedentibus, fit, ut hoc ipsum multis afferat exitium, dum ad aliud huiusmodi factum inflammantur. — *devocat*, pellicit, ducit. Eodem modo Cic. Cat. I, 5: *Italiam ad exitium et vastitatem devocas.*

3. *tanto melior*, debet subintelligi *es*. Vid. Vavassor. de vi et usu quorumdam verborum pag. 60, et quae notantur ad Petron. c. LXIX. Senec. de Tranq. An. c. XV: *laudemus toties dignum laudibus, et dicamus: tanto fortior, tanto felicior!* Burm. — De hac formula probantis alterius dictum, aut factum, apud veteres inprimis comicos frequenti, fuse disserunt firmantque exemplis Faber, Scheffer. Dispontin. Ter. Heaut. III, II, 37: *tanto hercle melior!* Contrarium est, *tanto nequior.*

7. *dignum.* Ambigue dictum.

9. *impudentem audaciam*, impudentem audacem. Idiotismo Phaedro sollemni, quem saepe vidimus. Ter. Heaut. II, III, 72: *O hominis impudentem audaciam.*

10. *cruce.* Non mirum videri debet, petulantem cruci esse suffixum, quum sermo sit de potente, qui laesus fuerat. Frustra igitur sunt, qui de alia quacunque castigatione, ut flagellorum, fustium, etc., locum intelligant. Constat enim homines, maxime servos, non raro leviora ob delicta, cruci esse suffixos.

FABVLA VI.

MVSCA ET MVLA.

Musca in temone sedit, et mulam increpans:
Quam tarda es! inquit; non vis citius progredi?
Vide, ne dolone collum compungam tibi.
Respondit illa: Verbis non moveor tuis;
Sed istum timeo, sella qui prima sedens

1. *mulam.* Mularum usum fuisse quondam in vehiculis creberrimum, Schefferus amplius ostendit in erudito opere *de Re Vehiculari.*

3. *dolone.* Ita eleganter appellat gloriosa musca aculeum suum. Est autem *dolon* flagellum, intra cuius virgam latet pugio, Interprete Servio ad Virg. Aen. VII, 664, aut secundum Varronem ingens contus cum ferro brevissimo. Vid. etiam Isidori Orig. lib. XVIII, c. 9, qui appellat *dolones* vaginas ligneas, inter quas latet pugio, sub baculi specie. — *ne dolone collum compungam.* Hanc frustra praepos. *cum* sollicitant Burmannus aliique. Cuius nimirum musca superba non partem colli, sed totum dolone compunget collum; nota vim praep. *cum*, quae, ut graecorum τὸ σὺν, indicat quod gallice vocamus *la totalité, l'ensemble.* Vid. *conterritus* lib. I, fab. XII, 7; *combibere* lib. I, fab. XIV, 9; *conspexit* lib. I, fab. XXIV, 2. *G.*

4. *Verbis,* i. e. minis; vs. 11.

5. *sella prima sedens.* Luculenter patet, agi de scamno aurigae. Non raro aurigae sedebant in ipso temone, Virg. Aen. XII, 469; Stat. Silv. lib. I, 143 sq.; vel etiam iuxta vehicula ambulabant, maxime urbana, mulierum usibus servientia atque ad splendorem facta, v. Liv. I, c. 48, ubi in historia Tulliae *restitisse pavidus, atque inhibuisse frena is, qui iumenta agebat,* dicitur; de quo pluribus egit Scheffer. de Re Vehic. pag. 227. At vero aurigae et muliones interdum etiam sedisse videntur in vehiculis, illis maxime, quibus utebantur in itineribus, vel vehiculis militaribus. Sedebant autem in scamno, vel sella, temoni proxima, quae huic immineret, vel incumberet. Ad quam rem probandam non lubet cum Scheffero provocare ad monimentum antiquum, quod exstat Veronae in area S. Proculi, exhibens imaginem vehiculi et aurigae, sedentis in sella, proxima temoni, altera manu habenas, altera flagellum tenentis, addita inscriptione: Visiativs Zosimvs Liberatvs Fac Cvr. Propositum est istud monimentum ab Onuphrio Panvinio in Antiquitt. Veron. p. 176, coll. pag. 228, nec non a Scheffero, etsi minus accurate, in opere de Re Veh. lib. I, p. 226. Namque istud monimentum, si omnia rite expendantur, christianae videtur esse originis, referendum ad saeculum p. C. N. IV aut V. Sed videamus, annon loca quaedam e priscis scriptoribus afferri possint, quae

Iugum flagello temperat lento meum,
Et ora frenis continet spumantibus.
Quapropter aufer frivolam insolentiam:
Namque, ubi tricandum, et ubi currendum sit, scio.

stabiliendae sententiae nostrae inserviant. Huc referendus locus Curtii lib. IV, c. 15: *Auriga Darii, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est;* ex quo confici potest, in militaribus vehiculis interdum sedisse aurigam, et sedisse *prima sella* ante militem, seu pugnatorem, qui sedebat secunda. Accedit locus Suet. Vesp. 23, quem Schefferus laudat: *Mulionem, in itinere quodam, suspicatus ad calceandas mulas desiluisse, ut adeunti litigatori spatium moramque praeberet, interrogavit,* etc. Sed probabile est, desiluisse, qui antea sedebat, non in ipso temone, sed scamno, temoni vicino. Quibus si adiungatur locus Phaedri, in quo vocem *sella* de temone vix capere licet, res nihil dubitationis habere videtur. Sella autem aurigae in loco Phaedri dicitur *prima* respectu numeri, quum vehicula plures haberent, quibus facere itinera consueverant; tale enim h. l. intelligendum est.

6 seq. *Iugum meum*, i. e. me, quae adiuncta currui gero ingum. — *temperat*, regit, seu excitat *flagello lento*, flexibili, quando vult me ire citius; *et ora frenis continet*, coërcet, reprimit, quando lentius. Quo fit, ut probe sciam, ubi *tricandum*, i. e. lente incedendum, et ubi currendum sit (vs. 9). Sic interpretor hunc locum, qui vexavit interpretes, quum *ora* frenis temperentur, non *iugum*. Aliter tamen sentit cl. Tzschuckius, scribens: » Phaedrus idem duplici ratione expressit, *iugum* et *lora*, *temperat* et *continet*, *flagello* et *frenis*. Ita omnino composite inhibitum cursum describit, singulisque partibus regiminis illustrat. Sunt autem praecipuae in vehendo curru iugi partes, quo temperato ipse cursus temperatur. « Sed ut omittam, rectius in hoc loco legi *ora*, quam *lora*, Phaedrus, succinctae brevitatis studiosus, vix unam eamdemque rem in eodem nexu duplici ratione expressisse censendus est. Deinde aurigae non temperare iugum, seu excitare solent iumenta flagello, quomodo cursus inhibendus est, immo vero ora continent frenis. Versus denique 9 manifestu ad vs. 6 et 7 referendus est; ne dicam, iugum nullo modo posse temperari. Ex quo intelligitur, vox *lento* vix capi posse pro *tardo*. — *iugum meum*. Quum iugum moderamine non egeat, neque etiam vox *iugum* pro mulabus iugatis capi possit, quia tunc duae deberent fingi; haec vox synecdochice accipienda, pro, me quae gero ingum: adiunctum pro subiecto. — *lento*. Eodem modo *lentae habenae* Ovid. A. A. I, 5, et Met. XV, 520; *lenta frena* A. A. I, 472, dicuntur, quia erant ex loro, ut et flagella, vel si ex alia materia essent, aeque lenta, non rigida fuisse credendum est, ut *lentas virgas* dixit Plaut. Asin. III, II, 29. *Burm.* — *ora continet*, coërcet, quoties nimirum vult, ut eam tardius.

8. *aufer*, omitte. Plaut. Truc. IV, IV, 8: *aufer nugas*; Plant. Pers. V, II, 49: *iurgium auferas hinc.* — *frivolam*. Recte explicat Scheff. vanam, cui nullae subsunt vires.

9. *tricandum*. Tricari est, moras

Hac derideri fabula merito potest,
Qui sine virtute vanas exercet minas.

FABVLA VII.

CANIS ET LVPVS.*

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar.
Cani perpasto macie confectus Lupus
Forte occurrit; salutantes dein invicem
Vt restiterunt: Vnde sic, quaeso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?

facere, tergiversari apud Ciceronem Att. XV, 13. At hoc loco, si lectio vera, cessare, tarde et otiose ire. Exemplum tamen insolentioris huius significationis vix reperias alibi. Quare ista locutio cum aliis multis inter singularia Phaedri referenda. Fide Bentleii Glossae veteres: *tricosus*, cessator, λαγγὼν, ἀργός. Gloss. Isidor. *acinari, tricari, in parvo morari.*—*ubi currendum sit scio.* Laudat Bentlei. Ter. Adelph. IV, II, 31: *scio ubi scit, verum hodie numquam monstrabo.* Idem vir doctus quoque notat, mulam ignorare commodum tempus, quod melius mulio sciat. Respondet Burmannus: in fabulis sensus hominum datur animalibus, quia sunt imagines hominum et quorum exemplo poëta docet homines, quid faciendum, quid fugiendum. Sed potest etiam alio modo responderi, de quo vide interpretationem nostram vs. 6 seq. Vehementer gaudeo, cl. Bothio placuisse vulgatum *tricandum.* — Gruter. Rig. Burm. *strigandum.* Mihi quoque hoc verum videtur, etiam post accurate pensitatum Schwabii Excursum VI. Negari enim nequit in v. *tricandi* inesse malitiae cuiusdam notionem minus huic loco convenientem, contra v. *strigandi*, de iumentis crebro usitatum, quietem propter qualemcumque causam, h. l., mula loquente, etiam voluntariam optime significat. *Orell.*

9. Orell. *Nam ubi † tricandum.*

11. *virtute.* Hoc loco pro viribus, robore.

(*) Orell. *Lupus ad canem.*

2. *perpasto*, praepingui. Locutio rarior. Vet. Gloss. *pastus*, πιμελὴς, λιπαρός. Vid. Gud.—*perpasto. Per* vim habet superlativi, ut τὸ Graecorum περὶ (a quo Latinorum *per*) quod exprimit excellentiam, etc. *G.*—*macie confectus. Confici* proprie est arenae verbum, quod de gladiatore, multis vulneribus confosso, dicitur; deinde etiam de aetate, morbis, fame, inopia attritis, ut h. l.; lib. II, fab. VIII, 21, eodem sensu dixit, *boves corruptos.*

3. Orell. † *dein salutantes.*

4. *nites.* Verbum *nitere* et *nitidus* non raro de bene saginatis exquisite usurpatur. Hor. lib. I, Ep. XV, 15, iungit *pinguem* et *nitidum.*

5. *fecisti tantum corporis. Corpus* Latinis interdum carnositatem et cras-

Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter: Eadem est conditio tibi,
Praestare domino si par officium potes.
Quod? inquit ille. Custos ut sis liminis,
A furibus tuearis et noctu domum.
Ego vero sum paratus: nunc patior nives
Imbresque, in silvis asperam vitam trahens;
Quanto est facilius mihi, sub tecto vivere,
Et otiosum largo satiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, adspicit

sitiem notat. Sic vocabulo *corporis* pro carne usus est Ovid. Am. I, VI, 6: *Aptaque subducto corpore membra dedit.* *Corpus subducere* est detrahere de pinguitudine, deducendo cibum quem gracilem reddere. — *Facere corpus*, Gr. σωματοποιεῖν. Cels. de Medic. VII, 3: *cibi potionesque corpori faciendo aptae.* Hartman. — Varr. VII, R. R. 6, admissarium equum *corpore multo* esse debere ait. *Rigalt.* — Contrarium *amittere corpus*, pro marcescere. Cic. VII ad Div. 26: *et vires et corpus amisi.* Gronov. — Lucret. I, 810: *amisso iam corpore,* ad quem loc. v. viros doctos in edit. Havercamp. Dicitur autem *facere corpus*, ut *facere rem* apud Terent. Adelph. II, II, 12; *vires facere,* i. e. parare apud Quintil. lib. III, c. 10; *pecuniam facere*, i. e. aggerare apud Cic. in Verr. V. *Fabr.*

7. *simpliciter*, candide, aperte. Curt. lib. IV, c. 11: »Legati respondent, quum bellum in animo sit, facere eum *simpliciter*, quod se pacis non frustraretur.» Plin. VI, ep. 22: »se *simpliciter* credunt amicis.» Plura dabit Scheff. — *conditio*, pro statu, ratione vivendi; Cic. ad Div. II, ep. VII, 9: »eaque mihi *conditio* maneat, qua profectus sum» qui locus Hartmano debetur. Plura habes in Notis Burmanni. — *est.* Praesens pro futuro, ad exprimendam eiusdem eventus et celeritatem et veritatem. *Tzschuck.*

10. Plerique interpretes h. v. ita construunt, *et a furibus tuearis noctu domum.* Sed melius Burmannus τὸ *et*, quod abest in Cod. Perotti, pro *etiam* sumi censet, hoc sensu: non modo interdiu, quum nullus est labor vigilare, et limen custodire, sed etiam noctu, quum alii dormiunt, domum tuearis. — *noctu.* Non modo interdiu, sed etiam quum nox advenerit. Ita quidam interpres; sed minus recte, ni fallor: non enim tantummodo quum nox advenerit, sed etiam *tota* durante *nocte*, a furibus domum tuebitur; nota *noctu* esse ablativum antiquum ut *luccu.* G.

11. *Ego vero.* Particula elegantissima, quae h. l. studium promptum indicat.

14. Idonea monumenta! Locus oppositorum luculenta explicatione notabilis. Post *veni* supplendum *inquit*, scilicet canis. *Tzschuck.*

15. *adspicit*, videt. Eleganter de conspectu improviso.

Lupus a catena collum detritum cani.
Vnde hoc, amice? Nihil est. Dic, quaeso, tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quiescam, et vigilem, nox quum venerit:
Crepusculo solutus, qua visum est, vagor.
Affertur ultro panis; de mensa sua
Dat ossa dominus; frusta iactat familia,
Et, quod fastidit quisque, pulmentarium.
Sic sine labore venter impletur meus.
Age, si quo abire est animus, est licentia?
Non plane est, inquit. Fruere, quae laudas, Canis.
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

17. *Nihil est.* Formula, qua de re ingrata sermones praeciduntur, et parvi momenti esse res illas, quas obiiciunt alii, indicatur, vel nos nihil curare, nihil inde incommodi sentire. Ter. Eun. IV, II, 10: *nihil est. Quid? nihil?* Burm. — *tamen.* Vrget hic preces. Elegans usus huius particulae omnino est, si quis inhaeret, instat sententiae. *Tzsch.*

18. Tota canis oratio lepida est, incommoda leviter attingentis, commoda enumerantis verbosius, bene observantibus viris doctis Scheffero et el. Tzschuck. — *acer*, i. e. asperior, ferocior. Proprie de canibus. Lib. II, fab. III, I, dixit *vehemens.* Serv. ad Aen. III, 14, *acer* interpretatur *saevus, cruentus.* Senec. Cons. ad Marc. XXII, *acerrimi canes.* Id. de Constant. 14: *canem acrem obiecto cibo leniet.*

20. Quum advesperascit, solvor et vagor, quo lubet. Heins. laudat Col. VII, 12: *postea catenis per diem continendi, et noctibus solvendi.*

21. *ultro*, me non rogante.

22. *frusta* edulii cuiuscumque *iactat*, obiicit. Proprium verbum et elegans.

22. Orell. *iactant.*

23. *pulmentarium. Pulmentum, pulpamen, pulpamentum, pulmentarium* (Graece ὄψον, Vet. Gloss. προσφάγιον) sunt vocabula, quae plane idem significant, omne id scilicet, quo cum pane vescimur (quod cum pulte olim comedebant), quodvis opsonium, vel cibum apparatum, sive coctum, sive tostum, ut carnium, piscium, olerum. Hinc fax accendi potest Ter. loco Eun. III, I, 36: *lepus tute es et pulpamentum quaeris*, i. e. quod ipse es, quod habes in te, quaeris in altero. *Dispontin.*

25. Si quo lubet vagari, an licet? Sunt verba lupi ad canem, quibus canis respondet mox: *non plane est.*

Haec fabula, cuius ordinem sine ulla auctoritate mutaverunt Philipp. et Lallemant. teste Brotierio, est ex praestantissimis, sive species argumenti delectum, sive dialogi facilitatem et elegantiam, sive brevitatem et simplicitatem. Eamdem recte laudibus effert clar. *Iacobs.* Observatt. Tomo I praefixis.

FABVLA VIII.

FRATER ET SOROR.

Praecepto monitus, saepe te considera.
Habebat quidam filiam turpissimam,
Idemque insignem pulchra facie filium.
Hi speculum, in cathedra matris ut positum fuit,
Pueriliter ludentes, forte inspexerant.
Hic se formosum iactat; illa irascitur,
Nec gloriantis sustinet fratris iocos,
Accipiens, quid enim? cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit, laesura invicem,
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.

1. Si accepisti bonum quoddam praeceptum, inspice in id saepius, tanquam in speculum; intuere te saepius. Verbum *considerare*, quod a contemplatione siderum videtur appellari, proprie usurpatur de contemplatione, quae fit oculis.

4. *Cathedra*. Cathedrae apud Romanos sellae erant familiares, paullo excelsiores et molliores, quibus cubicula elegantiora feminarum erant ornata. Pulchre rem illustrat pictura Herculanensis (*Pitture d' Ercolano*, T. IV, *Tav.* XLIII, pag. 201) in qua conspicitur mater cum filiabus duabus, sedens in cathedra paullo excelsiori, strata pulcherrime textili stragulo, scabello instructa et opere caelato taeniisque aureis conspicua. — *ut positum fuit*. Notat, ut temere, casu, forte speculum in cathedra erat positum a matre, quae se ad illud ante compserat, non eo consilio, ut liberi inspicerent, quod Guyetus volebat, sed nescio quo casu relinquerat ibi speculum. Haec vis huius particulae *ut*, quae et τοῦ *sicut*.

5. *pueriliter ludentes*. Notandum, lusisse circa matris cathedram. Similes puerorum lusus exhibentur in Tabb. Herculanens. T. I, Tab. XXIX, quas vide.

5. Orell. *inspexerunt*.

8. *Accipiens cuncta in contumeliam*, sinistre interpretans ad sui contumeliam. — *quid enim?* Hac interrogatione utuntur, quoties significare volunt, recte aliquid dici, vel fieri. Quid enim, seu quare non faceret? quid enim potius acciperet in contumeliam? Ita Hor. I, Sat. 1, 7 sq. ubi verba *quid enim* vetus Interpres a Cruquio 1579 editus, explicat per *cur non*, recte, iudicante Desbillonio; quum antiqui auctores dixerint *quid enim* per contractionem, pro *quidni enim*?

11. *Vir natus*, quum vir sit. Graeci dicunt ἀνὴρ ὤν. Ita passim Cicero:

Amplexus ille utrumque, et carpens oscula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Quotidie, inquit, speculo vos uti volo;
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis;
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

Ep. ad Div. lib. IV, 5, *quoniam homo nata erat*, ubi v. Cortium. Id. Tusc. Quaest. III, 17: *qui mortalis natus conditionem postules immortalium.* — *rem feminarum tetigerit*. *Tangere rem feminarum*, Faber atque Scheffer proprie capiunt et explicant supellectilem muliebrem, i. e. speculum, quemadmodum *rem muliebrem* Ter. Heaut. II, III, 48, pigmenta at id genus alia, cultui et ornatui servientia, dixit. In hanc sententiam discedunt praeter alios VV. Cll. *Jordens, Schulze, Tzschucke, Lange*, in suis ad hunc locum Observationibus. Quum enim filia esset turpissima, frater, inquiunt, non pulchritudinem, sed deformitatem tetigisset. Deinde si *tangere* pro *carpere, laedere*, et *res feminarum* pro pulchritudine capiatur, hunc sensum statuunt τοῖς *vir natus* non esse accommodatum. *Schwab.*

12 sq. Suaves hi versus parem amoris fervorem egregie exprimunt. — *utrumque*, filium et filiam. — *carpens oscula*, quasi summis labris decerpens. Eleganter. Ita Ovid. Her. XI, 117.

13. Dulcem caritatem aequaliter distribuens, aequali amore ambos prosequens. Dixit *dulcem*, respectu liberorum, qui passim vocantur *dulces*.

14. *speculo*. Speculum apud veteres imago est cognitionis sui, quae princeps sapientiae pars habetur. Inde prudentiae cum serpente speculum appingitur. *Prasch.* — Cfr. vs. 1, et locus Senec. Natur. Quaest. lib. I, c. 17, quem laudant interpretes: *Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret: multa ex hoc consecuta; primo sui notitia, deinde et ad quaedam consilium: formosus ut vitaret infamiam; deformis ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset.* Hisce adde Ter. Adelph. III, III, 62 sq. *Inspicere, tamquam in speculum, in vitas omnium iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.*

15. *Tu*, distributive, respicit filium. — *nequitiae malis*. *Bona* et *mala* de corporis et mentis pulchritudine et deformitate passim occurrunt, uberius probante Burmanno. Hoc loco cum cl. Tzschuckio non inepte intelligere possis libidines.

16. *Tu* pertinet ad filiam. Insolentior locutio, inter singularia Phaedri relinquenda. — *istam* est *turpem*. Sed *vincere bonis moribus faciem turpem*, est, eam quasi delere, obruere et exstinguere, ut nulla eius ratio habeatur, si comparetur cum bonis moribus.

FABVLA IX.

SOCRATES AD AMICOS.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.
Quum parvas aedes sibi fundasset Socrates,
Cuius non fugio mortem, si famam assequar,
Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis;
E populo sic nescio quis, ut fieri solet:
Quaeso, tam angustam, talis vir, ponis domum?
Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

2. *fundasset.* Lege quae de hoc verbo docte observat Hartmanus e Laur. Vall. lib. VI Elegant. cap. 41. Noltenii Lex. Antib. p. 1467, et Bunemann. ad Lactant. Lib. de Mort. Persec. II. Recte capiunt Burmannus et Hartmanus de initio aedificationis, quum fundamenta iecisset futurae domus, unde de eius modo iudicare possent praetereuntes. Hoc enim significat *fundare*.

4. Sensus: Facile patior, me circumveniri, et vel damnari atque occidi ab invidis, ut Socrates, dummodo post mortem iudicer innocens fuisse. Ita bene Gronov. — *absolvar.* Id evenit Socrati, cuius accusatores, tandem omnium iudiciis condemnati, urbe eiecti sunt, ipse vero post mortem absolutus est. Vid. Diog. Laërt. in Vit. Socr. Ex hoc loco coll. Epil. III, 15 sqq. suspicari possis, Phaedrum, idem quod Socrates fatum expertum, calumniis inimicorum accusatum, et in vincula publica fuisse coniectum. Vide quae hanc in rem notata sunt in Vita Phaedri.

5. *ut fieri solet.* Intellige, inter aedificandum. Profert Schefferus post Rittershusium notum ea de re versum: *Qui struit in calle, multos habet ille magistros.*

5. Orell. *Ex populo.*

7. *inquit* Socrates. Simile dictum Themistocli, quum in Magnesia triclinium elegantissimum exaedificaret, illud ἀγαπᾶν ἔφησεν εἰ τοῦτον φίλων πληρώσει, tribuit Athenaeus lib. XII, c. 8 in fine. *Burm.*

FABVLA X.

POETA DE CREDERE ET NON CREDERE.

Periculosum est credere, et non credere.
Vtriusque exemplum breviter exponam rei.
  Hippolytus obiit, quia novercae creditum est:
Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est veritas multum, prius
Quam stulta prave iudicet sententia.
Sed fabulosa ne vetustate elevem,
Narrabo tibi, memoria quod factum est mea.
  Maritus quidam quum diligeret coniugem,

3. Hippolytus Thesei et Hippolytae Amazonis filius. Qui quum constanti animo sperneret mulierum congressum, a Phaedra noverca, absente patre, amatus est. Sed repulsam saepius passa impudica mulier insimulavit stupri Hippolytum apud Theseum. Ille credulus, filio, qui iam domum impudicam fugerat, mortem imprecatur. Quod votum ratum fecit Neptunus, emisso tauro marino, qui equos Hippolyti consternavit, unde per veprea et saxa distractus periit. Quod ubi rescivit male sibi conscia mulier, scelus suum confessa apud maritum, gladio se confodit. *Hoogstrat.* — *quia.* De quantitate huius particulae lege Hoogstratau. et quae notata sunt ad lib. I, fab. V, 7.

4. Cassandra, filia Priami, facultatem vaticinandi acceperat ab Apolline, hac conditione, ne quis illi fidem haberet. Saepius exitium Troiae praedixerat, sed a Troianis fides ei non fuit habita, Diis ita volentibus.

5 sq. *Priusquam* pro *potius quam* dixit, ut Liv. lib. III, 44 extr. *neu patiatur virginem adultam famae prius, quam libertatis periculum adire.* Bothe. — Veritas accurate (*multum*) exploranda et investiganda est, antequam temere praveque iudicando stulte facias. Retrahenda enim haec ad tempus ante explorationem. Ita recte Gronov. et Burm. — *iudicet sententia.* Vindicavit Burmannus usum huius loquendi rationis, quae est frequentissima apud veteres et poëtis familiaris. Ita Ovid. Metam. XV, 648: *dissidet et variat sententia*; Phaedrus vero dixit mox vs. 56, *ambitio dissidens*, et fab. XIII, 8, *religio ne peccet*, pro iudice religione adstricto; mox v. 54, *nil spernat auris, etc.* Et sic saepe apud Phaedrum et alios.

7. *ne elevem*, minuam fidem et auctoritatem eorum quae dixi (vs. 1), *fabulosa vetustate*, allatis exemplis fabulosis, ab antiquitate petitis, quae poëtae tractarunt. *Elevare* est minuere auctoritatem, extenuare, res gestas verbis deprimere, ut infra lib. IV,

Togamque puram iam pararet filio,
Seductus in secretum a liberto est suo,
Sperante heredem suffici se proximum.
Qui, quum de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitiis castae mulieris,
Adiecit, id quod sentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incensus ille falso uxoris crimine,
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Subsedit: deinde noctu subito ianuam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum iusserat,

fab. III, 5, qun sensu boo verbum saepissime legitur, ut Lexica docent et notae Burmanni.—*elevem. Elevare*, proprie, *lever de terre.* Attamen figurate est *rabaisser*, a bilance, cuius elevatnr lanx levior. Qun minuendi sensu Phaedrus (lib. IV, fab. III, v. 5): *Qui facere quae non possunt, verbis elevant.* Plautus exemplum dedit usurpandi τὸ *elevare* μειωτικῷ (diminutivo) sensu. *G.* — *fabulosa vetustate.* Iustin. II, 6: *omnis antiquitas fabulosa est.*

10. *Togamque puram.* Ad differentiam togae *praetextas*, quse in limbo attextam habebat purpuram, unde et *praetexta* vocata *est*; quam togam gestabant filii procerum et nobilium ad ann. XV. Hoc anno iu locum praetextae *togam puram* accipiebant, ita dictam, quod tota alba esset, et nihil purpurae haberet admixtum. *Pura* etiam dicitur Plin. H. N. lib. VIII, 48; etiam *virilis* dicta fuit, quia signum erat, eos iam in viros esse transcriptos. Atque ab illo tempore iam incipiebant se foro sistere et causis agendis operam dare. Ipse vero dies, quo ex ephebis excedebant, vocatur *dies tirocinii*, *Mensinga.* Catull. LXVIII, 15, dixit *vestem puram.* Cf. Cic. ad Att. IX, 19 ab init. — *pararet.* Hoc verbum indicare videtur, filium nondum fuisse puberem, etsi pubertati proximum.

12. *heredem suffici se proximum.* Sperabat, in testamento patroni, si quid filio contingeret, se substitutum esse heredem, ut veteres solebant primos, *secundus*, tertios heredes facere in casum mortis priorum. Vid. Suet. Iul. 83, et Oct. 101. Ita bene Gronov. *Sufficere* heredes dicuntur, qui alios aliis substituunt; usitatius tamen in hac re *substituere.* Verumtamen *sufficere* pro *substituere* dixit Cic. ad Div. V, 10: *Si mehercule Appii os haberem, in cuius locum suffectus sum.* Vid. etiam Nep. Hann. III, 1. Sic alibi.

17. *famam domus.* Vim habet ad iram augendam, *Tzsch.*

Ætatem adultam servans diligentius.
Dum quaerunt lumen, dum concursant familia,
Irae furentis impetum non sustinens,
Ad lectum vadit, tentat in tenebris caput.
Vt sentit tonsum, gladio pectus transigit,
Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna allata, simul adspexit filium,
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quae nil somno senserat,
Repraesentavit in se poenam facinoris,

23. *Aetatem adultam*, puerum (vs. 43) qui ad eam adoleverat aetatem, ut proximus esset pubertati, et toga pura iamiam ei parari posset. Quaeri potest, quare mater hanc curam egerit? Respondet Burmannus, ne corrumperetur a libidinosis, et ne praedator corporis admitteretur.

26. *vadit.* De vi huius verbi, quod celeritatem, impetum notat, et de incitato et violento gradu sumi solet, erudite egit Burm. ad lib. IV, fab. XVII, 42, ubi vide. — *tentat*, manu, tactu explorat.

26. Orell. *accedit.*

27. *tonsum.* Bene notat Schefferus, solitos esse pueros, alere capillos, et quum ad virilem venissent aetatem, detonsos consecrare Diis, indeque semper tonso esse capita. Vid. Martial. lib. IX, 36, et quos laudant Scheff. et Santorocus. Petron. c. LXVII: *cui deo crinem vovisti.* Itaque tonsum caput signum erat virilitatis; tonsus autem fuerat filius, simul ac toga pura parabatur.

28. *respiciens*, curans, attendens. Nep. Milt. 8: *haec populus respiciens maluit eum plecti.* Scheff.

29. *simul*, simul ac. Vid. ad lib. II, fab. IV, 14.

30. *Sanctam.* Vs. 44 dixit *castam*; cf. vs. 36—38. Epitheton sollemne, non raro obvium in lapidibus, ut apud Reines. quem Burm. laudat, Class. XIV, 54: *uxori sanctissimae.* Hor. I, Od. II, 27: *virgines sanctae.*

31. *Sopita primo somno*, i. e. recens coepto, qui arctissimus esse solet.

32. *Repraesentavit poenam facinoris.* Eleganter et Latine dictum. Sensus ex interpretatione Desbillonii: Poenam, facinori suo debitam, anticipavit, et in se ipso praesentem exhibuit, priusquam lege ageretur. Est autem *repraesentare* in re pecuniaria, pecuniam statim solvere, atque adeo praenumerare diem solvere. Sic apud Sueton. Aug. 101, *repraesentare summam* est, statim numerare. Vid. *Ernesti* in Clav. Cic. et Gronov. Sest. I, 6, p. 30. Hinc dicitur pro, facere aliquid ante tempus, citius, quam debeas, aut constitutum sit; facere statim, nulla interposita mora, non differre. Laudant Interpretes Suet. Claud. 34: *poenas parricidarum repraesentabat.* Sen. Ep. 95: *petis, ut id, quod in diem suum dixeram debere differri, repraesentem*, i. e. statim faciam. Val. Max. lib. VI, cap. v, Ext. 10:

Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.
Accusatores postularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumviros.
Maligna insontem deprimit suspicio,
Quod bona possideat. Stant patroni, fortiter
Causam tuentes innocentis feminae.
A Divo Augusto tunc petiere iudices,

protinus ferro, quod habebat, stricto incubuit; quumque liceret culpam dissimulare... poenam tamen repraesentare maluit, ne qua fraus iustitiae fieret.

34. *postularunt.* In ius vocaverunt. Hoc enim verbum saepe dicitur sensu forensi, in quo propria est, in causis privatis praetorem rogare, ut liceat actionem alicui intendere; in causis publicis vero, ut liceat nomen deferre; unde deinde, per metonymiam antecedentis pro consequente, pro *accusare* dicitur, ut hoc loco.

35. *pertraxerunt.* Vi et cum molimine traxerunt. Est verbum proprium iuris. Val. Max. V, II, 3 ext. *quodsi qua providentia deorum effici posset, ut excellentissimi viri patriam suam in ius ad aliam civitatem pertraherent.* Schefferus laudat Hor. I, Sat. 1, 11: *ille datis vadibus qui rure extractus in urbem.* Quibus addi potest vetus consuetudo, manus iniectione adversarium trahendi in ius, Lege XII Tabb. introducta, de quo vide clar. Schmidii Dissertat. de Iurisprud. Phaedri p. 36. Factum autem extra Romam fingi debet, in oppido aliquo, unde Romam usque pertraxerunt. V. Burm.

36. *insontem deprimit suspicio.* Hunc locum, quem plurimi interpretes neglexerunt, egregie illustravit clar. Lindnerus, Tentam. Phil. Crit. P. II, p. 7; *deprimit* pro simplici *premit*, i. e. gravat. Suspicio, quae mulierem innocentem gravabat, haec erat, quod bona possideret (v. 37), morte mariti et filii ad se delata, et videri poterat caedis causa esse, ut haec ipsa bona ad se devenirent. Iusto brevius dicta haec. Non autem obiici potest a iurisconsultis, mulierem heredem esse non potuisse bonorum mariti, quum constet, ad uxorem demum deferri bonorum successionem, marito defuncto ab intestato, idque deficientibus omnibus cognatis, quod suspicari h. l. vix licet. Namque illud quidem verum est, ex iure recentiore, h. e. Iustinianeo, non item ex iure prisco, sive ante-Iustinianeo; siquidem ex hoc iure uxores, quae *in manu* erant, inter *suas* heredes numerabantur, adeoque marito succedere poterant; de quo erudite exposuit Heinecius in Syntagm. Antiquitt. Romanar. Iurisprud. illustrant. lib. III, tit. 1, §. 5, p. 15. Coll. §. 2.

37. *stant patroni*, scilicet pro illa, seu a partibus mulieris insontis. Verbum forense, quod proprie usurpatur de causarum patronis, quum iudices *sedere* dicuntur, ut lib. I, fab. X, 6.

39. *Divo Augusto.* Non potuit nisi post eius mortem *Divum* appellare, quoniam, ut ait Tac. Annal. lib. XV, c. 74: *Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines de-*

Vt adiuvaret iurisiurandi fidem,
Quod ipsos error implicuisset criminis.
Qui postquam tenebras dispulit calumniae,
Certumque fontem veritatis reperit,

sierit, ad quem locum Lipsius alium affert Tertulliani: *Si non de mendacio erubescit eiusmodi odulatio, hominem deum appellando, timeat saltem de infausto. Moledictum est, ante Apotheosin, deum Caesorem nuncupore.* Quare imperatores boni post mortem demum a Romanis vocabantur Divi, etsi interdum adhuc vivis hoc nomen per adulationem sit tributum, more, quem Domitianus induxit, nomen sibi dei adscribens, quo ab aliis appellari vellet. Vide viros doctos ad loc. Tac. cit. in Edit. Gronovii c. Not. Var. coll. Suet. Aug. c. 97. Ceterum hic locus luculenter probat, Phaedrum vixisse Augusti tempore. Quod enim poëta sua memoria factum esse scribit, id neutiquam regnante Tiberio, aut Caligula, sed Octavio Augusto evenisse censendum est.

40 sq. *fidem iurisiurandi* more suo Phaedrus dixit pro iudicibus, iureiurando adstrictis, quibus in causa obscura sollemne erat iuramentum, *sibi non liquere.* Quo liberantur, iudicio ad Imperatorem devoluto. Vid. Brisson. de Form. p. m. 480. Gell. XIV, 2. Itaque sensus erit: petierunt, ut adiuvaret, sublevaret se iuratos, atque a pronuntiatione sententiae liberaret, et ipse cognoscere vellet, quia fecissent fidem iureiurando, sibi non liquere. Ita iurisiurandi fides eorum servatur. Cf. Suet. Aug. c. 33, et Excurs. Ernesti ad Suet. Caes. 43. Huic interpretationi favet, quod nihil post haec iudices illi faciant, sed Augustus solus causam cognoscat et sententiam pronuntiet. Paullo aliter intellexit locum I. F. Gronovius, scilicet ut interventu suo succurreret ipsorum religioni et provideret, ne per imprudentiam male iudicarent, atque ita violarent iusiurandum, quod dederant, secundum leges se iudicaturos, postquam iudices facti essent. Ita capiunt Gudius, Dispontin. Santoroc. Heusinger. — *error.* Eleganter de ambiguitate, incertitudine, obscuritate. Dicunt autem iudices, errorem criminis ipsos implicuisse, quia nesciebant se expedire, nec sententiam suam dicendi reperiebant certam viam, ut lib. IV, fab. V, 33: *solvit errorem omnium.*

41. Orell. *Quando ipsos.*

42. Versus elegans. Sensus: postquam intellexit, causam tanti facinoris esse liberti calumniam (vs. 44), cui quidem rei hucusque tenebrae erant effusae. — *dispulit*, dissipavit. Apte. Saepissime enim veteres hoc verbo utuntur de tenebris, nebula, tempestatibus et similibus.

43 seq. Equidem cum clar. Langio *certum veritatis fontem* nolim intelligere de liberto, qui multa de puero et plura de flagitiis castae mulieris mentitus erat (vs. 13 seqq.), per quem res patefacta sit. Non enim est credibile, huncce libertum suum ipsius nomen ad Augustum detulisse et se causam mali esse professum. Sed vero est simile, quum vidisset pater, a liberto dolo circumventus, se pectus filii gladio transegisse, eumdem

Luat, inquit, poenas causa libertus mali.
Namque orbam nato simul et privatam viro
Miserandam potius, quam damnandam, existimo.
Quod si delata perscrutatus crimina
Paterfamilias esset, si mendacium
Subtiliter limasset, a radicibus
Non evertisset scelere funesto domum.
Nil spernat auris, nec tamen credat statim:
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc admonere simplices etiam potest,
Opinione alterius ne quid ponderent:

praesentibus servis (*allata lucerna*), antea quam ferro incumberet, multa de calumnia liberti conquestum, graviter in hunc tamquam causam tanti facinoris, invectum eique diras imprecatum esse. Per servos deinde Augustus, causa cognita, veritatis fontem reperit. Servi enim in quaestionem postulati, eorumque testimonia vi tormentorum expressa fuisse videntur, ut mos erat apud Romanos, de quo uberius disseruit Heineccius in Syntagm. Ant. Romanar. lib. IV, Tit. XVIII, n. 25.

49 sq. *limasset*, disquisivisset, examinasset. Limare mendacium verbis Burmanni est, crassum et impudens mendacium subtili indagatione et examine, quasi lima quadam, deminuere, et corticem, quo velatur, detrahere. Hinc Desbillonius *mendacium subtiliter limatum* explicat, mendacium detectum, quia limando contingit, ut quale est appareat. Ista locutio inter singularia Phaedri referenda. Etsi enim nonnulli interpretes laudant locum Cic. lib. II Off. c. 10: *alia est illa, quum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas*; ubi *limare* pro *examinare* capiunt; tamen non succurrit exemplum, ex quo probari possit, veteres eodem modo dixisse, *limare mendacium*. Ceteroquin, testibus Rigaltio et Gudio, Vet. Gloss. habent: *Limatur* (leg. *limat*), *rimatur, terit* (f. *quaerit*), ζητεῖ. Interpungendum esse post *limasset*, ita ut coniungatur *a radicibus evertisset*, quemadmodum iam olim voluerant Rittersh. Faber, Scheffer. Salmasius, non *limasset a radicibus*, Burmannus iamiam vidit; quia duplici additamento *subtiliter* et *a radicibus* idem dicere videretur; neque etiam *a radicibus limare* aeque Latine dici potest, atque *a radicibus evertere*. Gudius tamen et Bentlei. *a radicibus* coniunxere cum *limasset*, quemadmodum edidere Rigalt. Nevel. Maittar. Danetus. *A radicibus evertisset*. Ita dixit Phaedrus, ut Virg. Ge. I, 319: *seges ab imis radicibus expulsa*. Eadem ratio est in *a stirpe*, ut Liv. IX, 34: *a stirpe gens exstincta*. Burm. — Quibus adde Virg. Aen. V, 449, et Ovid. Met VII, 226.

Ambitio namque dissidens mortalium
Aut gratiae subscribit, aut odio suo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
  Haec exsecutus sum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

FABVLA XI.

EVNVCHVS AD IMPROBVM.

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,
Qui super obscena dicta et petulans iurgium,
Damnum insectatus est amissi corporis.
En, ait, hoc unum est, cur laborem validius,

56 sq. Sensus: Homines, partium studio abrepti (*ambitio*), in iudicando de aliis non aequitati, aut veritati, sed favori, aut odio suo serviunt. Quo fit, ut hac in caussa variis dissideant sententiis (*dissidens*). Apte laudat Tollius locum Cic. lib. II de Or. c. 42. — *Ambitio* dicitur de omnibus rebus, quas aut gratiae colligendae caussa facimus, aut ut nos gratiosos esse ostendamus apud alios. Vid. *Ernesti* Clav. h. v. Hinc pro partium studio occurrit apud Liv. III, 47: *per ambitionem sibi ius non dictum*, et Cic. Cluent. 26, habet *ambitio iudicum*. Vide de vi huius vocis Gron. ad Liv. XLV, 36. — *subscribit*, assentitur. Dictum vel ab eo, quod dispensatorum rationibus, si eas probassent, subscribebant domini; vel inde, quod accusatorum libellis subscribebant secundi accusatores. Conf. Not. Gronovii et *Ernesti* in Clav. Eodem sensu Liv. lib. XXIII, 47, dixit, *subscribere odio*. — *dissidens*. Referendum ad partium studium mortalium, quo efficitur, ut in iudicando de aliis sententia dissideat et variet.

59. *Haec pluribus exsecutus sum.* Epimythium huius narrationis solito verbosius exposui, quoniam brevitate nimia promythiorum vel epimythiorum quosdam lectores offendi. Ita recte locum vult intelligi clar. *Jacobs* in Observatt. huic libro praefixis. De duplici autem brevitate concisa et rerum et verborum, in numero virtutum Phaedri habenda, uberius disputavi in Diss. de eo quod pulchrum est in Phaedro.

3. Sensus: ereptam virilitatem cum irrisione obiecit. — *amissi corporis*. *Corpus* de virilitate capiendum, cf. vs. 5. Ita Hor. I, Sat. II, 43: *dedit hic pro corpore nummos*, ubi Acro, *corpore*, i. e. *obscena parte corporis*. Huc referenda etiam loca, in quibus *corpus* de pudendis solet usurpari, ut *facere quaestum corpore* Plaut. Poen. V, III, 21; Liv. lib. XXVI, 33.

4. En hoc unum solum est, quod

Integritatis testes quia desunt mihi.
Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?
Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

FABVLA XII.

PVLLVS AD MARGARITAM.

In sterquilino pullus gallinaceus
Dum quaerit escam, margaritam reperit.
Iaces indigno, quanta res, inquit, loco!
Hoc si quis pretii cupidus vidisset tui,
Olim redisses ad splendorem pristinum.
Ego, qui te inveni, potior cui multo est cibus,

in hac lite ma valde sollicitat, multis afficit doloribus, quod mihi desint testes integritatis, i. e. quod non habeam, per quem probare possim innocentiam meam. Notandum, τὸ *integritas* hic sumi ambigue, quia et de viro integrae vitae potest capi, et de non castrato, sed qui corpore est integro.

6. *Sed quid.* His particulis utimur, quoties in pauca contrahere vel abrumpare volumus orationem, et quasi superfluam et inanem operam nos sumere iodicamus. *Burm.— delictum.* Non culpa sua dicit virilitatem sibi ereptam esse, sad fortunae.

7. Santentia haec Euouchi, quam Phaedrus, loco epimythii, ipsi tribuit, generalis quidem est, sed potest hunc praecipue improbum, qui forte adulter etiam erat, tangere: ut indicet Eunuchus, sibi abesse testes crimine fortunae, quia infanti sunt exsecti, sed quum adulteris deprehensis virilia exsecentur, et testes caudaque salax demetantur, ut ait Hor. I, Sat. II, 45, haec merito illis accidere, idaoque turpe esse. *Burm.* — Acumen inest, si improbum idem damnum passum esse putemus ob deprensum adulterium. *Tzschucke.*

4. *Hoc*, δεικτικῶς, i. e. ta. — *Hoc si quis.* Verius videtur: *Hic si*, etc., hic, hoc loco.

5. *Olim*, iam dudum. Plin. lib. VIII, Ep. 9: *olim nescio, quid sit otium.* Id. I, Ep. 11: *olim nullas mihi epistolas mittis.* De hac voce v. Fabri Thes.

6. Orell. *Ego quod te inveni.*

6 sq. Burmannus et Hoogstratanus *qui* capiunt cum Gudio pro *quomodo.* Schefferus, quam olim secutus sum, interpretatur *qua de causa*, ut apud Cic. Ter. aliosque, hoc sensu: ego quare te inveni? nam nec ego tibi possum, nec tu mihi potes prodesse. Multi tamen, ne oratio turbetur, et omnia aptius cohaereant, signa interrogandi post *inveni* et *cibus* abesse iubent, ut *qui* sit relativum. Locum autem Lindnerus ita explicat: *Hoc si quis pretii cupidus vidisset tui*

Nec tibi prodesse, nec mihi quidquam potes.
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

FABVLA XIII.

APES ET FVCI, VESPA IVDICE. *

Apes in alta quercu fecerant favos.
Hos fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est, Vespa iudice.
Quae genus utrumque nosset quum pulcherrime,
Legem duabus hanc proposuit partibus:
Non inconveniens corpus, et par est color,
In dubium plane res ut merito venerit.
Sed ne religio peccet imprudens mea,

(tu illi prodesse potuisses pretio tuo, et ille tibi; nam) *olim redisses ad splendorem pristinum. Ego* (vero) *qui te inveni, nec tibi prodesse* (possum, conferendo aliquid ad splendorem tuum) *nec* (tu) *mihi quidquam potes, cui potior multo est cibus* (quam pretium.) — *Nec tibi prodesse... potes.* Zeugma est, sic resolvendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *potes*: nec ego, qui te inveni, te iuvare *possum*, nec tu me *potes*. Freius. — Recte Freinshemius hic zeugma agnoscit, sive malis defectum unius verbi, vel diversorum constructionem temporum eiusdem verbi, quum duo requirat integra oratio, et unum modo exhibeatur, agnoscere.

8. Hoc sibi dictum putent, qui fabulas meas non intelligunt, neque vim carminis sentire possunt. Vel hic locus docere potest, Romanos fabulas non habuisse in deliciis.

Mira in hac fabula inest simplicitas atque tenuitas: placet tamen argumenti delectus.

(*) Apte ficta fabula: inter apes enim et fucos rixa fere perpetua est. Vid. Col. lib. IX, c. 15. *Burm.*

1. *Apes in quercu.* Intelligendum examen silvestre, ut vocat Col. lib. IX, 8, 14, quae opponuntur vernaculis. V. Gronov. — *fecerant favos.* Mella congesserant. *Favi* cellae sexangulae, et cera confectae et melle complendae. Varro R. R. III, c. 16, n. 24: *favus est, quem fingunt multi cavatum e cera, quum singula cava sena latera habeant, quot singulis pedes dedit natura.* Wachsscheibe. — Quae cellae, ubi melle completae sunt, etiam dicuntur favi.

6. *Non inconveniens*, satis simile. Laudat Desbillonius locum Senec. de Vit. beat. c. 12: *desinant ergo inconvenientia iungere et virtuti voluptatem implicare.* — *par*, idem.

8. Sensus: Sed ne ego, iurata iu-

Alvos accipite, et ceris opus infundite,
Vt ex sapore mellis, et forma favi,
De quis nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recusant: Apibus conditio placet.
Tunc illa talem protulit sententiam:
Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit.
Quapropter Apibus fructum restituo suum.
  Hanc praeterissem fabulam silentio,
Si pactam Fuci non recusassent fidem.

dex, per ignorantiam peccem, et violem religionem iurisiurandi. Simili modo supra lib. III, fab. VI, *iugum meum*, pro, me quae gero iugum, ubi vide. Est autem *religio* propria iudicibus vox, propter iusiurandum, quo adstringebantur; iudicabant enim iurati.

9. *opus infundite*. Per *opus* mel intelligit: ideo ait *infundite*. Atque sic solebant proprie de apibus mel facientibus. Virg. Ge. IV, 169, *fervet opus*, et vs. 216 de rege apum, *ille operum custos*. Varr. R. R. III, c. 16: *intus opus faciunt, quod, dulcissimum quod est, et diis et hominibus est acceptum*. Scheff. — Col. IX, 8, n. 12, *Saepe, etiam quum in propinquo sunt, iustis operum peractis, se recipiunt*. Et Graecos etiam ἔργον ita sumere, docuit Spanhem. ad Callim. Hym. in Iov. vs. 50. *Burm.* qui laudat Col. IX, 7, n. 32, in quo loco in Edit. cl. Schneideri legitur *conterreat*, pro vulgato *conterat*.

13. Orell. † *sustulit*. — 14. *et quis* pro *aut quis*. — Bothius, *ac quis*. At si quid mutari debet, ego quidem reponerem molliorem Cod. Per. lectionem, *et quis*. — *fecerit*. Favos, de quibus lis est.

17. Sensus: Si fuci promissa servare non recusassent. *Pacta fides* enim saepe nihil aliud est, quam promissum. Vespa autem erat ex pacto iudex, ut lib. I, fab. X, et litigantes promiserant, se huius sententiae acquieturos; sed iudicis sapientia atque religione, quam non sperarant, deterriti fuci, haud ignari, sese favos minime posse fingere, recusant conditionem, adeoque non servant promissa.

Respici hac fabula ignavos, qui versus Phaedri sibi vindicaverant, et similem conditionem postulati recusabant, censent Guyetus, Gudius, et Freinshemius. Secuti, praeter alios, Heusingerus, Desbillonius, cl. *Tzschucke*; nec extra veri speciem. Conjicit etiam Burmannus, fortasse intercessisse mercedem, qua Phaedrus conductus illis versus scripserat, quos negata mercede sibi reposcebat; et hinc ad arbitrum *Vespam* itum, sub quo etiam latere certum hominem, vel hominum quoddam genus, idem vir doctus existimat. De eiusmudi fucis et furibus poëticis pulchra est apud Vitruvium historia in Procem. lib. VII. Eosdem notat Martialis lib. I, Ep. 36, 39, 67, 71. Adde quae narrat Freinshemius de fure, qui notos versus Virgilii sibi arrogaverat: *Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane;*

FABVLA XIV.

ÆSOPVS LVDENS. *

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Æsopum nucibus quum vidisset, restitit,
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul
Derisor potius, quam deridendus senex,
Arcum retensum posuit in media via:
Heus, inquit, Sapiens, expedi quid fecerim.
Concurrit populus. Ille se torquet diu,
Nec quaestionis positae causam intelligit;

Divisum imperium cum Iove Caesar habet.

(*) Orell. *De lusu et severitate.*

1. Videtur hanc fabulam scripsisse Phaedrus in defensionem Divi Augusti, patroni sui, contra quosdam austeros censores. Refert enim Suet. in ej. Vit. c. 83: *animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis aut ocellatis nucibusque ludebat cum pueris*, quem locum iam olim laudavit Gudius. — *Puerorum in turba ludentem nucibus.* Nota res est, pueros lusitasse nucibus variis modis. Hor. lib. II, Sat. III, 171 sq. Vid. Erasm. Chil. I, Cent. V, 35, in explicatione proverbii, *nuces relinquere*, i. e. omissis studiis et nugis puerilibus ad seria converti; item Casaubon. ad Pers. Sat. I, 10, p. 53. De magnis et sapientibus viris, qui ludendo etiam cum pueris delectati animum remittere non detrectarent, vid. Aelian. V. H. lib. XII, c. 15, et Val. Max. lib. VIII, c. 8, quos Burmannus laudat.

3. *risit*, derisit (vs. 4). — *simul*, simul ac. Vid. ad lib. II, fab. IV, 14.

4. *Derisor.* Hic non debet capi, tanquam vitio daretur, quum laudi etiam sit, et ita *derisor omnium* etiam Socrates vocetur Senecae lib. V, de Benef. c. 6, quia per figuras, et maxime ironiam sibi familiarem loqui solebat.

5. *retensum*, laxatum (vs. 11). Proprie de arcu, cui demptus est nervus. Eius oppositum *intensus arcus*. Hinc saepe morum et disciplinae moderatores exemplum repetunt.

6. *expedi.* Vsurpant hoc verbum de obscuris explicatuque difficilibus, ut docent exempla a Scheffero et Burmanno allata. Ter. Eun. IV, IV, 27: *agedum hoc mihi expedi*, et V, VI, 20: *sed istuc, quidquid est, primum expedi.*

7. *se torquet.* De iis, qui magnum laborem in re difficili ponunt.

8. Orell. *intellegit.*

8. Quaestionem propositam solvere nescit. — *quaestionis positae.* Haec locutio ex Philosophorum, Rhetorum et aliorum Scholis est derivata, ubi poni dicebatur materia, vel contro-

Novissime succumbit. Tum victor Sophus:
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris;
At si laxaris, quum voles, erit utilis.
Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

FABVLA XV.

CANIS AD AGNVM.

Inter capellas Agno balanti Canis:
Stulte, inquit, erras; non est hic mater tua;

versia, de qua solvenda disceptandum et certandum erat.

9. *Novissime*, tandem. Vid. ad lib. I, fab. XXIV, 9. — *succumbit*. Metaphora, a certamine petita. Aesopus autem *succumbere* dicitur, quia caussam positae quaestionis invenire se non posse fatebatur.

10. Sensus: Facile et brevi tempore rumpetur arcus, si tibi semper tensus maneat. Non enim explicandum, *si semper tetenderis*. V. Tzschuck. — *cito*. Burmannus multis probat, hanc vocem explicandam esse *facile*. Sed cl. Schellerus in Lex. v. *cito* contendit, *cito*, si pro *facile* capiatur, iunctam sibi habere negationem, ut Ter. Adelph. III, IV, 80 Bip. et Cic. Brut. c. 76. Quae loca etiam Burmannus memorat. At h. l. eodem sensu occurrit, non addita negatione. Sic alibi. V. loca Burmanno laudata, Ovid. II ex Pont. VII, 25, et VIII, 65, Cicer. Brut. cap. 67. — *rumpes*, positum pro rumpetur, ut saepe in secunda persona loquuntur veteres.

12. *ludus*, relaxatio, *Erholung*. *Ludum dare animo* est, indulgere animo, reficere animum otio. Cic. pro Coel. cap. 12: *datur concessu omnium huic aliquis ludus aetati.*

13. *melior*, promtior, expeditior. — *redeat*, elegantius, quam *sit*. Vid. ad lib. I, fab. XII, 2. Velut de expulso per multiplices labores loquitur. Ita Terent. Hec. III, II, 12: *Hem istoc verbo animus mihi rediit, et cura ex corde excessit*, de eo quem cura expulerat.

1 sq. Ingeniosa Burmanni coniectura haec fabula exhibet duros parentes, qui temere infantes abiiciunt aut negligunt, qui deinde ab aliis suscepti et nutriti, meritum agnoscunt, at se plus debere nutritorum bonitati, quam naturae necessitati, quae parentes dedit, fatentur. Ideo cogitandum putat Burmannus, annon huc referri possit singularis Imperatoris Gallieni nummus, in quo conspicitur infans sub capella, et quem de abiectis vel expositis infantibus, quos recolligi, et quibus alimenta praestari curavit Gallienus, explicat Chamillartus, Ep. XI, p. 50. Forte etiam hocce tempore fuerunt matres, quae liberos, quos peperissent, nutricum

Ovesque segregatas ostendit procul.
Non illam quaero, quae, quum libitum est, concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus,
Novissime prolapsam effundit sarcinam;
Verum illam, quae me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa est potior, quae te peperit. Non ita est.
Vnde illa scivit, niger, an albus nascerer?
Age porro; parere si voluisset feminam,
Quid profecisset, quum crearer masculus?

adhibitarum non suo ipsarum lacte alerant, quas postea notare voluit. Cui quidem coniecturae favere mihi videtur Gell. lib. XII, 1. — *balanti.* Balatu matrem, i. e. nutricem requirenti

4. *quum libitum est, concipit*, i. e. libidine incensa arietem patitur. Etsi apud priscos scriptores exemplum invenire non potui, quod doceat, hocce verbum (*concipere*) isto sensu fuisse usurpatum; mirifice tamen placet cl. Lindneri interpretatio, ita ut malim hanc locutionem inter singularia Phaedri referre, quam explicare *quum placet*.

5. *onus ignotum. Ignotum* recte explicant absconditum, latens; quia dicitur de omni quod non patet oculis. Ita Virg. Aen. I, 359, thesauros *ignotum pondus* auri vocat, quia abdiderat Dido.

6. *prolapsam effundit sarcinam*, parturit fetum. Nota elegantiam et proprietatem huius locutionis, quae parvum dolorem in pariendo indicat, sicque pertinet ad contemtum et ad diminuenda matris in prolem merita, ut iam olim vidit Burmann. — *prolapsam*, proprie et frequenter utuntur latini scriptores de partu, qui *cadere*, *prolabi* dicitur. Ill. *de Schirach* hoc verbum innuere censet proprias quasdam vires fetus, quo matris opem iusto plus minuat agnus. — *effundit*. Etiam hoc, ut simplex *fundere*, est inter verba propria huius negotii, quo celeritas parientis significatur.

10. *illa*, mater, quae me peperit. — *niger an albus*. Albae oves praeferebantur, Col. VII, c. 2, n. 4; nigrae minus gratae, citius mactabantur. Significat igitur, matrem nescisse, utrum se vitae, an morti pareret, nec debere se matri, quod non ad lanium fuerit delatus. Cf. Heusinger. et Burm. Aliter Prasch. *nihil ad formaturam mei contulit*. Verba autem, *albus an ater sis nescio*, proverbii locum obtinent, quo uti solent de ignotis.

11. *Age porro*. Particula concedentis. Verum esto, ita sit sane. — *crearer*. Vid. ad lib. I, fab. VI, 9. Paullo ante *nascerer*.

11. 12. Orellii lectionem recepi, cuius notam subiicio. » *Age porro* etc. Sic N. In P. duo hi versiculi rectissimam sententiam praebentes ac Phaedro prorsus digni ita in unum contracti sunt: *Age porro fecisset: quum crearer masculus*: itemque in R., nisi quod hic, nisi subest error, pro Pithoeani *fecisset*, peius etiam habet *fuisset*; utrumque vero sensu caret.

Beneficium magnum sane natali dedit,
Vt exspectarem lanium in horas singulas.
Cuius potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hac sit potior, quae iacentis miserita est,
Dulcemque sponte praestat benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non necessitas.
His demonstrare voluit auctor versibus,
Obsistere homines legibus, meritis capi.

FABVLA XVI.

CICADA ET NOCTVA.

Humanitati qui se non accommodat,
Plerumque poenas oppetit superbiae.

Aberravit scil. librarius archetypi, unde fluxerunt P. et R., a vv. *Age porro* ad syll. *pro* sequentis vers., media omittens. Vulnus tacite occultavit Pithoeus, conj. rescribens: *Age porro, scisset: quum crearer masculus:* Ita, ut vv. *quum cr. masc.* ad seqq. traherentur; in quo plures Editores merito haeserunt. Hoc tamen v. *scisset* tamquam scriptura Codd. ipsorum adhuc propagatum est. » *T.*

13. Ironice haec dicuntur.

14. *exspectarem.* Cum continua sollicitudine intelligendum. — *lanium.* Feminae enim ad prolem faciendam aliosque usus servantur; mares debentur mensis. *Tzschuck.*

16. *iacentis.* Nota vim verbi, quo apte utitur ad augendum beneficium pietatisque debitae officium.

18. Sensus: Illi vere dici possunt parentes, qui non necessitate quadam, id est ordine naturae procreant liberos, sed qui procreatis vitam sustinent alimentis, eorumque rationibus consulere non desistunt.

20. *Obsistere*, repugnare, adversari. —*legibus.* Ordini naturae, quem vs. 18 dixit *necessitatem.* — *meritis.* Beneficiis: vid. ad lib. I, fab. VIII, 4.— *capi.* Ex interpretatione Schefferi, trahi in obsequium et amorem, seu libenter parere illis et obnoxios esse, quorum beneficiis obligantur. Vult autem Phaedrus, iubere quidem legem, seu ordinem naturae, a liberis amari parentes, sed homines huic et aliis einsmodi legibus saepius repugnare, si absint beneficia, quibus excitetur et concilietur amor. Ita recte Desbillonius.

1 sq. *Humanitati.* Quid sit humanitas docet Seneca, Ep. LXXXVIII: *humanitas vetat superbum esse adversus socios, vetat avarum; verbis, rebus, affectibus comem se facilemque omnibus praestat; bonum autem suum id ma-*

Cicada acerbum noctuae convicium
Faciebat, solitae victum in tenebris quaerere,
Cavoque ramo capere somnum interdiu.
Rogata est, ut taceret. Multo validius
Clamare coepit. Rursus admota prece,
Accensa magis est. Noctua, ut vidit sibi
Nullum esse auxilium, et verba contemni sua,
Hac est aggressa garrulam fallacia:
Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare cythara quos putes Apollinis,
Potare est animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit: si non fastidis, veni;
Vna bibamus. Illa, quae ardebat siti,

xime, quod alicui bono futurum est, amat. Ipsa fabula docet, intelligendam esse eam humanitatis partem, quam Galli dicunt *complaisance*. — *se accommodat*, se dedit, applicat. V. Non. de Propriet. Serm. II, 21; Cic. Off. I, c. 21: *qui se ad rempublicam et ad magnas res gerendas accommodaverunt*. — *oppetit*, subit, patitur. Eodem modo Plaut. Asin. I, 4, 7, *oppetere pestem*. Ita Catull. LXIV, 102, *oppetere mortem*. Sic Cicero centies. Sed *oppetere poenas* locutio rarior, et bene observanta el. Tzschuck. ea ipsa narrationa hic apte.

3. *convicium faciebat*. Clamore saepius repetito, auribus noctuae obstrepebat. Antiqui hoc *occentare* dicebant. Festus: « *occentassint* antiqui dicebant, quod nunc *convicium fecerint* dicimus, quod id clare et cum quodam canora fit, ut procul exaudiri possit ».

7. Orell. *occoepit*.

8. *Accensa*, ad cantandum, clamandum excitata. Plus est quam *validius clamavit*.

12. **Sensus: quos unusquisque, qui** audit, putet sonare cithara, vel reddi a cithara ipsius Apollinis. In hoc versu clar. Tzschuck. venustiorem concinnitatem et transitum faciliorem desiderat. Sed mirum videri non potest, noctuam h. l. memorare citharam Apollinis, et cantus cicadae cum hocce deo comparare. Decipere enim aludens cicadam, collaudat eius vocem, quam non poterat laudare melius, quam si diceret, eam cantu suo aequare Apollinem: qui deus noctuae, avi Palladia, non erat ignotus.

13. *nectar*. Horum verborum sensus est: tu cantu tuo, quo Apollinem aequas, ita me alacrem facis, ut nectar potare sit animus. Notum enim est, in epulis deorum, quoties, sublatis primis mensis, nectar, quod caeleste vinum est, apponebatur, Apollinis et Musarum fuisse partes, cithara deos potantes oblectare. *Burmann*. — *mihi*, utpote avi suae, quam in tutela habebat.

15. Orell. *quae arebat*.

Simul cognovit, vocem laudari suam,
Cupide advolavit. Noctua, egressa e cavo,
Trepidantem consectata est, et leto dedit.
Sic, viva quod negarat, tribuit mortua.

FABVLA XVII.

ARBORES IN DEORVM TVTELA.

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Iovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea,
Pinus Cybebae, populus celsa Herculi.

18. *Trepidantem.* Ita Orell.; alii *Crepitantem.*

18. *leto dedit.* Vid ad lib. I, fab. XXII, 9. Haec loquendi formula, apud optimos scriptores, maxime poëtas, obvia, ut Lexica docent, immerito dura videtur Welchio ad h. l. Praeter loca, quae profert Desbillonius, nota Virg. Aen. V, 806; Ovid. Her. II. 147.

19. *tribuit.* Nempe silentium et canendi pausam ut faceret. *Rittersh.*

2. *quercus.* Quum Saturni tempore ante Iovem homines carnibus humanis vescerentur, Iupiter vetuit, ne quis eo cibo uteretur, et a carnibus ad glandes convertit, quae arbor, ab eo primum monstrata, sacra idcirco illi creditur. *Hoogstratan.*—Propter Dodonem, lucum glandiferarum arborum, Iovi sacrum in Epiro, quae oracula edere credita impulsis lebetibus (modus edendae sortis diverse tradebatur). Virg. Ecl. VII, 13: *eque sacra resonant examina quercu.* Gronov.

3. *myrtus Veneri.* Vel quod, quum e mari primum nata exisset, latuit in myrto. Serv. ad Virg. Ecl. VII, 61 sq. quem locum videtur ob oculos habuisse Phaedrus; vel ob Myrenem, sacerdotem Veneris, in myrtum conversam, quam fabulam habet Serv. ad Aen. III, 23. *Gronov.*—Vel quod Venus myrto esset ornata, quum iudicio Paridis discederet pulchrior Iunone et Pallade. Conf. Hoogstratan. Nec desunt, qui velint, myrtum placuisse Veneri ob venustatem.

4. *Pinus Cybebae.* Propter Atyn, delicias Berecynthiae, qui sub ea se castravit (et in pinum mutatus est, v. Ovid. Met. X, fab. II), Serv. ad verba Cybebae ap. Virg. Aen. IX, 85: *pinea silva, etc.* notat: *congrue, nam pinus in tutela matris Deum est.* Gronov.—Vt Graecis tam in poesi, quam prosa alma Deum mater dicta est Κυβήβη et Κυβέλη; sic etiam eadem Latinis in utraque oratione tum *Cybebe*, syllaba media producta, tum *Cybele*, syllaba eadem correpta, dicitur. Hinc semper, quando secunda syllaba in versu longa occurrit, scribendum *Cybebe*, nunquam *Cybelle*, ut plerique editores in iis poëtarum locis, ubi ra-

Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit. Causam dixit Iupiter:
Honorem fructu ne videamur vendere.
At me Hercules narrabit, quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum est gratior.
Tunc sic Deorum genitor atque hominum sator:
O Nata, merito sapiens dicere omnibus!
Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.
Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet.

tio metri secundam longam requirit, excudi curarunt; neque etiam secunda in *Cybele* produci potest propter sequentem liquidam *l*, ut Faber putavit: utrumque perperam; et verissimum est, in omnibus locis, ubi ratione metri secunda longa est, scribendum esse *Cybebe*. Ita et hoc loco et lib. III, fab. XX (lib. IV, fab. I, nostrae Editionis), habet optimus Cod. Remens. atque sic diserte legunt omnes antiquissimi poëtarum MSS. Codices, quos consuluimus. *Gudius*. — *populus celsa Herculi*. Quia quum ad inferos descenderet, fatigatus labore dicitur de hac arbore corona facta caput velasse, et foliis extersisse sudorem. Dicitur et ab inferis eam arborem primum protulisse.

7. Plurimi Interpretes hunc versum ita explicant: Ne videamur honorem illum, quo arbores, in tutelam lectas, ornavimus, illis non gratis dare, sed vendere fructibus, i. e. tribuere fructuum causa. Quae interpretatio, notante Burmanno, firmatur responso Palladis, quae, quidquid causae praetexant dii, affirmat, se amare et honorare oleam propter fructum. *Honor* autem saepe a Diis confertur hominibus et rebus, infra eos positis, ut lib. IV, fab. XXIV, 2 sq. Et eodem modo, ut Dii coluntur ab hominibus, ita vicissim colere homines iidem dicuntur Ovid. Met. VIII, 724.

8. Sunt verba Minervae. — *me Hercules*. Formula iurantis elliptica, pro, *ita me Hercule iuva*. Erat proprie genus iurisiurandi virile, non femineum. Gell. lib. XI, c. 6. (Hanc legem tamen etiam Apuleium transgressum esse, testatur Hoogstratan. ad lib. I, fab. I, 12). Quod autem Minerva introducitur iurans per Herculem, videtur factum abusu quodam, quo eam loquentem facit more humano; quo modo ipsos etiam deos gratulantes introduxit lib. IV, fab. XII, 4; quod per Herculem, potuit forsan peculiariter attendisse ad id, quod esset dea belli, ac proinde introduxisse eam iureiurando virili utentem. — *narrabit*, pro dicat, ut Plaut. Pers. III, 1 45.

11. *O Nata*. Ex cerebro Iovis genitam esse, fabulosa antiquitas tradidit. Ovid. Fast. III, 841 sq. — *dicere*. Haberis, secunda praesentis, non futuri, ut nonnulli capiunt. — *omnibus*, ab omnibus.

FABVLA XVIII.

PAVO AD IVNONEM.*

Pavo ad Iunonem venit, indigne ferens,
Cantus luscinii quod sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis auribus admirabilem,
Se derideri, simul ac vocem miserit:
Tunc consolandi gratia dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine;
Nitor zmaragdi collo praefulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.

(*) Orell. post *Iunonem* addit *de voce sua.*

1. Sub hac fabula describi aliquem divitem et superbum, et osteutatorem opum, quem sub pavone latere credo, verosimile est, qui affectare etiam volebat poëticam elegantiam, et forte Phaedro se imparem esse querebatur, quod nequiret versus scribere, quem monet poëta, ne invita Minerva faciat et risum praebeat. Luscinias vero dici saepe poëtas egregios, notum est, unde *Δωρίαν ἀηδόνα* se Simmiam dixisse, observat Salmasius od eius Ovum p. 165. *Burm.* — *Povo*, avis Iunonis.

3. *auribus admirob lem.* Est admiratio non solius animi, est etiam aurium. Nam etsi intelligimus solo animo, nihilominus poëtae membris corporis, quae instrumenta sunt sensuum internorum, eadem tribuunt, quae menti; et ita *intelleeturas aures* dixit Ovid. Trist. III, xiv, 40: sic oculi videre, manus facere, etc. dicuntur, quae mens et homo facit per illa: immo non modo aures mirari, sed et oculi dicuntur Ovid. Met. III, 503. *Burmann.*

5. Admodum placet Heinsii coniectura, *Huic, consolandi gratio, dixit Deo.* quae etiam per verba clarum redditur, *quem* consolari voluerit Dea. *Bothe.* — At e coutextu facili negotio intelligitur, *pavonem* consolari voluisse deam, ut correctione non sit opus.

8. Pulcher versus! quem Gronovius ita interpretatur: caudam quoties expandis, babes diversicoloribus plumis gemmantem, i. e. in modum gemmarum lucentem. — *gemmeam.* Epitheton ornans, pro quo frequentius in hac re apud poëtas et alios legitur *gemmans.* Martial. de pavone XIII, 70: *Miroris quoties gemmontes explicot alas.* Plin. lib. X, cap. 20: *gemmantes laudatus expandit colores.* Ceteroquin duplex illa metaphora in hoc versu, et a pictura et a gemmis ducta, displicet cl. Schirachio, quae tamen apte posita cl. Tzschuckio recte videtur.

Quo mî, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae:
Tibi forma, vires aquilae, luscinio melos,
Augurium corvo, laeva cornici omina,
Omnes quae propriis sunt contentae dotibus.
Noli affectare, quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.

FABVLA XIX.

ÆSOPVS AD GARRVLVM. *

Æsopus domino solus quum esset familia,
Parare coenam iussus est maturius.
Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domos;

9. *mutam speciem*. Intelligenda pulchritudo, cum qua non coniunctus est cantus suavis.

10. Sunt verba Iunonis. Meursius autem frustra putat, aliqua deesse. — *partes*. Desumta e scena locutio, in qua alteri primae, alteri secundae adsignantur. Vult, fatorum arbitrio de naturae dotibus unicuique animali propriam portionem esse tributam.

12. *Augurium corvo*. Vanitas auguriorum auspicia corvorum fauste a dextra, a laeva infausta iactabat. Plaut. Aul. IV, III, 1 Bip. *non temere est, quod corvus cantat mihi nunc a laeva manu*. Cic. Div. I, 39: *quid habet augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum?* Plinius vero lib. X, c. 12: *corvi in auspiciis soli videntur intellectum habere significationum suarum*. Vnde corvus Apollini sacer. — *laeva*. Fausta, felicia, ex vulgari superstitione.

13. Orell. *Omnesque propriis*.

14. *affectare*, nimis cupide appetere.

15. Ne, postquam spe frustratum te intellexisti, ad inanes querimonias redigaris.

(*) Orell. *Aesopus respondet garrulo*.

1. Sensus: quum Aesopus esset domini cuiusdam servus, isque praeter hunc unicum nullam familiam, i. e. alios servos, haberet. Lepide dictum. *Familiam* dici pro coetu servorum, res nota.

2. *maturius*, quam pro more consueto.

3. Orell. *domus*.

3. *Ignem quaerens*. Igitur non excitare ignem tunc omnes poterant, vel difficilius, ut petere aliunde mallent. *Tzschuck*. —Non facile negare petenti licebat. Videbatur enim alienum ab ipsa humanitate. Plaut. Trin. III, II, 53: *datur ignis, tametsi ab*

Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circueunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius; namque recta per forum
Coepit redire. Et quidam e turba garrulus:
Æsope, medio sole, quid cum lumine?
Hominem, inquit, quaero, et abiit festinans domum.
Hoc si molestus ille ad animum retulit,
Sensit profecto, se hominem non visum seni,
Intempestive qui occupato alluserit.

inimicis petas. Vide quae notat Rittershus. ad h. l. Isudans praeter alia Plaut. Aul. I, 11, 12 seqq. *Cave quemquam alienum in aedis intromiseris.* Sta. *Quid si quispiam ignem quaerit?* Euc. *Extingui volo, ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet.* Aliter h. l. edidere Bipontini. — *lustravit.* Circuivit.

5. Quia circumiens produxerat iter.

6. *Effecit brevius.* Per compendia ivit.

7. *Coepit redire,* rediit. Vid. ad lib. I, fab. II, 8. Ita Graeci. Conf. Matth. XXVI, 37.

8 sq. *medio sole.* Meridie, medio die, ut supra *media via, media quercu.* Scheff. — Sic *medium Phoebum* dixit Val. Flacc. III, 482, ubi nos plura, et *primum solem* lib. II, vs 75; *primum Phoebum* lib. V, 332, et Virg. Aen. VI, 255: *primi sub lumina solis; medio diei* Liv. XXXVII, 29. *Burmann.*

9. *Hominem quaero.* Hoc dixisse Diogenem Cynicum, testatur Diogenes Laërtius lib. VI, p. 147 Ed. Lond. in fol. λύχνον μεθ' ἡμέραν ἅψας, ἄνθρωπόν, φησι, ζητῶ. Nota salem in oratione Aesopi. Cf. vs. 11.

10. *molestus.* Proprium interpellatoris epitheton. — *ad animum retulit,* consideravit, reputavit. Vsitatius, notante Scheffero, *animum referre ad aliquid.* Sed Rittershusio dictum videtur, ut revocare ad animum.

11. *seni.* Sic aliquoties vocatur Aesopus.

12. *qui alluserit,* iocari voluerit. — *occupato,* negotiis districto, nec temporis satis habenti, ut sermonibus molesti illius vacare posset.

EPILOGVS.*

Supersunt mihi, quae scribam, sed parco sciens;
Primum, esse ne tibi videar molestior,
Distringit quem multarum rerum varietas;
Dein, si quis eadem forte conari velit,
Habere ut possit aliquid operis residui.
Quamvis materiae tanta abundet copia,
Labori faber ut desit, non fabro labor.
Brevitati nostrae praemium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est quotidie:
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.

(*) Hunc Epilogum et Prologum sequentem transtulit Orellius post fabulam XXV libri IV, quae incipit: *Quantum volerent.*

1. *porco sciens*; intellige *scribere*, i. e. dedita opera abstineo me a scribendo. Solet enim *parco* ita cum infinitivo iungi.

2. Orell. *esse tibi* ne *videar.*

6. *materiae.* Phaedrus hac voce saepe de fabulis utitur.

7. Notanda figura rhetorica, quam dicunt ἀντιμεταβολήν. Idem ordo et lusus verborum est in illo Cic. de Off. I, 39: *ornanda est dignitas domo, non ex domo tota quaerenda*: nec domo *dominus, sed domino domus honestanda;* quem locum Walchius affert.

8. *Brevitati nostrae. Brevitas* tropice pro libro fabularum, quarum praecipuam virtutem, brevitatem, et alibi laudat, ut Prol. II, 12, et qua forte mirifice delectabatur Eutychus. Adiunctum pro subiecto. Sed forte rectius *brevitas* explicanda de eo, quod etsi superessent sibi, quae scriberet, et larga vis fabularum scribendarum in promptu esset (vs. 1, 6); se tamen varias ob caussas (vers. 2—5) a fabulis scribendis abstinere velle dicat. Eodem sensu ista vox capienda Epil. IV, 7, ubi vide. Modeste sic appellat opus suum Phaedrus, quod poposcisse, adeoque praemium scriptori promisisse, videtur Eutychus. — *exhibe vocis fidem.* Praesta ipso opere, quod voce ac sermone promisisti. Ita *exhibere fidem* usurpavit Col. XI, c. 1, n.7: *inspiciendus erit villicus, an etiom domino fidem oc benevolentiam exhibeot.* Scheffer. Paullo alio modo Ovid. Metam. VII, 323: *promissoque postquam Exhibuere fidem.* Burm.—Vocis fidem exhibetur, quando fit, quod promissum fuit.

10. *vita.* Intellige vitam Phaedri.,

Si cito rem perages, usus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius cepero.
Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuvare bonitas nitetur tua;
Quum iam desierit esse beneficio utilis,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces existimo,
Proclivis ultro quum sit misericordia.
Saepe impetravit veniam confessus reus:

13. *Si cito rem perages.* Si cito effeceris, ut ego reus absolvar et dimittar, longiorem tanti muneris usum mihi suppeditabis. Conf. Excurs. ante Indicem positum.

14. *Cepero*, pro accepero, scilicet munus. Quum vs. 13 et 14 eamdem diversis verbis sententiam exhibeant, Phaedrus, observante Desbillonio, brevitati, quam paullo ante venditat, male consuluisse videtur.

15. Quod vitae, nunc a noxiorum insolentiis pressae et moerore confectae, pars aliqua superest, i. e. quoad tali vita quodammodo frui licet. — *Languentis aevi.* Vis epitheti notanda. *Aevum* pro vita, Hor. II, Sat. vi, 97. Tò *languens* autem non intelligendum de senectute et infirmitate corporis, ut saepe. Vid. versum sq. et quae notata sunt in Exc. cit. coll. Vit. Phaedri.

16. *olim.* Postquam aliquando senio fuero confectus. Haec vox enim futurum tempus notat.

18. Quum iam senio debilis non amplius uti poterit beneficio tuo. *Schw.* Senectus enim facit beneficium inutile, quia senex, licet accipiat, non potest diu uti, sed mors vicina non relinquet beneficio locum. *Burmann.*

19. *flagitabit debitum*, i. e. vitam, quam omnes ei debemus, quum tantum ad tempus data sit utenda. Hor. A. P. 63: *debemur morti nos nostraque.* Senec. ad Polyb. 29: *dedit natura fratri tuo vitam, dedit et tibi, quae suo iure usa a quo voluit debitum suum citius exegit.* Vnde, *naturae debitum complesse*, pro mortuum esse.

20 sq. Stultum puto, tibi molestum esse precibus, quum, vel me non rogante (*ultro*), propensus sis ad misericordiam. — *Proclivis.* Proprie est inclinatus, pronus, ut ait Donatus: ut si clivo descendas. Contrarium *acclivis;* sed longe frequentior est translatio, ubi facilitatem ad aliquid agendum notat, et idem quod *propensus.*

22. *confessus.* Rittershusius: sic dicitur, qui delictum suum aperte fatetur, nec dissimulat (etiam Desbillonius ita capit). Sed hic passivo sensu is innuitur, qui manifesto talis est, de quo nemo dubitat, quin reus sit. Quomodo et apud Ciceronem ideo *confessa res* et *manifesta* coniunguntur. Ovid. ex Pont. II, II, 56: *non est confessi causa tuenda rei*, Scheff. — Recte hic Schefferus: sic se Ovidius *confessum reum* vocat II ex Pont. vi, 8, non quod in iudicio confessus esset culpam, sed

Quanto innocenti iustius debet dari?
Tuae sunt partes, fuerunt aliorum prius;
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac iudicio tuo.
Excedit animus, quem proposuit, terminum;
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.

quod manifastus reus arat, sibi delicli conscius, el ab omnibus pro reo convieto habitus: nunquam enim accusatus fuil, sed ab Augusto relegatus sine accusationa at iudieio. Sic *confessus amor* apud Patron. CXXVII, pro legitimo at manifesto, quem dissimulare, ut furta sua nolabat Iupiter: *quum se confesso iunxit amori Iupiter*, i. e. quum coiit eum Iunone sua. *Burm*

24. *Tuae sunt partas* Haec referenda ad iudicium, eui praeerat Eutychus.

25. Sensus: Dainde alil iudices istud officium auscipient, qui aadam quaa tu obituri sunt munera, suo quisque loco, tempore et ordine (*simili gyro*). Admodum varisimila ast, annuas hic munerum vices, a magistratibus obaundas, intelligi, ut iam olim coniacit Desbillonius post Burmanuum. Sed Phaadrus matuens, ne eoram diversis iisdemque iniustis iudicibus causam dicera cogatur, enisa petit ab Eutyeho, ut tandem aliquando in eausa sua iudicet at decernat, quod religio, quod patitur fidea. Alii hosce versus aliter intelligunt, da quo vid. Exc. ante Iudicem positum.

29—31. Sansua: Difficulter continet se homo, seu modum in verbis tenara difficile ast homini, qui, conscius integritatis suae, affligitur a malis et superbia hominibus. — *spiritus*. Differt hic ab animo at videtur esse ingauii vis, impetus, eui recte tribuit *continetur*. Tsch. — Schefferus aleganter diei vult *spiritus* in respectu ad illam vehementiam commotionis ob iniuriam acceptam. — *Integritatis sincerae* Eiusmodi epitheta, quaa abundare videantur, non culpanda sunt, quum solemnia sint non poëtis modo, sed etiam aliis. — *insolentiis*. Pluralis rarior. Forte hic ad intendendum. *Tsch.* — Satis fuarat seribere *insolentiis*, sine praapositioua. Similiter taman homo apud Ovid. Fast. V, 709 sq. *traiectus ab ense*, at Trist. lib. II, v. 421, *defensus ab armis*, memorantur. Quemadmodum autem Phaedrus *insolentias*, ita Cicero *laetitias, praesentias, audacias*, pluralitar extulit. *Desbillon.* — Seianum hisce versibus notari, est sententia Rittarshusii, qui laudat praeter alios Prol. III, 45 seq. Sed hoc vix cradibila, quum liber III Phaedri videatur scriptus aase extincto iam Seiano. Cfr. supra Vita Phaadri. Varumtamen, qui sint noxii, da quibus Phaadrus queritur, equidem fateor me nescire.

Qui sint, requires: apparebunt tempore.
Ego, quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire plebeio piaculum est,
Dum sanitas constabit, pulchre meminero.

32. *Qui sint requires.* Quaeres, quinam illi noxii sint, qui mihi tam male velint. — *apparebunt tempore.* Pro *in tempore*, ut plena locutione dixit Ter. Heaut. II, II, 123: *in tempore veni.*

34. Sententia, quam hic Phaedrus memorat, desumta est ex Ennii Telepho, memorata etiam Festo verb. *mutire*. Sensus ex interpretatione Gronovii: liberam vocem mittere in propatulo homini humili res est magno luenda. *Schw.*—*Mutire* est tanquam mutus signum facere, seu strepitum, sive submissa et imperfecta voce fabulari, aut unum tantum verbum dicere. *Gesner.* in Thes. L. L. Ita contra *clam mussare* dixit Liv. XXXIII, 31. Pers. I, Sat. 119: *Men' mutire nefas? nec clam, nec cum scrobe.* Burmann. Ter. Andr. III, II, 25: *Itaque hercle nihil iam mutire audeo.*

35. *Dum sanitas constabit*, intellige, mentis; dum sana mente ero praeditus. *Dum*, quamdiu.

PHAEDRI

AVGVSTI LIBERTI

FABVLARVM AESOPIARVM

LIBER QVARTVS.

PROLOGVS AD PARTICVLONEM.

Quum destinassem, terminum operi statuere,
In hoc, ut aliis esset materiae satis,
Consilium tacito corde damnavi *meum*.
Nam si quis talis etiam est tituli *appetens*,

1—3. Quum constituissem opusculô fabularum finem addere, eo quidem consilio, ut alii, qui idem argumentum tractare vellent, haberent, quod scriberent, tacite consilium meum mutavi. — *terminum statuere*. Hanc locutionem usurpavit Livius, et *finem statuere* dixit Ter. Hec. I, II, 21. *Scheff.* — *In hoc.* Saepe ita locuti Veteres pro, ideo, hoc fine. — *tacito corde.* Tacite; locutio singularis! Supra Epil. II, 18, dixit *corde durato*, si tamen haec sunt a manu Phaedri.

4. Orell. *est etiam*.

4—8. Omnis hic locus ita explicandus est: quomodo divinare ille poterit, quaenam argumenta tractare eo consilio noluerim, ut illa ipsa cupiat memoriae tradere? (Non poterit divinare, quas ego fabulas in homines, aliis hoc tempore molestos, iam compositas, suppresserim. *Heusinger.*) Gallice, *à dessein de lui faire naître l'envie de les transmettre à la postérité.* Quomodo istud divinare poterit, quum quisque propria excogitandi quidlibet facultate polleat, et colore item proprio, sive propria res excogitatas exprimendi ratione utatur? Nimirum Phaedrus multis iam exemplis, ut ipse Prol. III, 50, loquitur, *vitam hominum sui temporis et mores ostenderat*: dixerat lib. III, Ep. 1, multa superesse, quae scriberet; et ab his abstinere se velle significaverat: at nunc propositum suum repudiat hac de causa, quod vereatur, ne si quis ipsius vestigiis insistere velit, argumenta ille vel non excogitet, quae tractanda essent, vel male exsequatur. Mens auctoris in hoc loco non omnibus obvia est. Cave, ne argumenta, quae hactenus illa se omisisse dicit, de Aesopicis generatim intelligas fa-

Quo pacto divinabit, quidnam omiserim,
Vt illud ipsum cupiat famae tradere;
Sua cuique quum sit animi cogitatio,
Colorque proprius? Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis

bulis, quas componere praeterea potuisset; sed ea refer ad Apologos dumtaxat, qui mores corruptos Romanorum ostenderent, vitamque nefariam optimatum quorumdam exprerent: opus, ut ipse magno suo malo expertus est, periculosae aleae plenissimum. *Desbillon.*

4. *talis tituli appetens*, similis gloriae, nempe e fabellis scribendis, cupidus. *Tituli* vocantur honorifice illae appellationes et laudes in inscriptionibus operum publicorum, e. c. statuarum, etc. Quae quia continebant ornamenta et honores eius, cuius imagini erant subscriptae, inde *titulus* pro laude et gloria.

5. *damnabit* P. R. p. *damnabit*, *quod quicquam o.* Bongars. Quod ad sententiam ipsam attinet haud nimis male. Sed *damnabit* tolerari nequit non solum propter metrum, sed etiam propter praecedens *damnavi*, ex quo librariorum ἀβλεψία ortum est. Inde a Rigaltio (Ed. 2) nimis patienter acquieverunt Edd. in lectione: *Quo pacto divinabit*; quae, sententiarum nexum ubi examinaris, prorsus absurda est. Mihi libarti nostri haec manus fuisse videtur: *Quo pacto demonstrabit, quidnam omiserim*; i. e. quantopere aemulus meus sese iactabit in demonstrandis (*nachweisen*) iis, quae a me sint omissa. V. *demonstrabit* autem per compendium aliquod scriptum, praecedente praesertim v. *damnavi*, facillime in v. *damnabit* abire poterat. Perversitatem Rigaltianae lectionis ex parte animadvertit iam Bentleius, quum ei medere cupiens in seqq. male utique scriberet: *animi conscientia Dolorque proprius.* Nostra ex ratione nunc omnia optime congruunt. *Orell.*

7. *animi cogitatio.* Dixit Phaedrus *animi cogitatio*, ut Cic. et Val. Max. I, 1, 10, et IV, vii, 1, *animi iudicium*, quod etiam cuique proprium de aliqua re iudicium notat. Proprie *animi cogitatio* notat inventionem, quum homo de novo aliquo scripto producendo secum cogitat (ut hic de fabula scribenda). *Burmann.*

8. *Colorque proprius.* Iam olim cepi pro scribendi ratione et indole, cuicunque scriptori, inprimis poëtis et oratoribus et unicuique pictori propria. Sic quoque cepit Desbillonius, laudans locum Ciceronis Brut. c. 46, ubi *urbanitatis color* vocatur ille, qui scriptorum Romae commorantium erat proprius. Burmannus explicat dexteritatem et sollertiam, qua res sub fictis fabulis veras exprimit et quodam colore sibi proprio quasi tegit: de quo vir doctus uberius disputat. Alii aliter.

10—14. Hunc locum vexatum ita interpretor. — *Quare, Particulo, quoniam caperis*, delectaris, *fabulis* (quas rectius nomino *Aesopeas*, maxima ex parte ad Aesopi modum et exemplar fictas, *non Aesopi*, ab Aesopo inventas, nam *ille*, Aesopus, *paucas* fabulas

(Quas Æsopeas, non Æsopi, nomino,
Paucas ostendit ille, ego plures dissero,
Vsus vetusto genere, sed rebus novis);
Quartum libellum nunc vacive perleges.
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui,
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa iudicatis memoria.
Inlitteratum plausum nec desidero.

ostendit, narravit, *ego plures dissero*, in lucem profero, narro, *usus vetusto genere*, genere scribendi, quo usus est Aesopus, *sed rebus novis*, argumentis novis, ex parte ex ipsis factis petitis); *quartum libellum* fabularum, quem tibi dedicavi, *nunc vacive perleges*, otiose, animo vacuo a curis perlege. *Hunc* fabularum libellum *obtrectare*, parvi facere, elevare, *si volet malignitas*, maligni et invidiosi homines, per me *licet*, *obtrectet*, *dum*, dummodo *non possit imitari*.

11. Orell. *Aesopias*.

12. *ostendit*. Auctore Burmanno *ostendere* etiam est, docere, aliis proponere, narrare, et praecipue, ubi agitur de auctore celebri, qui primus quasi aperit et exponit publice.—*ego plures dissero*. Hoc verbum veteres usurpasse pro, narrare, in lucem proferre, Burmannus multis probat exemplis. Sic dixerunt, *rem*, *vitam*, *disserere*. Sall. Cat. V: *instituta maiorum disserere*. — Orell. † *Quasi paucas ille ostendit*.

14. Orell. † *dum varie perleges*.

17—19. Quod dicit Phaedrus, Particulonem et alios, qui delectabantur fabulis, verba ipsius in chartas et codicillos transcripsisse, intelligendum de prioribus fabularum libris, regnante Tiberio, in vulgus editis. Namque, ut supra conieci in Vita Phaedri sub finem, valde est probabile, posteriores fabularum libros non nisi post mortem Phaedri iuris factos esse publici. Itaque non credibile est, Phaedrum singulas, ut ipsi nascebantur, fabulas, recitasse inter amicos, super coenam, in circulis, aut aliis in conventibus, quas illi, quia breves essent, et tangerent eius temporis mores et homines, in codicillos suos transcriberent; quae est Burmanni sententia, cui favere videtur clar. *Tzschucke*. Certe de posterioribus fabularum libris haec non possunt intelligi. Immo vero suspicor, Particulonem et alios rei litterariae cupidos viros non pauca e lib. I et II fabulis velut scite dicta vel imitatos esse, vel adhibuisse pro sententia et testimonio, et ipsa Phaedri verba saepe in scripta sua transtulisse; vel etiam, si haec displiceant, integras fabulas, quae praeter alias placerent, varios in usus, in chartas, aut membranas, sua manu descripsisse, ut solent excerpere aliorum libros, quibus mirifice delectantur.

20. Orell. *cur desidero?*

FABVLA I.*

ASINVS ET GALLI.

FABVLA II ADIECTA.

DE MVSTELA ET MVRIBVS.

Qui natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
Galli Cybebes circum in quaestus ducere
Asinum solebant, baiulantem sarcinas.

(*) Ab hac fabula librum IV ordiuntur et MSS. Codices et Editio Pithoeana. Qui Phaedrum posthac ediderunt, omnes, excepto Gabr. Brotierio, eam ad finem libri praecedentis, indicta causa, reiecerunt. Hoc pacto prologum quidem exhibent (vid. vs. 12—20), sed iam inexspectatum, tamque abrupte incipientem, ut mancum hunc esse quidam Critici indicaverint. Nihil ibi deest: at verba haec, *Iocularc tibi videtur*, aliquid, quod praecesserit, reposcunt: porro illud ipsum est, quod fabula de Asino et Gallis continetur; hanc enim iocularem et ludicram esse, nemo non videt: sic igitur apte cohaerent omnia atque connectuntur. *Desbillon.*—Duas illas fabulas ita esse edendas, docet ipsa rerum series, quae tota perit, si a se invicem disiunguntur. *Brotier.*—Disiunctas tamen exhibet Orellius. *T.*

4. *in quoestus.* Vt facerent quaestum. Proprium in hac re vocabulum. Vid. loc. Apuleij ad vs. 5 notatum. Particula vero *in* saepe usum rei declarat. — *Circumducere Asinum solebant.* Circa tempus, quo celebrabantur sacra Cybeles, sacerdutes cum Deae imagine, asino imposita, obire vicos mendicantes solebant, cum tympano, illi deae sacrato, quo metu ac reverentia deae quasi praesentis vel a nolentibus extorquerent victui necessaria. Hinc Babrius deae imaginem vocat πείνης σάκος δίψης τε. V. Natal. Com. p. 968.

5. *baiulantem sarcinas.* Praeter Deae simulacrum et instrumenta, quibus utebantur, asinus gerebat reliquas sarcinas (σκεύη), a sacerdotibus ei impositas. Hinc dictus *dei gerulus.* Pulchre haec illustrat locus Apuleii lib. VIII, p. m. 335: *stipes aereas, immo vero et argenteas, multis certatim offerentibus, sinu recepere patulo: nec non et vini cadum, et lactem, et caseos, et farris et siliginis aliquid, et nonnullis hordeum* Deae gerulo *donantibus, avidis animis corradentes omnia et in sacculos* huic quaestui *de industria praeparatos farcien-*

Is quum labore et plagis esset mortuus,
Detracta pelle, sibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio suo
Quidnam fecissent? hoc locuti sunt modo:
Pùtabat, se post mortem securum fore,
Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.
Ioculare tibi videtur: et sane leve,

tes, dorso meo congerunt, ut duplici scilicet sarcinae *pondere gravatus*, et *horreum simul et templum incederem.* Hinc proverbium, *Asinus mysteria portans,* de quo vide Erasmi Adag. p. m. 393.

7. *tympana.* Erant ista tympana ex ligneo circulo, cui superinductum ex una solum parte esset corium, illa plane effigie, qua exhibuit Laur. Pignor. de Servis (p. 86 sq.). *Scheffer.* Ovid. Met. IV, 29: *impulsa tympana palmis.* Hoogstratan.—His et aliis instrumentis musicis errones isti utebantur in suis mendicationibus. *Hartm.*

8. Non absurde, observante Heynio, Gallorum delicium habetur asinus, cum tacita libidinis exprobratione. Fortasse illustrando loco Phaedri inserviat Martial. I, 8: *Stellae delicium mei columba..* An vero *delicio* capias dativo, an ablativo casu positum, parum interesse credit Burmannus, qui utrumque usitatum novit, sed praefert ablativum, et supplet per praepositionem *de*, suffragante Desbillonio.

10. *securum.* Liberum a labore et plagis.

11. *aliae plagae.* Facete alludit ad tympanorum impulsum. *Tzsch.* — *congeruntur mortuo.* Plagas congerere idem est quod caedere, ferire. Hinc Romulus, *qui putabat post mortem se esse securum, etiam post mortem caeditur.*

12—20. In aliis Editionibus hic locus libro IV, prologi loco, praeponitur; sed iam olim eumdem recte edidit Vrsinus post fabulam de *Asino et Gallis,* quae in eius editione est prima libri IV. Secutus Brotier. cum Bipontinis.

12 sq. *Ioculare tibi videtur*, quod paullo ante narravi (fab. I). Et re vera, quum non habeamus graviorem materiam, de qua scribamus, res leves et parvas canimus, animi relaxandi causa, id est, componimus fabulas. *Ioculare* refer ad fabulam de Asino et Gallis. Alii, qui hunc locum faciunt Prologum lib. IV subintelligunt: hoc scripturae genus; sed sic initium nimis abruptum esset. Rescripsi, *Ioculares tibi videntur,* i. e. hae naeniae, ex sequentibus; verba autem, *et sane... ludimus,* παρενθετικῶς accipio. *Bothe.*—Sic legi volebat Heinsius, de quo suo locum dictum est. —*Dum nihil habemus maius.* Hoc non debet ad alia negotia, quae occupatum Phaedrum haberent, referri, sed de graviore materia, aut scribendi genere: *habere* enim dicitur quis, quod ingenio suo invenit, aut potest proferre. *Burm.*— *leve.* Referendum ad materiam carminis, non calami, et iungendum τοῖς *calamo ludere*, pro, canere rem levem, minutam; sicque

Dum nihil habemus maius, calamo ludimus,
Sed diligenter intuere has nenias;
Quantam sub illis utilitatem reperies?
Non semper ea sunt, quae videntur: decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sine mercede existimer,
Fabellam adiiciam de mustela et muribus.
Mustela, quum, annis et senecta debilis,

recte opponitur τῷ *maius* vs. 13 ubi vide. — 12. *Ioculare* etc. In Orellii editione incipit hic fabula II, *Poëta* inscripta. *T.*

16. *Non semper ea sunt, quae videntur.* Est sententia generalis, qua monuit, multa videri levia, quae tamen sunt utilia; contra quaedam interdum videri esse magni momenti, quae sunt levia et exiguam afferunt utilitatem, immo noxia sunt. Haec vero sententia inprimis referenda ad fabulas Phaedri, maxime ad sequentem fabulam, ubi non farina erat, sed mustela, in qua tamen simul latet nescio quis sensus occultus.

17. *rara mens.* Vel potest explicari *raro*, vel rari, pauci homines; ut ponatur singularis loco pluralis, quemadmodum Ovid. III Art. 261: *rara tamen facies menda caret.* Ita Burm. intelligens ad voc. *mens* lectoris, ut lib. V, fab. V, 25, ubi *spectatorum* suppleri debet; vel, quod malim, *rara mens* est perspicax, exquisita, qualis solet esse rara, ut dicunt *ingenium rarissimum*, et *iuvenis rarissime* Ovid. Pont. II, III, 55.

17. Orell. *intellegit.*

18. *cura.* Explicandum omnino industria, studium. Sed quum hac sententia generali potissimum respiciat fabulas, non inepte capit Burmannus de studio et auctoris consilio, quo sub involucris fictarum fabularum rerum sensum tegit. — *interiore angulo.* *Interior angulus*, quem *recessum* vocat Val. Max. VII, II, ext. 9, et Quintilianus (I. O. I, 4, init. *plus habet in recessu, quam in fronte promittit*), est occultior et minus expositus sensus. Metaphoram desumtam puto ab aedificiis, quae fronte prima saepe aliud ostendunt, praesertim ubi merces venales exponuntur (Vid. ad Ovid. Nuc. 139) quam quod interior domi angulus habet repositum. Et ita *angulus* in domo Ovidii Trist. I, III, 24. *Burm.*

19. *sine mercede.* Ne temere, sine fructu haec dixisse videar, fabellam adiiciam.

21. *Mustela.* Guyetus Tiberium Capreis sedentem intelligit. Vix puto. Sed de exploratore quodam et emissario Tiberii, vel Sejani, caperem, qui negligenter et quasi nihil mali moliens, versans Romae, exitio multis incautis erat: nam *nemini delatorum fidem abrogatam* sub Tiberio, narrat Suelon. c. 61. *Burm.*—Quum Phaedrus fabulis suis aetatis suae mores in universum notaverit, quid opus est, tot fabulas cum Burmanno ad Tiberium Seianumve referre? Deinde non est credibile, Phaedrum delato-

Mures veloces non valeret assequi,
Involvit se farina, et obscuro loco
Abiecit negligenter. Mus, escam putans,
Assiluit, et compressus occubuit neci:
Alter similiter periit, deinde et tertius.
Aliquot secutis, venit et retorridus,
Qui saepe laqueos et muscipula effugerat;
Proculque insidias cernens hostis callidi:
Sic valeas, inquit, ut farina es, quae iaces.

res sub Tiberio hac fabula tetigisse, quum probabile sit, librum IV fabularum scriptum esse regnante Claudio. Vide Vitam Phaedri.

24. *Abiecit.* Repetendum *se* e vs. praec. — *adsiluit.* Apte; escam enim putabat.

25. *compressus.* Proprie et exquisite mus a mustela vel ore, vel unguibus *compressus* dicitur. Ita Cic. Harusp. 25: *iam ista serpens... compressa atque illisa morietur.* — *occubuit neci.* *Occumbere* dandi et accusandi casum adsciscit; sed dativo iunctum fere poëtarum est. De utroque cl. Hartman. affert exempla, laudans Voss. de Const. c. XXXIV.

27. Quum aliquot essent secuti priores, illos scilicet qui fuerunt compressi, et illi quoque periisent, venit et unus, sed retorridus. *Burm.* — *retorridus.* Epitheton ornans, cuius colorem nota Est autem macer, contractus, rugosus, et ex aetate, et quia saepe laqueos et ex muscipula effugerat, longo usu astutus, callidus.

29. *Proculque.* Bothius, cui vulgatum frigide dictum videtur, contra codices reponit *procul qui,* quod Censor Lipsiensis censet multo esse frigidius. — *hostis callidi.* Eleganter pro nomine mustelae repetendo. Saepius enim vidimus, delectari Phaedrum grata in appellandis animalibus varietate.

30. *Sic valeas, ut farina es.* Ironia inest verbis, cuius vis est, ut contrarium eius quod dicitur, intelligatur, hoc sensu: nihil negotii tecum esse volo, tu non es farina. — *quae iaces.* De mustela, quae abiecerat se et immobilis latebat sub farina.

FABVLA III.

VULPIS ET UVA.*

Fame coacta Vulpis alta in vinea
Vvam appetebat, summis saliens viribus.
Quam tangere ut non potuit, discedens ait:
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.
Qui, facere quae non possunt, verbis elevant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

(*) Vulpes appetere uvas et iis libenter vesci, patet ex Nicandr. Alexiph. 185: Πωτέρην ὅτε βότρυν ἰσίνατο κηκὰς ἀλώπηξ. *Oppian.* Cyneg. III, 458, de vulpe agens dicit, εὖτε, Γύμναι δ'ἡμερίδες, περὶ βότρυσιν ἰνδάλλωνται, *quum vites nudae sunt uvis*, i. e. hyeme, *tunc vulpes avibus et catulis leporum insidiari*; sed et ipsa sacra Scriptura hoc docet: nam Cant. II, 15, vulpes perdere vineas dicitur. Et hoc egregie, etiam ex hac fabula, illustrat Bochart. in Hierozoic. P. I, lib. III, c. 13, et in terra, quae cubilia praebet uvis, Varro I de R. R. 8, 5, etiam vulpibus eam et hominibus saepe communem fieri notat. Et hinc quoque ex Galeno docet Mercurial. lib. II, Var. Lect. 7, Graecos venatores maxime vulpes autumno quaesivisse, quia uvis nutritae carnem gratiorem praebent. *Burmann.*— Orellius, *De vulpe et uva.*

1. *Alta in vinea. Vinea*, scilicet arbor ponitur pro vite. Ita enim capi posse, non pauca exempla probant in Gesneri Thes. L. L. et Schefferi Lex. *Alta* est sublimis et ad perticas ligata. Apte laudat Schefferus Varr. I, de R. R. c. 8, 1: » multae species vineae, aliae enim humiles et sine ridicis (*sans échalas*), ut in Hispania; aliae sublimes, ut quae appellantur iugatae. » *Vineae altius positae* occurrunt apud Col. IV, 22, 7. At si quis suspicari velit, Phaedrum scripsisse *altam*, et retulisse ad uvam, *alta uva* est, quae in alto pendet; v. Scheffer. Sed prior ratio praeferenda. Habet enim etiam Romulus Divion. *alta in vinea.*

2. *summis saliens viribus.* Nota colorem huius loquendi formulae *Totis viribus* dixit lib. I, fab. XI, 7.

5. *elevant.* Levia et vilia esse dicunt, contemnunt. *Scheff.*—*facere*, praestare, efficere.

6 *Adscribere.* Sibi dictum putare. Verbum ex re numularia desumtum. Proprie est in tabulis scribere, ut debitum. Scripto ergo consignata, ut debita possent iure peti, dicuntur *adscripta*. Hinc *sibi adscribere* notat, fateri, sibi deberi, tanquam ex tabulis et certa formula, attribuere.

FABVLA IV.

EQVVS ET APER.

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese Aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes, iratus fero,
Auxilium petiit hominis; quem dorso levans,
Rediit ad hostem. Iactis hunc telis eques
Postquam interfecit, sic locutus traditur:
Laetor, tulisse auxilium me precibus tuis;
Nam praedam cepi, et didici, quam sis utilis.
Atque ita coëgit frenos invitum pati.
Tum moestus ille: Parvae vindictam rei
Dum quaero demens, servitutem reperi.
Haec iracundos admonebit fabula,
Impune potius laedi, quam dedi alteri.

1 sq. Constructio paullo turbatior; non tamen propterea hi versus transponendi, quod volunt Ouveringius et Walebius. — *quo*. Referendum ad *vadum*, ut saepe solet relativum substantivo praeponi. — *turbavit vadum*. Hartm. explicat, turbulentam fecit aquam, ut *vadum* omnino denotet aquam. Non male. Haec vox enim poëtis non raro est quodvis flumen, licet minime *vadum*. Sed h. l. aqua concipienda est brevis et exigua, ut lutum ab immo tollere ac dissipare volutando se aper facile posset, quod iam olim notavit Deabillon.

3. *Sonipes*. Ornate pro equo, per metonymiam. — *fero*. Synecdochice, pro apro.

4. *dorso levans*, quem scilicet hominem quum e terra in dorsum recepisset. Lege quae de verbo *levare* observat Hartman.

7. *precibus tuis*. Tibi precanti. Abstractum loco concreti, ut saepe. Eodem modo Senec. Hippol. 8, dixit *resistere precibus*, pro resistere precanti, quem locum produxit Gesner. in Thes. L. L. et Ovid. VIII, 73, *repugnare precibus*, i. e. precanti. Burmannus explicat, ad preces tuas.

12 sq. Stesichorus haec ita expressit: Οὕτω δὲ καὶ ὑμεῖς ὁρᾶτε μὴ τοὺς πολεμίους βουλόμενοι τιμωρήσασθαι, ταὐτὸ πάθητε τῷ ἵππῳ. Sensus: ut potius laedi nos patiamur, ita, ut illatas iniurias non ulciscamur, quam ut alteri eique potentiori nos dedamus. — *potius*. Elliptice, pro *potius esse*, i. e. melius, laedi *impune*, nulla sequente poena laesionem eam, elabente reo.

FABVLA V.

POETA.

Plus esse in uno saepe, quam in turba, boni,
Narratione posteris tradam brevi.
  Quidam decedens tres reliquit filias:
Vnam formosam, et oculis venantem viros;
At alteram lanificam et frugi, rusticam;
Devotam vino tertiam, et turpissimam.
Harum autem matrem heredem fecit Senex,
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Æqualiter distribuat, sed tali modo:

Scheff. — *laedi, quam dedi.* Ἀντανάκλασις vocatur, quae elegantiâ non caret, si sit rara in scriptis, et tamquam ἥδυσμα et in tempore adhibeatur. Cf. Rittershus.

4. *oculis venantem viros.* Lepide et eleganter dictum de puella, quae oculorum lascivis ictibus insidias struebat viris, et eos ad se alliciebat. Nam verbum *venari* in re amatoria usurpant veteres pro captare, insidiari, dolos, seu laqueos tendere, quod Plaut. Mil. IV, 1, 43, expressit, *oculis venaturam facere;* Propertius vero I, 1, 1, *ocellis capere.* In eadem re graecum θηρᾶσθαι legitur apud Xenoph. Mem. Socr. lib. I, cap. 2, de Alcibiade: διὰ κάλλος ὑπὸ πολλῶν καὶ σεμνῶν γυναικῶν θηρώμενος. Oculi autem formosarum sunt quasi tela, quae adspicientes feriunt.

5 sq. *lanificam*, lanae artem exercentem. Lanam enim facere honestissimarum puellarum et matronarum occupatio erat. *rusticam*, quae ruri solebat telae et lanae operam dare, ex interpretatione Burmanni. «Nam veteres maxime in rure familiam ancillarum lanificarum habere solebant, quarum curam haec filia frugi videtur suscepisse, et hinc postea mater lanificae agellos, villam et omne rusticum instrumentum seposuisse narratur: et hinc construerem *rusticam, quae erat lanifica et frugi.*» Schefferus opponit rusticam illi venanti viros oculis, et intelligit rudem et agrestem, negligentem artes illas, quibus student aliae puellae placere; Praschius laboriosam, coniungens *frugi rusticam.* Desbillon. τὸ *frugi rusticam* explicat utilem et bonam rusticam, laudans Cic. Tusc. III, 8. At Schirachio V. D. *rustica* est a delicata vita atque voluptatibus aliena, et labori reique rusticae dedita.

7. Orell. *fecit heredem.*

8. *fortunam.* Rarius est, singulari numero dici *fortunam* pro bonis, opibus, non tamen sine exemplo. Ovid. Trist. V, 11, 57: *Nec mea concessa est aliis fortuna*; Nep. Att. 21.

Ne data possideant, aut fruantur; tum, simul
Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.
Athenas rumor implet. Mater sedula
Iuris peritos consulit: nemo expedit,
Quo pacto non possideant, quod fuerit datum,
Fructumve capiant: deinde, quae tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit, iure neglecto, parens.

10. *fruantur*. Hoc verbum cum accusativo inveniri, notum, et probat Schefferus. Adde Phaedri lib. III, fab. VII, 25, et Ter. Heaut. II, IV, 21, nisi malis h. l. zeugma esse. — *tum*, tunc. Referendum ad *conferant* vs. 12. — *simul*. Simul ac, ut saepe.

12. *conferant*. Conferre est, portionem suam cum altero dare, contribuere. — *Centena sestertia*. Hoc est, centum singulae conferant, quae valent 2500 scutatos monetae italicae, vel 3000 imper. Vide Gronov. de Sestert. *Scheffer*. — *Centena* distributionem, et singulas centum sestertia matri numerare iussas a patre testatore, significat. Petrus Titius, qui post Gronovium scripsit, in Commentatione sua numeraria docet, centena, vel centum sestertia summam esse 3125 thalerorum. *Kohl.*

13. *Athenas rumor implet*. Eleganter ad exprimendam magnitudinem eius, propter raritatem casus. *sedula*. Epitheton suave, quod matrem illam officiosam, de interpretatione testamenti anxiam et cursitantem, praeclare exprimit. Est enim *sedulus*, qui ex animo et bona fide, *sedulo*, id est, sine dolo, instanterque intentus est alicui rei. Vide Gesnerum in Thesauro L.L.

14. *expedit*, explicare poterat. Vid. quae notamus ad lib. III, fab. XIV, 6. *Expedire litem* saepe occurrit apud iurisconsultos, de quo legendus Brisson. de V. S. p. m. 619.

16. Sensus est: nullus explicare iurisperitus potest, quomodo possit fieri, ut quod datum fuerit ex testamento, id neque possideant, neque fructum ex eo capiant: at neque possidebunt, neque fruentur, si statim alienaverint, et illud est, quod voluerat pater. Item qua ratione eventurum sit, ut quae nihil proprium consecutae hereditate fuerint, matri pecuniam conferant: at conferre poterunt, si bonis, quae hereditate venerint, divenditis pecuniam conficiant. *Desbillon.*

18. In prosa dicas: longissimum tempus consumtum est; sed exquisitius dixit *longi temporis mora*.

19. *sensus*. Optime dicitur de sententia verborum, vel scripturae. — *colligi*, intelligi. Optime ad plurium consilia et responsa. *Tzschuck.*

20. Mater trium filiarum in testamento *heres* scripta fuisse putanda est

Seponit moechae vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos, glabros:

fiduciaria (v. 7). Heres enim, in testamento nuncupatus rogatusque a testatore, ut alteri hereditatem restitueret, *heres* dicebatur *fiduciarius*; is vero, cui fiduciarius heres hereditatem vel totam, ut hic (v. 8 sq.), vel partem eius restituere debebat, *fideicommissarius* erat *heres*, eiusque hereditas *fideicommissaria* appellata. Sed officium illud, restituendi hereditatem, heredi fiduciario a testatore impositum, in foro olim Romano dicebatur *fides*, quemadmodum facile potest veterum comprobari auctoritatibus. Illud ipsum enim *fidei alterius committere*, quod legimus in iuris libris, veluti de fidecommissariis hereditatibus, de inofficioso testamento, etc., et inscriptionibus apud Brisson. de Form. lib. VII, c. 157, quid est aliud, quam officium restituendi imponere heredi fiduciario? Cf. Conradi in Diss. de pacto fiduciae. Quum igitur altera testamenti pars (vs. 10–12) obscura esset atque ambigua, de eius interpretatione mater consulit Iureconsultos. Qui quum huius sensum non possent colligere, neglexit interpretationem testamenti, a Iureconsultis faciendam (*neglecto iure*), *advocavit*, in consilium adhibuit, *fidem*, seu officium heredis fiduciariae, ut quod huic consentaneum esset, id in dividenda filiabus hereditate observaret. Istud enim non aegre intelligebat, institutam se heredem fiduciariam ideoque hereditatem a se filiabus esse restituendam. Sicque fecit; seponit enim moechae vestem, mundum muliebrem, etc. vid. vs. 21—26, et sic satis fecit officio heredis fiduciariae, obsecuta testamenti parti, quae minime erat obscura, *totam ut fortunam tribus aequaliter distribuat*. Ita enim volebat senex decedens. Contra alteram testamenti partem (vs. 10—13) pro non scripta habuit, plane ut iubent leges et iurisconsulti, si in testamento scripta sint, quae non intelligantur.

21. *vestem*. Capiendum pro omni vestimentorum, a patre relictorum, copia. —*mundum muliebrem*. *Mundus*, κόσμος, dicitur ornatus muliebris, quo mulier fit *mundior*. Varr. de L. L. IV, 29. Complectitur specula, matulas, armillas, annulos, gemmas, unguenta, vasa unguentaria, et si qua similia dici possunt, veluti *lavatio*, riscus.

22. *Lavationem argenteam*. Praeter Vlpianum, etiam Paulus D. LXXXIV, Tit. II, lib. 32, § 7, argentum balneare mundo muliebri contineri dicit. Verumtamen quid sit *lavatio argentea*, de eo quidem non una est Interpretum sententia. Rigalt. Hoogstrat. Gronov. Leonbard. Hartman intelligunt vas ingens lotioni destinatum, seu seriam lavatorism, adducto testimonio Vlp. — *eunuchos*. Eunuchorum cura ad balneas pertinebat; erant praefecti balneis muliebribus lautioribus: nam lavationis vasa et eunuchos Phaedrus coniungit. Videntur quoque eunuchi divitum feminarum deliciae fuisse. Ter. Eun. I, II, 87 seq. — *glabros*. Rectissime et ingeniose, ut solebat, Gudius *eunuchos* a *glabris* distinxit. *Glabri*, i. e. quibus nulli in ore aut aliis corporis partibus pili erant, maxime in deliciis erant luxuriosis. Senec. de Brev. Vit. c. XII: *quanta celeritate, signo dato, glabri*

Lanificae agellos, pecora, villam, operarios;
Boves, iumenta, et instrumentum rusticum:
Potrici plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam, et delicatos hortulos.

ad ministeria discurrunt? Gloss. ἁβρός, *glaber*, *delicatus*, *molliculus*: et ita Glossae Petronii c. XXXII, *molles*, explicant, *qui barbam non habent.* Hi et *leves*, i. e. sine barba et pilis vocantur: vid. ad Ovid. Fast. III, 745, et de mollibus viris, qui toto corpore evellunt pilos. Ovid. Art. III, 437. *Burm.*

24. *iumenta*. Quum *iumenta* distinguat a bobus, hacce appellatione h. l. equi, asini, muli et mulae continentur. Vid. Brissou. de V. S. h. v. Itaque Scheffero non est accedendum, intelligenti equos, quos ita saepe a bobus distingui, exempla docent a Burmanno atque Scheffero congesta, hic tamen praeter equos non inepte et asinos, mulos et mulas intelligas. Sed τὰ *pecora* vs. 23, capiendum pro pecoribus minoribus, qualia sunt oves, et alia stercorandi causa parata. — *instrumentum rusticum*, supellex rustica omnis. Iureconsulti Romani appellant *instrumentum fundi*, intelligentes ea, quae fructus quaerendi, cogendi, conservandi gratia parata sunt. Ex his vero, quae ad instrumentum fundi pertinent, memorat Phaedrus pecora, operarios, boves, iumenta (vs. 23 sq.) quae quidem omnia fructus quaerendi causa parata esse dicuntur ab Vlpiano l. c.

25. *apotecham.* Est repositorium maius in superiori aedium parte, ubi reponebatur vinum. Videtur differre a *cella*, quod est minus, ad usum scilicet quotidianum. Vid. Gesner. in Thes. L. L. h. v. Col. I, VI, 20: *Apothecae recte superponentur his locis, unde plerumque fumus exoritur: quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem* (clar. Schneider e MSS. *praecoquem* edidit) *maturitatem trahunt.* — *antiquis cadis.* Sunt cadi veteris vini, ut vocat Plaut. Poen. I, II, 47, et Stich. III, I, 24; V, 35, dixit *vetera vina.* Vinum enim in amphoris, vel cadis conditum, commendabat vetustas, et ex vetustate statuebatur eorum pretium. Hinc notis et titulis, seu pittaciis signabantur, quibus indicabatur, quo consule vinum conditum et ubi natum esset, ut ita cognosel posset et patria et aetas, de quo uberius disscruit Hartman. ad h. l.

26. *Domum politam*. Mox eamdem domum vocat *luxuriae domum* (vs. 44), et *domum et ornamenta* (vers. 34) de eadem; *Nonio* vero interprete *polita* dicuntur omnia exculta et ad nitorem deducta. Hisce positis, *domum politam* explicare possis omni apparatu idoneo instructissimam, non tantum supellectile necessaria, sed iis etiam, quae ad delectationem, cultum et magnificentiam pertinent. Sic Varro R. R. I, 2, 10, habet *regie polita aedificia*. Plin. lib. II, Ep. 17; *cubiculum politissimum*. Schefferus intelligit perfeetam absolutamque omnl ratione, quia, Festo auctore, omnes perfectiones antiqui *politiones* appellabant. Cui interpretationi favet Prol. I, 2, coll. lib. IV, fab. XX, 8. Burmannus, quem sequitur Heusinger. malit urbanam, opere albario, vel tectorio politam: nam supra villam et agellos lanificae destinaverat, hic potrici in urbe ae-

Sic destinata dare quum vellet singulis,
Et approbaret populus, qui illas noverat,
Æsopus media subito in turba constitit:
O si maneret condito sensus patri,
Quam graviter ferret, quod voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici!
Rogatus deinde, solvit errorem omnium.
Domum et ornamenta, cum venustis hortulis,
Et vina vetera date lanificae rusticae:
Vestem, uniones, pedisequos, et cetera
Illi assignate, vitam quae lùxu trahit:
Agros, vites, et pecora cum pastoribus
Donate moechae. Nulla poterit perpeti,

des politas. Quod etsi vir doctus erudite illustravit; etsi domum istam opere elbario exornatem fuisse, oeutiquam negaverim; dubito tamen, an haec interpretatio vim τοῦ *politus* exhauriat.—*delicatos hortulos*. Exquisite pro suavibus, amoenis, oitidis; vs. 34 eppellat *venustos*; Graece ἁπαλοὶ κῆποι. Eodem modo Cic. Verr. V, 40, dixit *delicatum litus*, i. e. emoenum, iucundum; Mertial. lib. VII, 47: *Ruris bibliotheca delicati, Vicinam videt unde lector urbem*. Senec. Hipp. I, II, 210: *domus delicata*. Omoe quod pretiosum, molle, nitidum, ad pompam el ostentationem compositum est, *delicatum* vocari, docuit Cuperus lib. I Obs. c. 3, p. 22 seq. teste Burmenno.

29. *subito*. Opinione celerius. Saepe utitur Phaedrus hac voce de improviso eventu. — *constitit*, restitit. Post hoc verbum ee more Phaedri supplendum: *Et sic locutus est*.

33. *Rogatus* sententiem suam. — *solvit errorem omnium*. Quum sensus testamenti ita esset impeditus, ut nemo *expedire* posset (vs. 14), eleganter nuoc dicit *solvit errorem*, quasi oodum, ut dixit supra lib. III, fab. X, 41: *ipsos error implicuisset criminis*, ad quem locum notavimus, *errorem*, non raro de embiguitate, iocertitudine atque obscuritate capi e priscis scriptoribus. Bormaono teste, Ovidius Met. II, 39, haec ile eepressit: *hunc animis errorem detrahe nostris*; Livius vero lib. XL, c. 55: *homo unus omnium, qui nodum huius erroris exsolvere possit*.

36. *uniones* Μαργαρῖται. Referuntur ab Vlp. lib. XXXIV D. Tit. II, 25, §. 9 sq. ed *ornamenta muliebria*, quee sunt ineures, armillae, sonuli et omnie, quae pareotor corporis ornendi causa.

37. *vitam quae luxu trahit*. Vitam ducit luxuriosam. Intelligeode polrix. Alies verbum *trahere* dicitur de vita moleste et gravi. Vid. ad lib. III, fab. VII, 12. Sed hic ignaviam et inertiam signare videtur cl. Tzschuckio. Luxum etiam et ignaviam iungit Sallust. Iug. II.

39. *perpeti*. Ferre, sustinere; ele-

Vt moribus quid teneat alienum suis.
Deformis cultum vendet, ut vinum paret;
Agros abiiciet moecha, ut ornatum paret;
At illa gaudens pecore, et lanae dedita,
Quacumque summa tradet luxuriae domum.
Sic nulla possidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint singulae.
Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Vnius hominis reperit solertia.

ganter ad signandam difficultatem faciendi eius quod ingenio repugnat. *Scheffer.* cui ego non dubito accedere. Sed Prasc. et Gronov. capiunt pro, sibi temperare, se continere, adducto loco Ter. Heaut. IV, IV, 43 sq. *non possum pati, quin tibi caput demulceam,* i. e. non contineo me, non possum non tibi demulcere caput. Cf. Gronov. ad Senec. Thyest. 470.

40. *teneat. Tenere* hic pro *possidere* et *habere*, ut supra dixit, debet sumi.

41. *cultum.* Intellige vestes et reliquum ornatum muliebrem — *vinum paret.* Probabilius nos *imperet*, voce graphica, et in qua facillime labi poterant librarii. *Bothe.* —Quae lectio ingeniosa et facilis an praeferenda sit vulgatae *paret*, quam defendi, praeeunta Deabillonio, videant doctiores. Bothio tamen accedit Censor doctus Lips.

42. *abiiciet*, vilissimo pretio, ut rem contemtam, vendet.

44. *luxuriae domum.* Recte Schefferus explicat ad luxum instructam, et luxui velut consecratam. *Luxuriae domum* autem supra vocat *politam*, seu *domum et ornamenta*, i. e. domum ornatam. Gudius, quem sequuntur et alii, male cepit *luxuriae* in dativo, ut sit, *tradet domum luxuriae*, i. e. luxuriosis hominibus luxui deditis, ut invidia pro invidiosis hominibus: quod, observante Burmanno, durissimum, neque semper verum est. Sic vulgo, i. e. nimio sumtu extructam et politam Burmanni verbis. Sed dubito hanc significationem probari posse. Nostra, *luxuriam et domum*, dedit anonymus quidam Anglus. *Bothe.* — Ego nullus dubito, quin vera lectio sit *luxuriam et domum*, quod facili errore degeneravit in *luxuriae domum*, omissa vel detrita lineola super *a* et *e* compendio posito pro et. *Hare.*—*Luxuriae domum* dici posse eo, quo cepi, sensu, intelligi potest ex exemplis suo loco prolatis.

46. *dictam.* Praescriptam, destinatam testamento.

FABVLA VI.

PVGNA MVRIVM ET MVSTELARVM.

Quum victi Mures Mustelarum exercitu
(Historia quorum in tabernis pingitur),
Fugerent, et artos circum trepidarent cavos,
Ægre recepti, tamen evaserunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conspicuum in praelio
Haberent signum, quod sequerentur milites,
Haesere in portis, suntque capti ab hostibus;
Quos immolatos victor avidis dentibus

2. Huiusmodi facies monstrosas et ridiculas, qualis hic est pugna murium et mustelarum, olim in tabernis ac diversoriis publicis prostare, et haberi in parietibus aut foribus depictas, moris erat.

3. *trepidarent.* Vltro citroque pavidi concursarent, festinantes intrare. Nota colorem verbi. Vid. ad II, v, 2. Apte laudat Gudius Auct. de B. A. 82: *animadvertit hostes circa vallum trepidare atque ultro citroque pavidos concursare.*

5. *cornua.* Graece fabula: κέρατα κατασκευάσαντες ἑαυτοῖς συνῆψαν. Intelligendae galeae cornutae, quas duces murium aptaverant capitibus suis. Solebant enim reges, heroes et duces in bello olim galeis militaribus praefigere animalium cornua. Ita Herodot. VII, 76, Thraces narrat aereas habuisse galeas, et desuper bovis aures et cornua; Diodorus vero lib. V, c. 30, p. 353 Wessel. Gallis in more positum fuisse commemorat, ut aereas haberent galeas cum magnis appendicibus, quibus vel cornua affixa, vel avium, aut quadrupedum facies adiunctae. Maxime huc referendus locus Livii lib. XXVII, 33, ubi de Philippo, Macedoniae rege, qui bellum gessit cum Romanis, haec narrantur: « Expeditione ea, qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnavit, in arborem illatus impetu equi, ad eminentem ramum *cornu alterum galeae* praefregit. » Qui locus, coll. Veget. lib. II, 16, docet, veteres, ut terrorem iniicerent hostibus, galeis, quas in praeliis induerent, addidisse cornua. Praeterea vero eiusmodi galearum ornamentis utebantur, ut vel patriam suam et originem et memoranda maiorum facta exprimerent, vel (ut hoc loco, coll. Veget. lib. II, c. 13 et 16) conspicuum in praelio haberent signum, quod sequerentur milites; id quod Drakenb. ad Sil. Ital. XV, 682, exemplis Hierbae et regum Macedonum post Alexandrum M. qui Iovis Ammonis filius haberi volebat, et aliorum, erudite comprobat.

9. *immolatos avidis dentibus.* Proprie hostiae *immolari* dicuntur, quos

Capacis alvi mersit tartareo specu.
Quemcumque populum tristis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum,
Minuta plebes facili praesidio latet.

FABVLA VII.

POETA.*

Tu, qui, nasute, scripta destringis mea,
Et hoc iocorum legere fastidis genus,
Parva libellum sustine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuae,
Et in cothurnis prodit Æsopus novis.

mola salsa, antequam caederentur, sparsas esse constat. Sed quia hanc sparsionem mactatio statim sequebatur, *immolare* etiam dictum est pro mactare, trucidare.

10. Devoravit. *Schw.* Hic et praecedens versus grandioris spiritus sunt et maiestatis tragicae; cuius generis versus quum humiliori characteri intermiscentur, nulla res est, quae ad ridiculum faciat magis. *Faber.* — Tragicae gravitatis verba, ut recte Faber, ridiculi causa interserta: est enim poëtica exaggeratio. *Burm.*

11. *Quemcumque populum.* Id est, sub rege viventem, sive in republica liberum. *Burm.*

13. *Minuta.* Est humilis, sordida, ut Petron. XLIV, *populus minutus laborat.* Borm. — *facili praesidio latet.* Eleganter et poëtice dictum, pro *facile latet praesidio*, h. e. facile invenit receptaculum tutum, ubi delitescat. — *facili.* Obvio, minimi laboris, qui ut mures in cavis, ita in casis suis et tuguriis paratum et tutum habent receptaculum. *Burm.*

(*) Orell. *Phaedrus*, deinde vs. 1, *distringis.*

3. *Parva.* Brevi. Eodem sensu Ter. Andr. I, 1, 83, dixit, *parva consuetudo.*

4 sq. Notat detractores et fastidiosos fabularum suarum reprehensores, qui humile fabularum Aesopiarum genus prae sublimioribus tragicorum fabulis contemnere videbantur. Ad quos confutandos recitat novo atque Aesopi fabulis inusitato dicendi genere, eodemque sublimiori, versus Ennii, ex Medea Euripidis translatos: ex quibus intelligi posse statuit, vel tragoediam continere falso dicta et fabulas; per consequens fabulas Aesopias prae fabulis, tragico dramati sollemnibus, immerito elevari.

5. *Et in cothurnis novis.* Novo (Aesopo eiusque fabulis) insolito dicendi genere et sublimiori, quo tragoedia

Vtinam nec unquam Pelii nemoris iugo
Pinus bipenni concidisset Thessala !
Nec ad professae mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem,
Inhospitalis prima quae Ponti sinus
Patefecit, in perniciem Graium et Barbarum !
Namque et superbi luget Æetae domus,
Et regna Peliae scelere Medeae iacent:
Quae, saevum ingenium variis involvens modis,

cothurnata utitur, et Phaedrus deinceps iocose superbit. *Tzschuck.*

6 sq. Simulat, se scripturum tragoediam, et ioco hoc velut exordium facit, quomodo Ennius in translatione Euripidis Medeae. *Scheff.* Sensus: Vtinam Thessala pinus in silva montis Pelii caesa nunquam bipenni fuisset. Imitatur his et sqq. versibus Ennium in Medea, ex Euripide translata, cuius versus non uno loco affert Cicero. — *Nec unquam*; nunquam. *Nec* pro *non* saepius occurrit, e. g. apud Cic. pro Quint. c. 4.

8. *professae mortis*, manifestae, apertae, quam subituros se profitebantur, quam ipsi praevidebant. Sic loquitur ob certitudinem periculi, cum navigatione coniuncti. — *audacem viam mortis.* Elegantissime. Sic et alii poëtae, quorum loca congessit non pauca Broukhus. ad Tibull. I, xi, 3. *Schw.*

10. *sinus inhospitalis Ponti.* Plin. H. N. VI, Praef. *Pontus antea ab inhospitali feritate Axenos appellatus* (ἄξενος). Postea coloniis Graecorum eo deductis, et mollitis accolarum moribus, εὔξεινος, εὔξενος dictus. — *prima Patefecit.* Etsi pro certo affirmari potest, ante expeditionem Argonauticam iamiam fuisse naves, quum tot coloniae in insulas iam essent ductae, earumque incolae non raro in continentem traiicerent, scaphis et ratibus temere fabricatis utentes, v. Burm. ad Val. Fl. II, 285, etsi credibile est, Minoem, longe vetustiorem Iasone, primam exstruisse classem, v. ad vs. 18 sqq.; haec res tamen non impediit poëtas, quo minus affirmarent Iasonem primum rate mare transiisse.

12. *superbi.* Nobilis, potentis. — *luget Aeetae domus.* Aeetes, Colchorum rex, luget aureum vellus, quo Iason Medeae ope potitus erat; luget Medeam filiam profugam; luget Absyrtum filium a Medea interfectum.

13. Nota est Peliae, Thessaliae regis, fabula, quem dum filiae, quae mox *Peliades* dicuntur, a Medea persuasae, student ad iuventutem revocare, lebeti ferventi impositum interfecerunt. Vides, quare dicat *scelere Medeae.* Fusius rem tractant Hygin. fab. XXIV; Ovid. Met. VII, 297 sqq.; Apollod. Bibl. I, 9, 27. — *iacent.* Victa, eversa sunt.

14. *saevum ingenium.* Animi saevitiam; nam *ingenium* pro pectore, moribus poni, probant exempla in Clav. Schirach. P. I, p. 481. — *involvens,* tegens. Eleganter de versatili simulatore.

Illic per artus fratris explicuit fugam;
Hic caede patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum; longe quia vetustior
Aegea Minos classe perdomuit freta,
Iustoque vindicavit exemplo impetum.

15. *Illic* in Ponto, apud Tomos. — *per artus fratris* Absyrti, quos divulsos per agros dissipat, *explicuit fugam*, expedivit, sibi liberam et tutam fecit. Nempe quum Medea fugeret, insequebatur eam cum Iasone pater Aeetes; imminenti ergo, et iam capturo, per membra dissecti fratris obiecit partes, ut, dum singula colligit, ipsa interea tempus haberet elabendi. Cf. Scheffer. Eleganter autem verbum *explicare* usurpatur de re difficili atque ardua, ex qua non nisi consilio et prudentia elabi licet. Memorat Burmannus locum Flori lib. I, c. 17: *Fabius Maximus periculosissimum bellum periculo explicavit*; Schefferus Ciceronis, *Siciliam undique cinctam periculis celeritate consilii explicavit.*

16. *Hic* in Thessalia. — *infecit caede manus.* Effecit, ut Peliades caede patris sui manus pollucrent.

17 sqq. *Quid tibi videtur?* ridet adversarium. *Tzschuck.* — Vid. loca, Burmanno laudata, Ter. Andr. II, 1, 17, et Eun. II, 11, 42. Sensus: *quia Minos*, rex Cretae, *longe vetustior* Iasone (παλαιότατος ὧν ἀκοῇ ἴσμεν, Thuc. I, 4), *classe perdomuit Aegea freta*, mare Aegeum (ναυτικὸν ἐκτήσατο. καὶ τῆς νῦν Ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπιπλεῖστον ἐκράτησε, Thuc. I, 4) efficitur inde, navem Argonautarum non primam fuisse (vs. 10), quae Pontum patefaceret, adeoque insulsum esse falsoque dictum, i. e. contra rationem temporum, quod paullo ante narratum est. Scilicet Minos II, Lycasti filius Cretae rex, classe comparata, Caras aliasque gentes, piratica infames, mari expulisse et maris Aegei insulas, quas Cycladas appellant, sub suam potestatem redegisse traditur. Id quod factum credunt circa annum MCCCCVI, ante C. N. et CXX circiter annis ante expeditionem Argonauticam, quam referunt ad ann. MCCLXXXV, a. C. N. etsi alii assignent anno MCCXIV, a. C. N. et XL ante Troiam captam.

20. Minos purgando maria a piratis et eos puniendo impetum illum, i. e. iniustam rationem praedandi, ultus fuit. *Burmann.* — *vindicavit*, punivit. — *exemplo.* Capiendum cum Scheffero pro poena, supplicio. Docet enim Donatus ad Ter. Eun. V, v, 4: *graves poenae, quae possunt ceteris documento esse*, exempla *dicuntur.* — *impetum.* Recte interpretantur Scheffer. Iohnson. Desbillon. de incursionibus piratarum, ut ex more Phaedri *impetus* ponatur pro impetentibus, sicut lib I, fab. V, 11, et lib. I, fab. XIII, 12. Non praetereunda est clar. Tzschuck. ad hunc locum observatio. » Possis, *inquit*, forte rectius, ad primam navigationem longiorem referre, ita, ut sit explicatio τοῦ *perdomuit*, cum accommodatione ad Argo, id est primus satis gravi exemplo probavit, tuitus est, navigandi impetum. Tum vero Phaedrus eam navigationem falso

Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellae te iuvant, nec fabulae?
Noli molestus esse omnino litteris,
Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.
Hoc illis dictum est, qui stultitia nauseant,
Et, ut putentur sapere, caelum vituperant.

FABVLA VIII.

VIPERA ET LIMA.

Mordaciorem qui improbo dente appetit
Hoc argumento se describi sentiat.
In officinam fabri venit Vipera:
Haec quum tentaret, si qua res esset cibi,

tribui Argo, innuit. s Addantur cl. *Lange* Prolegomena ad Phaedrum pag. 27.

21. *Cato*, Censor, morosa severitate notus, quae deinde in proverbium abiit, ut *Cato* dicatur pro tetrico et moroso censore.

22. *fabellae.* Intellige fabulas Aesopias. — *fabulae*. Capiendum pro sublimioribus tragoediae fabulis, quarum specimen proponit vs. 6 sqq. Pro hac interpretatione etiam pugnat vs. 5. Itaque vocem *fabulae* male intelligunt de carmine quovis maiori et sublimiori.

23. *litteris.* Litteratis, poëtis. Non pauci enim de vindicta capiunt, qua poëtae uti adversus inimicos solent.

25. *stultitia nauseant.* Non quod subsit causa, sed quia ipsi stulti sunt, et rem non intelligunt. *Scheffer.*

26. *caelum vituperant.* Deos ipsos. Locutio proverbialis, ut ait Hoogstratanus, de iis, qui prae nimia sapientia, vel stultitia potius pulcherrima et absolutissima taxare instituunt. *Caelum* autem pro diis ipsis dici, docere potest locus Ovid. Met. XIII, 857, quem Burmannus memorat, ubi poëta coniungit *Iovem* et *caelum*, i. e. Iovem et Deos omnes. Et ipse Phaedrus lib. IV, fab. XIX, 24: *caelum fatigas sordido periurio.* Plura dabit Burm. Graeci dixere λοιδορῆσαι τὸν οὐρανόν.

Optime ill. *de Schirach* Clav. P. I, p. 269, v. *Pelius*: Perlege totam fabulam, et nisi omnia me fallunt, irasceris Christio, qui aetate Augusti aurea indignas hasce fabellas frustra tribuere conatur recentiori homini.

(*) Orell. *Serpens ad fabrum ferrarium.*

1. *improbo dente.* Avido, acri, voraci.

4. *res cibi.* Cibus, χρῆμα τροφῆς, per graecismum, quem Latini interdum expresserunt. Laudant interpp. Plaut. Amphitr. II, ii, 1, *res voluptatum*, pro

Limam momordit. Illa contra contumax,
Quid me, inquit, stulta, dente captas laedere,
Omne adsuevi ferrum quae corrodere?

FABVLA IX.

VULPES ET HIRCVS.*

Homo in periclum simul ac venit callidus,
Reperire effugium alterius quaerit malo.
  Quum decidisset Vulpis in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine,
Devenit Hircus sitiens in eumdem locum;
Simul rogavit, esset an dulcis liquor,
Et copiosus. Illa fraudem moliens:
Descende, amice, tanta bonitas est aquae,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Immisit se Barbatus. Tum Vulpecula

ipsis voluptatibus, ut explicat Voss. de Constr. c. 7, vid. etiam Graev. ad Cic. I Verr. 44: Plaut. Truc. I, II, 38, *res amoris*, pro amore ipso. Ita Aristophanes Εκκλησ. 394, *χρῆμα ὄχλου*, pro ὄχλος. Herodot. lib. I, c. 36, *μέγα χρῆμα συὸς*, i. e. magnus aper. De hoc loquendi genere, Atticis et Ionibus valde familiari, multa collegerunt, Faber ad h. l. Rittershus. ad Oppiani Hal. I, 405, et ad Phaedrum; maxime cl. Hartman. ad h. l. Romulus Div. h. v. expressit: *dum quaereret aliquid ciborum*. Fabula graeca: ἐκ τῶν σκευῶν τῶν ὄντων ἐζήτει φαγεῖν.

5. *contumax*. Viperae rodenti pertinaciter resistens nec admittens morsum, sicque nihil praebens cibi. Epitheton elegans. Simili modo *amomum contumax fricanti* dicitur Plin. H. N. XII, 13, ubi *contumax* est, quod non facile fricando comminuitur et fricanti resistit.

7. *Omne adsuevi*. Bothius, quum nemo adhuc de emendando hoc loco cogitasset, rescripsit tamen, *Homini adsuevi*. Schw.—Vulgo, *omne adsuevi*. sed friget h. l. adiectivum. *Bothe*.—Aliter sentit Censor Lipsiensis, saepius laudatus, qui vulgatam stare posse recte putat, si intelligas ferrum vel durissimum.

(*) Orell. *Vulpes et Caper*.

2. *alterius malo*, i. e. periculo.

3. *inscia*. Lib. III, fab. II, 2: *imprudens olim in foveam decidit*. Schw. — Non natura sua, est enim alias callida, sed quum ignoraret puteum subesse.

Evasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumque clauso liquit haerentem vado.

FABVLA X.

DE VITIIS HOMINVM.

Peras imposuit Iupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
  Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinquunt, censores sumus.

12. *haerentem*. Eleganter notat difficultatem elabendi, et incertitudinem consilii in malo praesenti, ut iam olim notavit Schefferus, apte laudans locum Ciceronis Phil. II, 29: *haerebat nebulo, quo se verteret, non habebat*. Sed et alio modo potest explicari. Testatur enim Burmannus, similiter de navibus dici *haerere in vado*. Ita Florus lib. III, c. 10, 5, et lib. IV, 2, n. 33. Quibus adde Curt. IX, 9, 19: *classis partim in vado haerebat*. — *vado clauso*, i. e. in fundo putei, qui altiore margine erat clausus. Vid ad vs. 4. Poëtas quemvis aequoris, aut fluminis etiam minus profundum locum nomine *vadi* insignire solere, Burmannus probat e Sil. Ital. II, 1. Sed Phaedrum fundum putei *vadum* dicere, idem vir doctus ad peculiaria poëtae refert, etsi haec vox de fundo putei etiam occurrat apud Plin. in H. N. XXXI, 3, ante med. *ut illa vado exsiliat vena, non e lateribus*, qui locus notatus est a cl. Schellern in Lexico, et a cl. Schulzin in Not. ad Phaedr. Observat etiam Desbillonius, recte fundum putei *vadum* appellari. Ibi enim nisi breves, ut in vadis plerumque fit, aquae fuissent et vulpis et hircus debuissent suffocari.

1. *Peras duas*. Duos sacculos, sive illud ipsum, quod Petron. c. 31, *bisaccium* vocat. *Desbillon*. Ita iam olim recte ceperat Lallemant. vertens cum Fontanio *la besace*, i. e. mantica duplex, cuius pars una ante, altera retro, aequali tumore et pondere, penderet. Vid. Burm. ad loc. Petron. cit. At Hoogstratano *pera* est sacculus ex aluta, e collo ad lumbos pendens. — *Iupiter*. Non sine causa Lessingius hic carpit Phaedrum. Vid. ei. Fabulas p. 233.

3. *Alienis*, scilicet vitiis. — *gravem*, gravatam, plenam.

4. *Hac re*, ideo, διὰ τοῦτο, quod habet Themistius.

FABVLA XI.

FVR ARAM COMPILANS.*

Lucernam fur accendit ex ara Iovis,
Ipsumque compilavit ad lumen suum.
Onustus sacrilegio quum discederet,
Repente vocem sancta misit Religio:
Malorum quamvis ista fuerint munera,
Mihique invisa, ut non offendar subripi;
Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,
Olim quum adscriptus venerit poenae dies.
Sed ne ignis noster facinori praeluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,

(*) Orell. *Fur et Lucerna.*

2. *lumen suum*, proprium; Iovis, non furis. Ita recte Scheffer. et Burmann. Nam si de furis lumine capias, perit omnis elegantia et relatio ad τὸ *ipsum*. Ipsum igitur Iovem ad lumen suum, i. e. proprium, ex ara Iovis accensum, compilavit; *suus* autem pro *eius*, poni, nec referri semper ad eum, qui casu nominandi deberet exprimi, ut nonnulli putant, multis probant Scheffer. et Burm. quos vide.

3. Bothius edidit, post Vrsinum, *Qui onustus s. c. d.* Orell. *Onustus qui s. q. d.*

4. *sancta Religio.* Non in hac fabula puto distinguendam religionem a Iova, quum vox sine dubio ex ara, vel statua Iovis emissa fuerit, ita ut religio pro re, vel loco sancto, in quo colebatur Iupiter, sit sumenda, et hoc verba *mihi invisa, ignis noster*, quae a Iova proferuntur, clare ostendunt. Religio est ergo Iovis statua, vel ara religione summa colenda (Aram intelligunt Gronov. et Dispontin.). *Burmann.*—Simili modo Virg. Aen. III, 362: *Namque omnem cursum mihi prospera dixit religio*, i. e. oraculum et vaticinium.

5 sq. Quamvis ista munera, i. e. donaria, quae tu nunc furto abstulisti, a malis hominibus ad placandum numen fuerint suspensa et dedicata, adeoque mihi invisa, ut non offendar, illa a te subripi.

9. *facinori*, facinorosis.

10 sq. *Per quem*, ignem, i. e. sacrificia.— *verendos.* A Religione Dii *verendi* dicuntur ratione hominum: quo epitheto de iis utitur Ovid. Am. II, XIII, 11, et Met. IX, 269 (*verendos deos* qui dixerit, non meminit Bentleius). Notant autem viri docti, verbum *vereri* minus, quam *metuere* et *timere*, rectius de numinibus dici, quia servi *timent* et *metuunt* dominos, liberi *verentur* patres, ita et deos magis *verentur*, qui recte de iis sentiunt, quam *metuunt* et *timent*, ut

Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma Deum,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.
Quot res contineat hoc argumentum utiles,

superstitiosi. Quara bene Cicero pro Planeio e. 12: *primum ut vivat cum parente (nam meo iudicio pietas fundamentum est omnium virtutum) quem veretur, ut Deum.* Haec e Notis Burmanni excerpsi. — *excolit.* Colit et placare solet. — *pietas*, pii homines, more Phaedri.

11. *commercium.* Non simplieiter usum notat, sed mutuum, et quotidianum quasi inter sacra et profana lumina usum. Sie Ovid. Art. III, 549, vatibus dicit esse *commercia caeli;* et Trist. V, III, 45, *sunt Dis inter se commercia.* Non licebat ergo aras aceendere de lucerna, quae oleo alebatur, sed de facibus (ut in sacro Cereris Ovid. Fast. IV, 493) aut alio igne, ut ex domo Flaminis petito. Vid. Fest. in *ignem.* Maxime vero divini favoris indicium erat, si ex caelo demisso igne incenderentur arae. Vid. de lov. Fulger. e. IX. Huius interdicti de lucerna nusquam inveni mentionem: forsitan ex usu hanc fabulam finxit Phaedrus, et originem ex ingenio commentus, ut notaret notos sibi scelestos, quos aluerat et foverat, sed qui sibi malam gratiam retulerant. *Burm.*

12. *lucernam.* Dixit *lucernam* pro vulgari igne, non sacro. — *de flamma Deum;* de flamma in aris Deorum exsuscitata.

13. *sacrum.* Sacrificium, vietimam. Hinc ad sacra perpetuum ignem alebant in aede sacra.

14 sq. Quum perspicue et facile intelligi non possit, quomodo tres sententiae morales, quas epimythium continet, ex facto narrato fluant, vides, hocce epimythium parum aptum esse ad fabulam. Itaque recte carpitur a cl. *Jacobs* in *Nachtr. zu Sulzer.* T. VI, p. 69, et cl. Langio, coll. Lessingio in Quaest. de Fabulis, quae exstat in Ei. Opusc. Fabb. ubi v. p. 140. Peccavit etiam Phaedrus in hoc, quod quum in bona fabula sententia moralis una et simplex esse debeat, ita tamen rem traetaverit, ut tres diversas sententias morales derivari posse crederet. Ceteroquin versum 15 viri docti varie explicant. Freinshemius ad ambitionem poëtae refert, quum vitium sit, ita loqui, ut, quod sentias, intelligi non possit etiam ab eruditis et prudentibus. Schefferus ita explicat: non necesse erit, ut explicet alius, quia ipse, qui excogitavi, nunc facturus sum. Cui interpretationi repugnare videtur verbum *explicabit.* V. *Lange.* Desbillonius: quoniam reperi fabulae huius argumentum, mihi expectandum non est, dum ipse lector explicet, quot res utiles contineat. Verba Phaedri tamen ei ostentationem quamdam habere videntur. Contra Langius suspicatur, nescio an vere, dicere poëtam per iocum, neque haec in serium esse convertenda. Ego quidem dicerem, Phaedrum, qui probe intelligeret, ita esse narratam fabulam, ut vera ipsius mens non omnibus statim in oculos incurreret, sinistrae interpretationis evitandae gratia, vel alia quacunque de causa, voluisse suorum verborum esse interpretem. Neque sic ostentationis argui potest, quum unusquisque se ipse optimum verborum

Non explicabit alius, quam qui reperit.
Significat primo saepe, quos ipse alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios:
Secundo ostendit, scelera non ira Deum,
Fatorum dicto sed puniri tempore:
Novissime interdicit, ne cum malefico
Vsum bonus consociet ullius rei.

suorum interpretem dicere possit, ita, ut nulla ostentationis suspicio in eum cadet. — *explicabit*. Recte Heinsius *explicarit*. Sed ambitiosum est illud *explicarit*, quasi nemo, nisi Phaedrus, animadvertere hoc potuisset. Contra vulgatum iocose dictum est, hac sententia: non permittam, ut alius explicet, sed ipse potius explicabo. *Bothe*. — *qui reperit*. Vid. ad prol. I, 1. *Schw.*—Se ipse intelligit. Vnde discimus, primum fabulae huius auctorem esse Phaedrum. *Scheff.*—Probabile est, ipsum Phaedrum esse auctorem fabulae, etsi Guyetus Aesopo tribuere videatur, inter cuius fabulas non legitur.

16. *alueris*. Foveris, beneficiis ornaveris.

19. *Fatorum dicto tempore*, i. e. tempore a Fatis decreto, constituto. Non enim cum Scheffero iungendum, scelera non ira Deum, sed fatorum puniri, dicto tempore. Merito enim dubitandum, an ullo in loco *ira* fatis tribuatur. Recte autem Schefferus per *fata* Parcas intelligit, quas opponit Diis superis, probante Burmanno, qui videndus ad Ovid. Trist. III, vii, 13. Ita Cicero Parcas intelligit Cat. III, 8: *ni Dii immortales fata ipsa flexissent*....

Hanc narrationem historiolam esse, non fabulam, et Phaedrum istam pro fabula propria vendidisse, vidit Lessingius in Quaestionibus de fabulis, libro paullo ante citato, p. 138 sqq. Causam Phaedri tamen agere studet *de Schirach* v. 3, Clav. P. I, v. *reperire*. » Tantum abest, *inquit*, ut Phaedrus hanc narrationem pro fabula propria vendat, ut ipse potius suo exemplo probet, quod necesse putabat, posse hanc frugiferam narrationem, ut aliae, quas suis fabulis hic ibi interseruit, utilissimarum rerum in communi vita esse documentum. Occurrunt eiusmodi narrationes evolventi Phaedrum. Vid. lib. III, fab. X; lib. IV, fab XXI, etc. »

FABVLA XII.

MALAS ESSE DIVITIAS.*

HERCULES ET PLVTVS.

Opes invisae merito sunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.
Caelo receptus propter virtutem Hercules,
Quum gratulantes persalutasset Deos,
Veniente Pluto, qui Fortunae est filius,
Avertit oculos. Causam quaesivit Pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,
Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.

(*) Orell. *Malas esse divitias*, omisso *Hercules et Plutus.*

4. *gratulantes* ipsi novos honores. Vid. quae de hoc verbo erudite disputant Perizonius ad Sanct. Min. p. 8 seq. et Gronov. Obs. II, 19. — *persalutasset.* Bene explicant Scheffer. et Burm. omnes ordine salutasset, salutationem omnium finisset. Graeca fabula: ἕνα ἕκαστον τῶν Ͽεῶν ἠσπάζετο. Ita Liv. lib. XXIX, 19, post med. Suet. Aug. 35 fin. ubi v. *Ernesti*, *perrogare sententias*, i. e. senatores sententias a primo ad ultimum rogare. Curt. X, v, 3: *donec a toto exercitu ad ultimum persalutatus est.* Ita *perbasiare* Petron. c. 41.

5. *Veniente Pluto*, intellige, gratulatum. — *qui Fortunae est filius.* Divitiae enim sunt a fortuna. Opportune Faber notat locum Pausan. in Boeot. IX, 16, p. 740, ed. Kuhn. καὶ πλησίον τύχης ἐστὶν ἱερόν. Φέρει μὲν δὴ πλοῦτον παῖδα, addita ratione: σοφὸν μὲν δὴ καὶ τούτοις τὸ βούλευμα, ἐσθεῖναι πλοῦτον εἰς τὰς χεῖρας, ἅτε μητρὶ ἢ τροφῷ τῇ τύχῃ. Facit tamen Hesiodus Theog. 969 seq. Cereris filium, ex Iasio in Creta natum. Priscis enim temporibus πλοῦτος fruges et alia, ad annonam et penum pertinentia significabat. Vid. Heinsius ad loc. Hesiodi cit. Ceteroquin *Plutum* a *Plutone* distinguendum esse, erudite contra Walchium observat cl. Lindnerus in Tentam. Crit. Phil. P. II, p. 5 sq.

6. *Avertit oculos.* Graeca fabula: κατὰ τοῦ ἐδάφους κύψας ἀπεστρέψατο ἑαυτόν. — *pater.* Iupiter, utpote qui est pater deorum et hominum sator.

8. *Simul.* Ita capio, ut non modo malos, quibus amicus est, ad omnia facinora impellat, sed etiam possit bonos corrumpere spe lucri. *Burm.* — *obiecto lucro cuncta corrumpit. Obiectum lucrum* dictum est, ut lib. I, fab. XXIII, 4, *obiectus cibus*, quo canis corrumpitur, ne latret pro re domini. *Cuncta* enim est pro *cunctos* positum, ut Ovid. ex Pont. III, vi, 31: *quum pereant acie fortissima quaeque.* Ovid. Am. I, ii, 33: *omnia te metuent.* Et ita centies. *Burm.*

FABVLA XIII.

LEO REGNANS. *

Vtilius homini nihil est, quam recte loqui;
Probanda cunctis est quidem sententia,
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.
  Quum se ferarum Regem fecisset Leo,
Et aequitatis vellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine,
Atque inter illas tenui contentus cibo,
Sancta incorrupta iura reddebat fide
Postquam labare coepit poenitentia

* * *

Desunt reliqua.

(*) Orell. *De leone regnante.*

1. *recte loqui*, sincere. Vid. vs. 3. *Schw.* Sine circuitione, aut ambagibus, quibus verus animi sensus involvitur et tegitur, loqui, ut solent sinceri et simplices homines. Vid. ad Quintil. Prooem. lib. VIII, p. 664. *Burm.* — Oppositum huius est *oblique loqui*, quod et passim in usu. Sed et *recte* sic usurpavit Plaut. Amph. III, III, 18: *recte loquere*, et Captiv. V, II, 7: *recta et vera loquere*. Scheff. Metaphora ab itinere et via desumta.

3. *agi* Explicant Scheff. et Burmann. adduci, trahi, impelli, trudi, a potentibus scilicet et violentia.

9. *labare*. Titubare, vacillare; sed *labare coepit poenitentia* est, mutare consilium, et deficere a proposito, ut Cic. VIII, Att. 14: *scito labare illud meum consilium, quod iam satis fixum videbatur.* — τὸ *poenitentia* non significat tantum dolorem ex actis, sed saepe mutatum animum modumque agendi contrarium. *Gron.*

FABVLA XIV.

PROMETHEVS.

* * *

Afflictione veretri linguam mulieris,
Affinitatem traxit inde obscenitas.
Rogavit alter, tribadas et molles mares,
Quae ratio procreasset? Exposuit senex:
Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,
Qui simul offendit ad fortunam, frangitur,
Naturae partes, veste quas celat pudor,
Quum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis,
Ad coenam est invitatus subito a Libero.
Vbi irrigatus multo venas nectare,

1. 2. Isti versus in Orellii editione disiuncti a seqnentibus leguntur ad instar fragmenti fabulae XIV, deinde vs. 3 incipit alia fabula, *Prometheus* item inscripta. *T.*

3. *tribadas*. Plautus (Pers. II, II, 45) latina voce *subagitatrices* dixit. Intelliguntur autem eae, quae apud alias feminas virorum officio funguntur. *Scheff.* — *Tribas*, fricatrix a τρίβειν, terere. Martial. VII, 67 et 70. (Bip.) *Gronov.* — Hoc ipsum est, quod tangit D. Paullus Ep. ad Rom. I, 26. *Faber.* — Lucianus, teste Rittershus., dixit τριβαδικὴ ἀσελγεία. — *molles mares*. Cinaedos, muliebria patientes.

4. *Quae ratio procreasset*. Vnde orti essent. — *senex*. Aesopus. Vid. ad Prol. II, 8.

5. *Idem Prometheus*. Haec docent, initio fabulae de Prometheo fuisse sermonem, ut olim vidit Rigaltius, probante Freinshemio. Male Rittersh. τὸ *idem* referebat ad Aesopum. — *auctor vulgi fictilis*. Formator hominum, e luto fictorum. Notissima fabula.

6. *Qui*. Vulgus. — *simul*, simul ac. — *offendit ad fortunam*. Ita Cic. de Memmio apud Fab. lib. VI, c. 3: *Caput ad fornicem Fabii offendisse*. Fortuna hic velut res dura fingitur, ad quam vulgus (nam illud *qui*, quod ante *simul*, ad *vulgi*, non *Prometheus* est referendum) formatus ex luto, sicut testa frangitur, eleganter *Scheff.*

7. *Naturae partes*. Proprie membra, quibus sexus distinguitur. *Scheff.*

9. *suis*, a se fictis.

11. *irrigatus multo venas nectare*. Bene potus, pro quo Virg. Ecl. VI, 15: *inflatum hesterno venas Iaccho*. — *venas*. Notanda constructio, more Graecorum facta, qui saepe κατά, quemadmodum Latini *quoad*, omittunt. Laudant Interpp. Tac. H. I, 85: *animum vultumque conversi*. Lib. IV

Sero domum est reversus titubanti pede.
Tum semisomno corde, et errore ebrio,
Applicuit virginale generi masculo,
Et masculina membra applicuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

FABVLA XV.

CAPELLAE ET HIRCI.*

Barbam capellae cum impetrassent ab Iove,
Hirci moerentes indignari coeperunt,
Quod dignitatem feminae aequassent suam.
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et usurpare vestri ornatum muneris,
Pares dum non sint vestrae fortitudinis.

H. 20: *frontem tergaque et latus tuti.* — *nectare.* H. l. pro vino, quod Stat. Silv. II, II, 99, appellat *nectar bacchaeum.*

13. *semisomno corde.* locutio rarior. Simili modo dixit Phaedrus. Prol. IV, 3, *tacito corde*, ubi vide. Adde Not. ad Epil. II, 18. — *errore ebrio*, propter ebrietatem errans. Ebrietas enim, quae homines usu rationis privat, facit, ut varios errores, quid quod crimina committant. Notanda ratio poetica vocis *ebrius*.

14. *virginale*, scilicet membrum. Prudentius Hymn. XIV, Peristeph. 8: *intactum ab omni crimine virginal.* Apul. In Apol. (p. 296, 28, Elm.) dixit *feminal* et *virginal*, pro naturalibus.

16. *gaudio.* Hoc vocabulo uti solent auctores de usu venereo. Exempla suppeditabunt Notae Rigaltii, et Lexicon Schelleri.

Priorem huius fabulae partem supplere tentavit Brotier. quem vide. Sunt, qui Phaedrum turpes Tiberii libidines, quas tangunt Suet. Tib. c. 43—46, et Tac. Ann. VI, 1, notare contendant; in quam sententiam praeter Rigaltium, discedit Brotier. Sed puto, fabulam patere latius. Facile enim crediderim, poëtam turpes aetatis suae libidines in universum voluisse carpere. Cf. Ep. ad Rom. I, 26 seq. Non pauci editores totam fabulam omittunt.

(*) Orell. *De capris barbatis.*

3. *dignitatem.* Auctoritatem, quam prae ipsis habebant antea ex barba. Nam ut sit Lactant. Opif. Dei VII, n. 11: *barbae ratio, incredibile est, quantum conferat ad decorem virilitatis ac roboris.* Scheffer.

6. Orell. *fortitudini.* — 8. *qui sint.*

Hoc argumentum monet, ut sustineas, tibi
Habitu esse similes, qui sunt virtute impares.

FABVLA XVI.

GVBERNATOR ET NAVTAE. *

Quum de fortunis quidam quereretur suis,
Æsopus finxit consolandi gratia:
Vexata saevis navis tempestatibus,
Inter vectorum lacrymas et mortis metum,
Faciem ad serenam subito ut mutatur dies,
Ferri secundis tuta coepit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate extollere.
Factus periclo tum Gubernator sophus:

8. Aequo animo feras, loco, honoribus, opibus, divitiis, quavis externa pompa (*habitu*) iuxta te esse, qui multum infra sunt meritis. *Gronov.*

(*) Orell. *De fortunis hominum.*

1. *de fortunis. Fortunae* hic in plurali de fortuna adversa. Ita passim occurrit, etsi hoc sensu singularis usitatior sit. Cic. pro Rosc. Am. 20: *ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.* Id. Or. post red. 14: *bonos viros lugere malui meas fortunas, quam suis desperare.*

2. Lege, *Aesopus finxit consolandi hoc gratia.* Bentl. Malim equidem, *Aesopus finxit hoc solandi gratia*, ne hoc lateat per versum. *Bothe.* — Adstipulatur Bothio Censor Lipsiensis. — *finxit.* Absolute. Intellige hanc fabulam.

4. Recte vidit cl. *Tzschucke* litteram s vs. 3 sq. saepius repetitam, ingratum facere sonum.

5. Sensus: postquam sedata tempestate serenitas rediit, seu, ut ait Burmannus, coelo et aëre iam placido et tranquillo. Graeca fabula: χειμῶνος παυσαμένου καὶ πάλιν γαλήνης γενομένης. — *ad serenam Faciem.* Eleganter *facies* pro specie, habitu, de mari. Ita Virg. Aen. V, 767 seq. *quibus aspera quondam visa maris facies...* — *mutatur dies. Dies* pro aëre et caelo poni consuevit.

7. *extollere.* Elatos quasi et superbos reddere, tanquam nihil mali amplius posset accidere. Ita enim fit in tali gaudio, ut in metu contra et luctu iacent. — Bothius, *Nimiaque nautae se hilaritate extollere*, ex emendatione Heinsii.

8. *sophus.* Expertus, sapiens, doctus.

Parce gaudere oportet, et sensim queri,
Totam quia vitam miscet dolor et gaudium.

FABVLA XVII.

CANVM LEGATI AD IOVEM.

Canes Legatos olim misere ad Iovem,
Melioris vitae tempus oratum suae,
Vt sese eriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum quod panem darent,
Fimoque turpi maximam explerent famem.
Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
Citati non respondent. Vix tandem invenit

9. *sensim.* Id est non celeriter, non statim, antequam appareat iusta causa querelae, non ante damnum et malum manifestum. Ovid. Art. III, 565: *Ille vetus miles sensim et sapienter amabit*, et Art. II, 718. *Burmann.* — Similis locutio est *βραδὺς εἰς ὀργήν* Ep. Iac. I, 19. Gloss. Philox. *sensim*, *σχολῇ*, *ἠρέμα*. Notanda elegantia et vis vocum *parce* et *sensim*.

10. *vitam miscet dolor et gaudium.* Singularis haec locutio animadvertenda, pro, vita hominum mixta est dolore et gaudio, quod ita extulit Ovid. Fast. VI, 463: *Scilicet interdum miscentur tristia laetis....* Burmann.

2. *Melioris vitae tempus*, i. e. tempus, quo feliciorem vitam possent vivere, quam adhuc licuerat.

4. *conspersum.* Commixtum. Vid. de hoc pane Pignorium de Serv. p. 252 sq. *Hoogstrat.*

6 sq. *Profecti sunt legati non celeri pede.* Apte propter famem. *Tzsch.* Schefferus et Burmannus post *pede* mallent distinctionem ponere, et reliqua sic continuare. *dum naribus scrutantur escam in stercore, citati non respondent.* Ita quoque distinguunt Bipontini. Sed fortasse vs. 6 et 7 melius iunguntur. Cl. *Lange* incertum esse statuit, utrum vs. 7 cum 6 an cum 8, coniungendus sit.

8. *Citati non respondent.* Vocati, ut illis quasi senatus daretur, sollemni praeconis, Mercurii, voce, exemploque veteris aulae, si convenire vellent regem, ut nunc facerent; non sunt praesto, non comparent. Latinissime dictum. Est formula iuris, qua *respondere*, scilicet ad vocem praeconis, dicuntur rei, qui in iudicium citati comparent. Sed istae fori formulae difficultatem obiiciunt. Nusquam enim legitur, legatos adeundi veniam petiisse, ut vs. 21, adeoque nec citari poterant, nec dici respondisse. Itaque Meursius et Faber suspi-

Eos Mercurius, et turbatos attrahit.
Tum vero vultum magni ut viderunt Iovis,
Totam timentes concacarunt regiam.
Propulsi vero fustibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Iupiter.
Mirati, sibi legatos non revertier,
Turpe aestimantes aliquid commissum a suis,

cantur, excidisse quaedam post vers. 7, nisi quis cum cl. Tzschnckio velit putare, id quad censent excidisse, intelligi debere ex initia; aut, quod alii volunt, Phaedrum brevitatis studia omisisse, canes post adventum ut admitterentur, petiisse. Nan alienum videtur h. l. natare utriusque verbi *citare* et *respondere* usum in delectu militari, ubi *respandere* dicuntur, qui militiam non detrectant. V. Ernesti Clav. v. *respondere*. Etiam milites, qui non praesto sunt, quum nomina praeleguntur, dicuntur *non respondere*. Hinc Liv. VII, 4: *virgis caesis, qui ad nomina non respondissent*. Ceteroquin accedo clar. Tzschuekio, ad h. l. observanti: *reliqua eleganter et cum delectu, sequentia etiam passim lepide, quanquam sordibus admixtis*.

9. *turbatos*. Perterritos, confusos (vs. 24) cum adventu Mercurii, tum neglecti officii conscientia. — *attrahit*. Fortius est, quam adducit, nam indicare videtur, vim fuisse adhibitam.

10. *vultum*. Illum nimirum, quo Homerus eum descripsit, et qua magistro imaginem eius Phidias expresserat. Vid. Val. Max. III, vii, ext. 4, quem idea hic in fabula humili Phaedrus memorat, ut risum maveat (quae altera dos fabularum), et farte illudat opinioni vulgi. Qui enim non ita terreret vultu suo Iupiter canes, ut concacarent regiam, quum etiam in concilio deorum placido vultu omnia concuteret, ut ait Statius Theb. I, 202, et apud Livium XLV, 28, Paullus Aemilius: *Olympiae Iavem velut praesentem intuens motus animo fuerit*. Burm.

12. *Propulsi ..... vadunt*. Notanda vis verbi *vadere*, quad hic celeritatem notat.

13. *Vetat dimitti*. Rursum excidisse versum putat isto loca Meursius. Ega cantra sentio. Vult, eiectos putidos istas canes, quum venissent e regia, prae metu ac pudore penitus voluisse abire; sed Iavem iratum praecepisse suis, ne dimitterent, et abire ipsos paterentur, sed tenerent in custodia. Itaque statim quum exissent sunt retenti. *Scheff.* —Canes propulsi ex regia Iovis *vadunt foras*, i. e. extra conspectum Iovis, sed ne redirent ad suas, vetat dimitti Iupiter: nihil erga hic deesse patet, et satis manifesta est ratio, cur Iupiter eos iusserit custadiri, qui concacarant regiam. Recte haec cepit Schefferus; non enseqnitur, ut toties dixi, minima Phaedrus, qui brevitatem amat, et necessaria moda narrat. *Burmann*. Etiam Freinshemius recte nihil censet deesse.

14. *Mirati*, scilicet canes, qui miserant legatas. Ita sententia est integra, nec est, quod aliquid deesse putes. — *sibi*. Observante Scheffero haec vocula abundat.

15. *aestimantes*. Hoc verbo pro *existimantes* sequiores uti, testatur clar.

Post aliquod tempus alios adscribi iubent.
Rumor legatos superiores prodidit.
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore canibus anum, sed multo, replent.
Mandata dant, legati mittuntur, statim
Abeunt. Rogantes aditum, continuo impetrant.
Consedit genitor tum Deorum maximus,
Quassatque fulmen: tremere coepere omnia.
Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,
Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes, vindicandam iniuriam.
Sic est locutus ante poenam Iupiter:

Tzschucke, sed v. ad lib. III, fab. IV, 5.

16. *adscribi* superioribus illis, antes missis ad Iovem, pru *adsociari*, *adiungi*. Scheff. —Translate a tabulis censoriis, quibus novi adscribuntur cives. Eleganter. Versu 12 seqq. notanda asyndeta, dum ad narrationis summam festinat. *Tzschucke*.

17. *prodidit*. Aperuit, notum fecit, quam turpiter se in Iovis regia gessissent. Notant hic iterum lacunam. Nempe deest, dum hoc faciunt, dum iubent adscribi alios, interea rumor haec prodidit. Sed iam ante monui, connexiones istius modi omittere nostrum, studio brevitatis. *Scheff*.

19. *Odore*. Odoriferis aromatibus.

22. *Consedit*. Bene tanquam rex et iudex.

24. *confusi*. Parterriti. Nam quia subito factus est fragor ex concusso fulmine, ideo, ut ex re inopinata, vehementer perterriti sunt. Vs. 9 dixit *turbatos*. —*fragor*. Quid *fragor* sit proprie, docet nos, ex ipsa naturae doctrina, Seneca lib. II, Nat. Quaest. c. 27: «Talia eduntur tonitrua, quum globata dissolvitur nubes, et spiritum, quo distenta fuerat, emittit: hoc proprie *fragor* dicitur subitus (unde et hic *subitus* posset defendi) et vehemens, quo edito concidunt homines, et exanimantur: quidam vero vivi stupent, et in totum excidunt sibi, quos vocamus attonitos.» Cui consentit Livius XXI, 58: *tum vero ingenti sono caelum strepere, et inter horrendos fragores micare ignes. Capti auribus et oculis, metu omnes torpere*. Burmann.

26. *Reclamant*. Bene explicant Schefferus et Burmann. iterum clamant omnes Dii, ut nuper fecerant, quum priores legati sic se gessissent, vehementer clamant, repetunt clamorem.

27. *ante*. Bothius edidit *autem*. *Schw*. Vulgo *ante* · insulse. Loco suo mota est propter metrum coniunctio, ut Prol. I, 5. *Bothe*. Accedit Censor doctus cit. —*ante poenam*, scilicet dictam, statutam.

Legatos non est regis non dimittere.
Nec est difficile, poenas culpae imponere.
Non veto dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum.
Et hoc feretis pro iudicio praemium.
Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos exspectant et posteri.
Novum venire qui videt, culum olfacit.

28—34. Ita hunc locum eum Desbillonio constitui, ut oratio, quae in aliis Editionibus est perturbata et impedita, melius cohsereret, Ita quidem, ut versus 28—31, sint verba Jovis ad deos; versu autem 32—34, Iupiter sermonem convertat ad legatos secundos, qui paullo ante odorem miatum cum merdis cacaverant.

28. *non est regis.* Non decet regem, non licet, fas est regi, legatos non dimittere. Sunt enim sancti et inviolabiles.

30. *Non veto dimitti, verum* iubeo *cruciari fame.* Negligentiae enim poëticae est, quum plura substantiva, vel infinita copulata verbum commune sequitur, cuius significatio non convenit omnibus, sed proximis tantum. Appellant Zeugma. Vid. *Jani* A. P. p. 270. Quum igitur h. l. verbum contrariae significationis τῷ *veto* desit, suppleudum est *iubeo*.

31. Proprie et lepide, prout ferebat series. *Tzschucke.* Sensus: ut possint continere ventrem suum. Nimio cibo enim expleti ventrem continere non poterant; quod quo facilius possent, fame cruciantur.

32. Hunc versum post v. 29 transposuit Orellius; qui pro *Et hoc* dedit *Sed hoc*.

32. *Et hoc feretis*, scilicet vos canum legati. — *pro iudicio.* Legatis Iupiter hoc dicit, se formam iudicii hodie non observaturum, in quo solebant iudices in consilium mitti. *Pro iudicio* ergo est, loco iudicii. *Burmann.* — *praemium.* Per ironiam its vocat, non imperatam famem, verum artem illam, qua eos docuit, continere ventrem. *Scheff.* Sensus: hanc poenam dabitis, pro graviore supplicio, quo vos oporteret affici, si causa in iudicium severum deduceretur.

33. Proprie *futilia* vasa dicuntur, quae rimis hiant, nec liquidum infusum continent. Festus: *futiles dicuntur, qui silere nequeunt tacenda, sed ea effundunt, sicut vasa futilia a fundendo vocantur.* Gronov. —Nota vim vocis *futilis*, qua apte utitur de iis, qui alvum continere non poterant. — *Illi autem*. Quid? Illi soli, qui miserunt, non etiam qui missi sunt, hac poena afficientur? Atque paullo supra cur legati potius, quam alii, iubentur cruciari fame? Nonne fames, quae canina vocatur, ad Canum genus universum pertinet? *Desbillonius.*

34. *hominis*. Id est humani generis, singularis pro plurali, ut supra fab. XIII, 1.

35. Orell. *exspectantes posteri*,

FABVLA XVIII.

HOMO ET COLVBRA.*

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram sustulit,
Sinuque fovit, contra se ipse misericors.
Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia quum rogaret causam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

deinde vs. sq. *quum videt*, scil. aliquis eorum.

Quid sit consilium fabulae, divinare vix licet; abstineamus igitur a quaerendo.

(*) Orell. *Serpens. Misericordia nociva.*

1. Cl. Bothe: *Malis qui fert auxilium.* Schw. Vulgo: *Qui fert malis a.* Sed sic *malis*, vox gravissima, in thesi latet. *Bothe.* Placet correctio Censori Lips. — *post tempus.* Subaudiendum *aliquod*, ut fab. praeced. vs. 16.

3. *fovit.* Ex Aesopi et Phaedri fabula intelligitur, bono animo et misericordia motum ita fecisse hominem. Scite vero apud Lessingium lib. II, 3, se defendit serpens, quum dicit, se ideo potius a rustico sublatam fuisse, ut cute sua ille potiretur. Et recte finxit hanc fabulam auctor, nam, dum riget frigore serpens pestifera, tuto tractatur, quia tunc venena torpent, quae calore iterum vim suam recipiunt.

4. *refecta est.* Recreata est. Hoc sensu saepissime legitur apud priscos scriptores. — *necuit.* Verbum proprium in hac re. Iam olim Schefferus laudavit Ovid. Rem. 421: *parva necat morsu speciosum vipera taurum.* — *protinus.* Apte, ad notandam malam gratiam, quam refert homo. Rectius hic Phaedrus finem imposuisset fabulae.

5 sq. *Hanc alia quum rogaret.* Per *hanc* intelligenda colubra, quam rogat alia colubra, cur id fecisset. Sed inepte colubra contra se sententiam pronuntiat, et se ipsa *improbam* vocat, adeo quidem, ut Phaedrus sicut in aliis fabularum suarum locis, its h. l. dormitasse credendus sit, quemadmodum olim notavi.

FABVLA XIX.

VULPIS ET DRACO.

Vulpis, cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures et altius cuniculos,
Pervenit ad Draconis speluncam intimam,
Custodiebat qui thesauros abditos.
Hunc simul adspexit: Oro, ut imprudentiae
Des primum veniam; deinde, si pulchre vides,
Quam non conveniens aurum sit vitae meae,
Respondeas clementer. Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum est praemium,
Vt careas somno, et aevum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille, verum hoc a summo mihi

2. *Agit.* Proprium in hac re verbum, pro, ducere, propellere. Laudant Caes. B. G. lib. III, 21, Cic. Off. III, 23; Liv. V, 19: *plures altius cuniculos.* Meatus subterraneos.

2. Orell. omittit *et.*—3. *ultimam* pro *intimam.*

3 seq. *Draconis.* Dracones hiuc discimus iam olim habitos custodes defossarum, aut reconditarum opum, sicut et hodie vulgo credunt. Sic de vellere aureo, sic de pomis aureis Atlantis traditum, ut ex Ovidio (Met. VII et III) liquet. Festi breviator: *dracones ἀπὸ τοῦ δράκειν dicti, quia ea causa incubantes eos thesauris custodiae causa finxerunt antiqui.* Scheffer. —*intimam,* i. e. profundissimam, maxime remotam a superficie terrae, ad quam post plures cuniculos alte actos pervenit tandem vulpes. Hanc interpretationem postulant *altius acti cuniculi* et *tenebrae,* vers. 10. *Burmann.*—Non id agitur, ad *intimam* speluncam draconis pervenisse vulpem, sed *postremo* ad eam pervenisse; itaque recte habet vulgata (*ultimam*). *Bothe.*

6. *si vides.* Vides enim. Ita clemens responsum sibi parat. *Tzschucke.* De particula *si*, pro siquidem, quandoquidem, v. Tursell. p. 1187, et Notas Schefferi. — *pulchre vides.* Probe intelligis.

8. *clementer.* Placide; naturae timentis apte. De bestiis quoque usurpasse hanc vocem veteres, exemplo esse potest locus Gellii lib. V, 14: » leo caudam *clementer* et blande movet ».

9. *quodve tantum est.* Observat cl. *Bothe*, contra Bentleium, retinendum esse τὸ *est*, quum illo varietur oratio.

11. *hoc.* Intellige, carere somno et in tenebris aevum exigere; non enim aurum cum Burmanno intellexerim; cui tamen et illud non displicet.

Iove attributum est. — Ergo nec sumis tibi,
Nec ulli donas quidquam? — Sic fatis placet. —
Nolo irascaris, libere si dixero:
Diis est iratis natus, qui est similis tibi.
Abiturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente caeca miserum torques spiritum?
Tibi dico, Avare, gaudium heredis tui,
Qui ture superos, ipsum te fraudas cibo;

12. *attributum*. Nolim accedere Scheffero, qui explicat iniunctum, impositum, velut munus peculiare. Rectius enim eu sensu capit Burmannus, quo *attributa*, i. e. assignata *pecunia* dicitur apud Livium et Ciceronem.

13. *Sic fatis placet*. Ita ubi causae latebant. *Tzschucke*. Responsio draconis, ut solebant veteres, relicientes in necessitatem, quae vel excusare nequibant, vel nolebant. Paris ap. Ovid. Ep. XVI, 41: *sic placuit Fatis*. Etsi Tiberius hic a poëta intelligitur, decore hoc ipsi respondetur, qui *plenus persuasionis* erat, *omnia fato agi*. Suet. Tiber. c. 69. *Burm*.

14. *Nolo irascaris*. Formula excusantis libertatem, ut Tiberius apud Suet. 29: *ignoscas rogo, si quid adversus te liberius, sicut senator, dixero*. Scheffer.

15. *Diis iratis natus*. Locutio proverbialis de homine misero, cui nihil bene succedit, qua praeter alios etiam utitur Hor. II, Sat. III, 7, coll Epil. II, 16. *Diis* enim *iratis* fieri dicitur id, quod infeliciter geritur. Haec enim opinio semper fuit hominum animis insita, Diis iratis, aut invitis nihil prospere evenire, nihil feliciter geri, nihil bene procedere: de quo uberius disputat Lambinus ad Hor. II, Sat. III, 8, quem, cum aliis, Burmannus laudat. Contra felicem denotare volentes dicunt, *ipsi nascenti deos risisse; ipsum placido lumine vidisse*. Dicit igitur Phaedrus, longe miserrimum et infelicissimum puto eum, qui est similis tibi. Quare vero Phaedrus addat: *Diis est iratis natus*, docet Burmannus: *quia non fati necessitati, sed voluntati deorum iratorum hoc adscribendum putat. Nam veteres omnes res aut ex hominum voluntate, aut ex Fati necessitate, aut ex Deorum voluntate descendere putabant*. Gronovius haec ita explicat: Deos illis iratos dicebant, qui haberent malam mentem, aut insipienter aliquid facerent, inprimis qui commodis vitae nescirent uti. Ter. Phorm. IV, III, 31: *satin illi Dii sunt propitii?* i. e. satis sapit?

16. *Abiturus*. Per εὐφημισμὸν *abire* dicitur pro *mori*. Hoc referendae Formolae: illuc ire, unde negant redire quemquam; si quid me fiet; si quid mihi humanitus acciderit. —*priores*. Pro maioribus dixerunt poëtae. Ita passim poëtae vocant, qui olim, etiam saeculo aureo et meliori vixerunt, ut *seculum prius* dixit Ter. Eun. II, II, 15. Est vero hoc caput appendix quasi praecedentis fabulae, quae in avaros est ficta. *Burmann*.— *abierunt*. Repetitio eiusdem verbi *abiturus, abierunt*, licet optimum abesse posset, elegans et frequentata est.

Qui tristis audis musicum citharae sonum;
Quem tibiarum macerat iucunditas;
Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt;
Qui, dum quadrantes aggeras patrimonio,
Caelum fatigas sordido periurio;
Qui circumcidis omnem impensam funeri,
Libitina ne quid de tuo faciat lucri.

20—22. *tristis citharae sonum*. Quia docet, his rebus aliquid impendi, vel ab aliis. *Gronov.* —Nam et natura morosi sunt, et sonum ex collisione numorum, sicut illi hinnitum equorum, libentius quam eitharam audiunt. *Scheffer.*

21. *tibiarum.* Sunt qui ad funera referant haec; in funeribus enim tibiis utebantur (vs. 25), sed quum *citharae sonum* et *tibiarum iucunditatem* iungat, h. l. reetius intelligas tibias, quae data occasione quacunque inflabantur.

22. *Opsoniorum pretia.* An et hoc Tiberium tangit? qui *tres mullos XXX millibus numum venisse graviter conquestus est*: et ipse *pridiana et semesa opsonia apponebat.* Suet. c. 34. *Burm.*—Notanda variatio insignis in *tristis audis*, *macerat*, *gemitum exprimunt*. Sed non Tiberium, verum avaros quoscunque tangi putaverim.

23 seq. Exquisite ad sordes avari notandas. Sensus: vel oboli gratia peierare non dubitas. — *quadrantes.* Passim pro minutissimo pouuntur numo. Martial. lib. II, 44: *Et quadrans mihi nullus est in arca*, et X, 82: *Et si non fias quadrante beatior uno*. Burm.

24. *Caelum fatigas sordido periurio.* Tot periuris committis, ut iis audiendis ipsi Dii defatigentur, sicque ad ultionem eardescant acrius. Verbum *fatigare* enim non raro usurpatur de rebus, quibus vel abutaris, vel frequenter et nimium utaris. Avarus autem eo modo *Caelum fatigare* dicitur, quo Iuno apud Virg. Aen. I, 280: *Quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat*, quem locum notavit Desbillonius post Schefferum, ad quem Servius observat: *fatigat*, pro *exercet*, *sollicitat*, *commovet*. Sed avarus caelum non pro se, ut Iuno, sed contra se sollicitat, commovet. Vid. Desbillon. Neque etiam *sordidum* periurium negotium facessere potest, ut videtur Burmanno. Quum enim avari propria dicantur *sordidi*, *periurium sordidum* facile eaplicari potest, periurium a sordido avaro commissum. Non enim periurium *sordidum* dici potest, sed ratione poëties, avarus, qui exigua mercede accepta, i. e. *sordide*, peierare audet. Ita morsus canum non sunt *saevi*, lib. I, fab. XII, 11, sed canes, qui mordent. Vid. ad lib. I, fab. II, 10.

25. *circumcidis.* Intelligenda haec de testamento, quo defunctus sumtus in funus fieri prohibuit. Est vero elegans verbum, quo undique aliquid abradi et demi iubes.

26. *Libitina.* Intelligendi Libitinarii, seu curatores funerum. Erant ministri Libitinae, quae Dea funerum credebatur apud Romanos. Plutarchus in Numa appellat ἐπίσκοπον τῶν περὶ

FABVLA XX.

PHAEDRVS.

Quid iudicare cogitet livor modo,
Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo.
Quidquid putabit esse dignum memoriae,
Æsopi dicet; si quid minus arriserit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli iam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exsequamur coeptum propositi ordinem.

τοὺς θνήσκοντας ὁσίων θεὸν, io cuins templo pro singulis mortuis singulus numus solvebatur, et ubi erant venalia, quae ad sepulturam pertiuerent. Vid. Kirchmann. de Fun. I, 9.

Mirifice placet elegantissima avari pictura. Singulis fere verbis inest vis plaoe singularis. Compara Hor. lib. II, Sat. III, 141 sqq. et Aulul. Plauti, ibique personam Encliouis.

1 sq. Sensus: Quid invidi (*livor*) statim mediteotur, in animo habeant iudicare, simul ac legerint has fabulas, probe iotelligo, licet nondum aperte iudicent (*dissimulent*). —*modo.* Varie iungunt; Burmannus cum *iudicet*, hoc sensu: quid cogitet statim iudicare, simul ac fabulas edidero. Censet enim, particulam *modo* etiam poni de tempore proximo et statim subsequente, ut Ovid. Met. X, 522: *Nuper erat genitus, modo formosissimus infans*, i. e. paullo postquam natus erat, quum infantiam ingrederetur. Iste tamen particulae *modo* usus nondum mihi satis expeditus videtur. Alii iungunt voci *livor* (*nur der Neid*); alii particulae *licet*, ut sit sensus: licet modo, sive nunc dissimulet, etiamsi non statim iudicet. Ita Scheffer. Gronov. Hoogstrat. Walch. Alii esplicant *demum*, ut coniungatur cum *quid*. Bothius edidit: *Quo iudicare cogitet livor modo*, quam emendationem magoopere mihi placere fateor.

3. Orell. *memoria.*

5. *quovis pignore cont.* Non modo dicet, verum etiam certabit, si quis velit adversari, quanticuoque pretii pignore deposito, ut id habeat adversarius, ni ita esse iudicatum fuerit.

8. *perfecit.* Intelligenda haec de cultu externo et referenda ad stylum, quo exornavit Phaedrus materiam ab Aesopo inventam. Quum enim *perfecit* opponatur τῷ *invenit*, nil aliud indicare videtur, quam quod supra dixit, *materiam polivi versibus senariis.*

FABVLA XXI.

NAVFRAGIVM SIMONIDIS. *

Homo doctus in se semper divitias habet.
 Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circuire coepit urbes Asiae nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
Redire in patriam voluit cursu pelagio
(Erat autem natus, ut aiunt, in Cea insula):
Adscendit navem, quam tempestas horrida
Simul et vetustas medio dissolvit mari.

(*) Orell. *De Simonide.*

5. *Mercede occepta.* Non erat hoc olim turpe in Graecia, paeisci de mercede carminis, ut colligi potest ex Pindar. XI, Pyth. 64, sed infamis praeter alios avaritia Simonides fuit, qui malebat oculata fide uti, et praesentem pecuniam capere, antequam caneret. Quare recte *accepta mercede canens,* non ante canens, nisi accepisset. At quum e verbis *mercede accepta* solis vix probari possit, quod volunt interpretes, ego mallem cum Wopkensio Misc. Obs. Nov. T. X, p. 462, haec interpretari, mercedem accipiens, atque ita victum sibi quaerens. Nam fab. XXIV hui. lib. docere potest, Simonidem praesentem pecuniam non semper cepisse, antequam caneret, Id quod etiam video observari a Desbillonio Notanda tamen lepida historia, quam de Simonide narrat Aristot. Reth. lib. III, c. 2. — *victorum.* In ludis Graecorum gymnicis. Ita cecinit Simonides laudem victoris cuiusdam pyctae.

7. *cursu pelagio.* Poëtice dictum. Vocem *cursus* de navigatione proprie usurpari, multis, si opus esset, exemplis probari posset. Vid. P. III Phaedri ad h. l. Sed pro *cursu pelagio* Ovidius dixit, *propositos pelogi dimittere cursus;* ceterum *pelagius* vox rarior. *Phaleras pelagias,* pro margaritis, Petron. c. 55. — *Voluit cursu pelagio.* Immo necesse id fuit; quoniam Cea, pelago circumclausa, petebatur. Sed verba auctoris nostri paullo benignius explicanda sunt: et quamvis *cursus pelagius* nil aliud, quam navigationem, significare videatur, hic tamen accipiendus est pro peregrinatione, sive circuitione maritima. Intellige itaque, voluisse Simonidem, quemadmodum urbes Asiae minoris, a mari remotas, circumierat, sic maritimas pariter circumeundo in patriam tandem devenire. *Desbillonius.*

10. *dissolvit.* Proprie de navibus fractis, quia et *contexi* dicuntur, cuius hoc est oppositum. Ovid. (Trist. IV,

Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitae. Quidam curiosior:
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Praedones adsunt, rapiunt, quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic litterarum quidam studio deditus,
Simonidis qui saepe versus legerat,
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum cupidissime
Ad se recepit; veste, numis, familia
Hominem exornavit. Ceteri tabulam suam
Portant, rogantes victum. Quos casu obvios
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perît.

viii, 18) de navibus, *Ne temere iu mediis dissolvantur aquis*. Scheffer. Adde locum Tac. Ann. XIV, 5, quem profert Gronov. *nec dissolutio navigii sequebatur*.

11. *zonas*. In quibus pecuniam portabant.

12. *Subsidium vitae*. Schefferus *in subsidium*, sed est dictum per appositionem pro, *quae erant subsidium*. —*curiosior*. Supple, conversus ad Simonidem ait. *Curiosior* proprie; sic enim vocantur, qui solliciti sunt de aliis. Plaut. Stich. I, iii, 44 sq. *Scheff.* Merito ita vocatur, qui in tanto periculo rerum suarum quasi oblitus, de eo quod alii agant, sollicitus est. *Leonhard*.

15. Mihi quidem hic versiculus de glossa suspectus est. Primum enim *quia* positum insolite pro *quoniam*; deinde tota sententia languet, immo falsa est, quia etiam alias ob causas perire illi poterant, quam gravitate sarcinarum. Quare, deleto hoc versu, rescribo: Mecum, inquit, mea sunt cuncta. *Pauci ut* enatant, Praedones adsunt, etc. *Bothe*.

18. *Antiqua*. MCCC ante C N. condita fuisse traditur.

21. Et admiratus erat ingenium hominis, quem nunquam viderat. *Hoogstratan*.

24. *Hominem*. Homo saepe subit locum pronominis relativi, ut sit ille, de quo agitur. — *exornavit*, instruxit. Cic. Cat. II: *tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus sis*. Scheffer.

27. *vos*. Desideratur ad luculentam oppositionem *vobis*, quod metrum non admittit. *Tzschucke*. —*rapuistis*. Schefferus, Harius, Tzschuckius, Langius, quibus ego accedo,

FABVLA XXII.

MONS PARTVRIENS.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima exspectatio.
At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,
Qui, magna quum minaris, extricas nihil.

referunt ad festinationam, qua imminente naufragio res pretiosas colligebant; sed Burmannus, quod eas antea male pepererant, et furtis et rapinis se ditaverant. Exprobrare enim illis ait, quod vulgo dici soleat, male parta male dilabi, et iustae Deorum irae et vindictae admonere. At de male partis h. l. non est sermo; exprobratio vero alieno loco esset posita, ut iam vidit Langius. Desbillonius explicat, quod eripuistis e naufragio.

1. *parturibat*. Ita extulerunt olim imperfecta illa tempora: sic *audibam* Ovid. Ep. XIV. 36; et *nutribam* Val. Flacc. VIII, 97, et in futuro *mollibo* Hor. III, Od. xxiii, 18, 19. Ceterum Tachos, Aegypti rex, narratur hoc dixisse Agesilao, qui quum ipse esset brevi corpore, et adduxisset ipsi copias auxiliares, ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν, dicenti regi respondit, φανήσομαί σοι ποτὲ καὶ λέων, Athen. lib. XIV, c. 1, et hic sine dubio aliquem sibi Phaedrus proposuit perstringendum, qui carmina minabatur se editurum magnifice, sed nihil, vel exiguum et vile produxit. *Burmann.*

2. *terris*, l. e. inter homines.

4. *minaris*. Prae te fers, polliceris, iactas (vultu severiori, ut exspectatio incitetur; non enim est simpliciter *promittere*. Tzschuck.). — *extricas*. Metaphora a tricis et filis, quibus quid implicatur, desumta. *Büchner*. Absolvis, perficis, expedis. *Gud.* Eleganter, ut notet producendi molestiam, velut e vinculis. Id enim innuit hoc verbum, atque ita usurpavit Hor. Serm. I, Sat. iii, 88: *mercedem aut nummos unde extricat*. Scheff. Vatinius ad Cic. lib. V ad Div. 10: *de Dionysio tuo adhuc nihil extrico*. Gronov. Compara Horat. A. P. 138: *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?* et Terentianum illud, quod producit cl. Tzschuck. *magno conatu magnas nugas agere*.

FABVLA XXIII.

FORMICA ET MVSCA.*

Formica et Musca contendebant acriter,
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior:
  Conferre nostris tu potes te laudibus?
Vbi immolatur, exta praegusto Deûm,
Moror inter aras, templa perlustro omnia.
In capite regis sedeo, quum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula:
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.

(*) Orell. huie fabulae hoc prosmythium praeposuit: (*Nil agere, quod non prosit, fabella indicat.*).

2. *Quae*, pro utra. — *pluris esset.* Idem quod alii dicunt, *pluris putari*, *haberi*, *aestimari*. Explicandum igitur, utra esset potior, seu principatum teneret, et hinc pluris facienda.

3. *Conferre te nostris laudibus.* Pro, conferre te mecum laudibus. Sic Iustinus lib. IV, *ausi facinus, nulli tyranno comparandum*, h. e. nullo eum tyranno scelere comparandum. *Gronov.* — *laudibus.* Quia *laus* interdum ponitur pro ipsis rebus laudandis. Res laudandae autem, quas memorat musca, non ad solum honorem referendae sunt, quo se affiei gloriator, quemadmodum lucolenter docet vs 8.

6. *In capite regis sedeo.* Non insultandi causa, sed iactat se impune sedere in capite illo sacrosancto, quod tangere aliis capitale foret, eodem modo, ut sacrilegi haberentur, qui deorum exta praegustarent, qui in aris et templis morari vellent. Haec omnia se sine metu poenae facere, gloriatur musca, ut nec pro adultero posset comprehendi, libans oscula matronarum. Ita haec capi debent. Nihil hic obsceni quaerendum. *Burmann.*

7. *matronarum casta delibo oscula.* Cum delectu, quia in laude et ostentatione. Sic ante *regis.* Apte etiam *delibo*, de summo tactu et hinc tenero. *Tzsch.* Ratione poëtica, pro, *matronarum castarum oscula.* Laudat Schefferus Virg. Aen. I, 256, et XII, 434, ad quem locum Servius notat: »*delibare*, summum osculum dare, non pressum, sed summa labella contingens.«

8. *nihil.* Non. Ita Cic. I Phil. 6; Id. Agr. II, 23: »beneficio isto legis Pompeius *nihil* utitur.« — *optimis rebus.* Id est delicatissimis, lautissimis: nam *bonae res* dicuntur, quaecunque ad bene lubenterque victitandum faciunt, quo sensu P. Syrus dixit *bonarum rerum consuetudo pessima.* Et Nep. Ages. cap. ult. narrat, illum contemsisse splendida regis Aegypti munera, et unguenta, coronas et secundas mensas servis dispertiisse: et addit deinde, »quo facto eum barg

Quid horum simile tibi contingit, rustica? —
Est gloriosus sane convictus Deûm,
Sed illi, qui invitatur, non qui invisus est.
Aras frequentas: nempe abigeris, quo venis.
Reges commemoras, et matronarum oscula;
Super etiam iactas, tegere quod debet pudor.
Nihil laboras: ideo, quum opus est, nil habes.

bari magis etiam contemseruut, quod eum iguorantia *bonarum rerum* illa (scilicet vitulina et huiusmodi generis obsonia) potissimum sumsisse arbitrabantur. » Id. Att. 13: *omnibus rebus optimis usus est*. Burmann.

9. *contingit*. Eleganter utitur hoc verbo, quod de rebus laetis et bonis proprie usurpatur. Verum enim est, certe plerumque, quod praecipiunt: *contingunt* bona; *accidunt* mala; *eveniunt* utraque. — *rustica*. Bene convicio, quippe superba, finit et confidenter provocat. Ductum autem est ex ruris amore et frequentatione. *Tzschucke*. — Plus etiam notare hanc vocem putem, ignorantiam scilicet rerum bonarum, a quibus plane aliena erat formica, et quae laboriosa rustica, nihil voluptatis admitteret: qualem Agesilaum censebant esse Aegyptii, et quos Graeci vocant ἀναισθήτους; et hoc sensu centies Ovidius *rusticas* vocat puellas, quae voluptates et luxurias ignorant, simplices, ut Helenam vocat Ep. XVI, 285. Hinc orta est Schirachii V. ill. interpretatio: *Rusticam* vocat formicam per contemtum musca, quae non tam laute et splendide viveret, sed rudior paullo suis cavis rure se contineret, atque nimis sedula, bonarum rerum sensu non afficeretur.

10. Bothius hunc locum ita exhibet: *Est gloriosus sane convictus Deum, Sed illi, qui invitatus, non, qui invisus est. Aras frequentas? Nempe abigeris, quum venis. Super etiam iactas, tegere quod iubet pudor, Reges commemorans et matronarum oscula? Nihil laboras? ideo, quum opus est, nihil habes.*

Idem vir doctus observat: » Continuitatem orationis restituere nos studuimus, insuper etiam versu *Aras* scribentes *quum venis*, pro vulgato *quo venis*, quoniam, aris nominatis, incertum non est, quo musca veniat. » Lectio *quum venis* recte recepta videtur censori Lipsiensi. Ceterum ordo versuum in nostra editione a Bothiano non multum abhorret. *Schw.* — Orell. vero hunc ordinem praetulit:

Sed illi ....
Reges commemoras ....
Ego granum ....
Te circa murum ....
Aras frequentas ....
Nihil laboras ....
Super etiam ....

12. *Nempe*. Notanda vis et elegantia huius particulae, quasi diceret, verum quidem est, sed, etc. — *quo*; quocunque.

14. *Super*, praeterea, scilicet quod sedeas in capite regis et delibes oscula, *etiam iactas* quae non iactanda erant atque ostentanda, sed pudore tegenda. *Super* pro *praeterea* occurrit apud Ovid. Met. XII, 206, coll. lib. III, fab. XI, 2.

Ego granum in hiemem quum studiose congero,
Te circa murum pasci video stercore.
Aestate me lacessis; quum bruma est, siles.
Mori contractam quum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profecto retudi superbiam.
Fabella talis hominum discernit notas
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

FABVLA XXIV.

SIMONIDES A DIIS SERVATVS.*

Quantum valerent inter homines litterae
Dixi superius: quantus nunc illis honos
A Superis sit tributus, tradam memoriae.
Simonides idem ille, de quo retuli,
Victori laudem cuidam Pyctae ut scriberet,

17. Notum est, quam formicae sibi tramites faciant iuxta muros, et quam muscae etiam in illis pendere et insidere soleant: quare fingenda sic fabula, ut formica iuxta murum festinans ire, viderit circa illum in sordibus sedere muscam. *Burm.* — *murum.* Domum in plateis. *Heins.*

19. *contractam. Contracta* est ex interpretatione Burmanni, frigore brevior facta, seu, quae prae frigore membra, incurvans se, contrahit, ut solent insecta illa contrahi hieme. Proprie autem adhibetur hocce verbum tali in re.

20. *copiosa.* Omnibus ad sustentandam vitam necessariis instructa. — *domus.* Sedes mea, et quasi hiberna, in quae congessi grana.

22. *talis.* Haec. Vid. lib. I, fab. II, 9. —*notas.* Vid. ad Petron. c. LXXXIII. Gallicus interpres frigide reddidit, *deux sortes de personnes*, debuisset, *deux divers caractères de gens.* Ita Suet. Tib. 54: *patefacta interiore animi nota.* Burm. Locutio translata a notis amphorarum vinariarum.

(*) Orell. *Poëta* — Similis huic narrationi fuit ruina porticus, quae vix egresso Regulo corruit. Vid. Mart. I, Ep. XIII et LXXXIII. Bip. *Burmann.*

4. *Quantum valeret.* Quo in pretio et honore haberentur.

5. *Victori Pyctae.* Pugili. A Graecorum πύκτης ortum est Latinorum *pycta* et *pyctes*, qua vocabulo, praeter alios, usi sunt, Plin. H. N. VII,

Certo conduxit pretio: secretum petit.
Exigua quum frenaret materia impetum,
Vsus poëtae, ut moris est, licentia,
Atque interposuit gemina Ledae sidera,
Auctoritatem similis referens gloriae.
Opus approbavit; sed mercedis tertiam

4?: *Euthymus pycta semper Olympiae victor*; Senec. Controv. I, 3, extr. *aut athleta, aut pyctes est*. Hanc vocem non semper *pugilem victorem* notare, ut vult Gudius, iam vidit Burmannus; quia tum inepte adderetur *victor* a Phaedro. — *laudem ut scriberet*. Laudationem. Suet. Cal. 20: *victos victorum laudem componere coactos*.

6. *secretum*. Locum solitarium, meditationi et carminibus aptum.

7—10. Sensus: Quum tenue et sterile argumentum, seu, ut ait Burmannus, materiae non satis uberis exiguitas, cohiberet, seu reprimeret spiritum, usus est licentia poëtica, qua solent poëtae, instituitque excurrere in laudes Castoris et Pollucis, qui simili laude fuerant celebres.

8. Orell. *Vsus poëtae moris est lic.* — *poëtae*. Per enallagen numeri, pro poëtarum. Pluralis frequentior. Praeceptum hic secutus est Simonides illud, quod inculcat Aristoteles in Topicis: ut si materia nobis inanior, aut sterilior obtigerit, illuc orationem deducamus, ubi abundare, et a proposito digredientes velut in campo libere excurrere atque exsultare possimus. Quod et Pindarum saepe factitasse videmus, et Horatium aliquando. *Rittershus.*

9. *interponit gemina Ledae sidera*. Digressus exiit in laudes Castoris et Pollucis, ut ait Quintilianus l. c. Erant Ledae uxoris Tyndari, filii, pugilatu clari et nobiles, Hor. I, Od. xii, 25 sq. (Hinc mox *auctoritas similis gloriae*), missi denique ad sidera. Fabula notissima.

10. *Auctoritatem similis referens gloriae*. Id est, illam gloriam, scilicet victorem esse in ludis sacris insignem esse inde probans, quod Castores, in ludis similibus victores, egregie fuerint celebrati, unde suae laudationi et laudato Pyctae auctoritas accederet, nec pro levi re haberetur haec egressio in laudem Dioscurorum. *Gloria* vero est proprie honor et laus illa, quae ex bellis et factis fortibus reportatur, ut vidimus lib. I, fab. XI, 4. Sed non minor habebatur apud Graecos, in ludis sacris victorem pronuntiari, quam hostium in acie. Ne ergo verbis gloriam hanc iactare vanis videretur Simonides, ostendit hac insignes fuisse etiam Iovis filios: et haec est *auctoritas*, sive exemplum, ex quo indicari de gloria debet, et qua utitur ad celebrandam gloriam Scopae. *Burm.*

11. *Opus approbavit. Opus approbat* redemtor, vel quisquis suscepit, quum ostendit, illud ex lege perfectum (seu pacto locationis conveniens esse), quo facto illud *probari* a Censore, si publicum est, vel quocunque locatore, dicitur. *Scheff.*

Accepit partem. Quum reliquum posceret,
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes duae.
Verum, ut ne irate dimissum te sentiam,
Ad coenam mihi promitte, cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis, et dolens iniuria,
Ne male dimissus gratiam corrumperet,
Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium;
Magno apparatu laeta resonabat domus,

12. Orell. *relicuam.* — 13. *laudis duae.*

16. *invitare.* Pugiles nempe victores magno convivio solebant victoriam suam celebrare, ac sedulo providebant, ut ne hinc abesset, qui laudem ipsis scripsisset: Scopam ergo Simonides eiusque convivas induceret, ut se esse iratum crederent, si ad coenam non promitteret. *Desbillon.* — *quorum es in numero mihi.* Ita loquitur ex consuetudine veteri, qua blandientes *patrem* aliquem, aut *fratrem* (aut *cognatum*) appellabant, teste Terentio, Horatio, aliis, ut hic Faber commode observat. *Scheffer.*

17. *Fraudatus.* Parte mercedis promissae.

18. Orell. *male dimissam gratiam.* — Sensus: Ne si non promitteret ad coenam, male, ideoque iratus dimitteretur a pycta, et rumperet, perderet omnem gratiam, i. e. amicitiam, sicque prorsus alienaret hominem, a quo iamiam male fuerat tractatus. *Gratiam corrumpere* explicant, amicitiam rumpere, fere ut Ovidius dixit in Ibin 40, *gratia rupta.* — Burmannus coniicit, voluisse Phaedrum iterum notare avaritiam Simonidis, qui licet fraudatus esset mercede, nolebat tamen hominis tam nobilis et potentis gratiam perdere, ne inde in ludibrium veniret aliorum, qui hoc exemplo inducti, postea similem illi fraudem facerent, quoties Deorum laudes immisceret laudibus victorum in ludis sacris. Quare voluisse interesse convivio et dissimulare iniuriam, ne si male dimissus et ideo iratus abstinuisset, reliqui scirent, ipsi mercedis pactae fuisse abnegatas duas partes, et forte idem deinde facturi essent.

20. *Splendebat.* Proprie *splendere* de conviviis et eorum lauto apparatu poni, docuit Cerda ad Virg. Aen. I, 637 (641). *Burmann.* — *hilare poculis.* Id est, quod hilarabant pocula. Virg Ecl. V, 69: *Et multo inprimis hilarans convivia Baccho.* Desbill.

21. *Magno apparatu.* Instrumentorum musicorum inprimis copiam intelligo, quibus celebrabatur convivium hocce apparatissimum; etsi simul indicare possit poëta strepitum tali in re solitum. Cf. Plin. lib. I, Ep. 15, n. 2. Apte vero *laeta*; celebrabatur enim victoria domini hocce convivio.

Duo quum repente iuvenes, sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes, corpore
Humanam supra formam, cuidam servulo
Mandant, ut ad se provocet Simonidem;
Illius interesse, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Vnum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camarae subito oppressit ceteros;
Nec ulli iuvenes sunt reperti ad ianuam.
Vt est vulgatus ordo narratae rei,

22. Orell. *Repente duo quum iuvenes.* — *sparsi pulvere.* Tanquam ex longo itinere venientes. Conf. quae de duobus iuvenibus commemorat Flor. II, 12. *Leonh.*

23 sq. *corpore Humanam supra formam.* Forma hic staturam totius corporis notat. Vid. Salmas. Exerc. Plin. p. 42, b. c. Nam ita solent fingere, maiores, et etiam pulchriores apparere deos, et imagines etiam defunctorum, ut Ovid. Fast. II, 503: *Pulcher et humano maior, trabeaque decorus Romulus.* Ne vero offendat quem *corpore*, de duobus dictum, pro *corporibus*, poëtis hanc numerorum enallagen esse familiarissimam sciat. Sic Ovid. Trist. III, III, 59: *atque utinam pereant animae cum corpore nostro*, pro *cum corporibus*. Id. Met. IV, 412, et passim. Et ita etiam de uno homine *corpora* saepe dicunt. Ovid. Met. I, 527, de Daphne, *nudabant corpora venti.* Et saepius alibi. *Burm.* — *servulo.* Phaedrum credo de servo, convivis epulantibus ministrante, diminutivum *servulus* usurpasse, quoniam eiusmodi servi tam pocillatores, quam alii huius generis, pueri erant.

25. *provocet.* Extra domum, foras vocet. Ter. Eun. III, 1, 52: *Pamphilam cantatum provocemus*; ubi Donatus: *eleganter, quia ille foris est, haec intus: illum intromittamus, hanc provocemus: haec est in verbis poetae germana proprietas.* Sic *provisere*, videre quid foris geratur, et similia Terentio et aliis usitata. *Burm.*

27. *Perturbatus* conspectu tam augustae formae. *Scheffer.* — *excitat.* Male Schefferus (Rittershus. Hoogstrat. alii interpretantur), *extra vocat*: hoc enim est *provocare*; sed *excitare* est iubere surgere e toro, in quo recubabat, ut in ipsis a Scheffero adductis exemplis.

29. *camarae.* Fornicis, tecti concamarati. *Gronov.* Glossae veteres: *Fornix, camara.* Rigalt. — *Camaram* semper esse scribendum, docuimus ad Petron. XXX (p. 142) et ita *concamaratio* in lapide apud Reines. I, 405, ut *concamaratus* apud Suet. Aug. 90. Gallus *le plancher* reddidit, quum debuisset *la voûte.* Camara, quae firmior tabulatis esse solet, ruens magis inopinatum casum exprimit. *Burmann.*

31 sq. *ordo narratae rei.* Series. Notat maxima minimaque distincte exposita. Tac. IV Ann. 69: *ordinem*

Omnes scierunt, Numinum praesentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

EPILOGVS.

Adhuc supersunt multa, quae possim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas,
Sed temperatae suaves sunt argutiae,
Immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris,
Si non ingenium, certe brevitatem approba,
Quae commendari tanto debet iustius,
Quanto Poëtae sunt molesti validius.

fraudis suumque ipsi dedecus narravere; Suet. Claud. 37: *nec dubitavit Claudius, ordinem rei gestae perferre ad Senatum.* Scheff. — *scierunt.* Persuasum habuerunt. — *Numinum praesentiam.* Apparitionem Castoris et Pollucis.

(*) Transtulit Orellius hunc Epilogum ad librum quintum, inter fab. V et VI.

1. *loqui.* Capiendum pro dicere, et hinc scribere. Poëtae enim, licet scribant, *loqui* et *dicere* passim dicuntur.

2. Multae et variae res in promptu sunt, quae argumentum fabularum praebere possint.

5. *Particulo*, *nomen* (per appositionem), quod *chartis*, fabellis *meis* victurum est. Ita Ovid. Amor. III, 1, 65: *das nostro victurum nomen amori.* — Ex hoc loco intelligitur, plenum bonae spei fuisse Phaedrum, ad posteritatem perventura esse scripta sua, coll. Prol. III, 32, et Prol. IV, 19. Id quod ei vitio verti nequit, ut nonnullis visum est. Hunc enim morem fuisse priscis scriptoribus, vel probare potest locus Lucani lib. IX, 982—986, quem affert Gudius, ubi poëta sibi et Caesari, ad Troiam Hectoris tumulum lustranti, satis arroganter idem spondet, et ut ait Gudius, iuvenili quadam iactantia, par Homero sibi visus, parem aeternitatis famam sperat. Paullo modestior Statius Theb. XII, 810 sq. canens: *Durabisne procul, dominoque legere superstes, O mihi bissenos multum vigilata per annos, Thebai?*

7. *certe*, saltem. — *approba*, lauda. — *brevitatem.* Ex ipso orationis contextu, nec non vs. 1, 2 hui. Epil. luculenter patet, hic non de concisa styli in singulis fabulis brevitate esse sermonem, sed de exiguo fabularum numero, quas e larga materiae copia profert. Quod acute observatum cel. *Jacobs* in Observatt. ad Phaedr.

9. Sensus: Quanto maiorem poëtae, dum carmina obtrudunt, creare

molestiam solent. *Desbillons.* — *molesti.* Scilicet recitationibus suis, quibus frequentissime fere enecabant homines. Nam, ut Horatius (A. P. 472) ait, *indoctum doctumque fugat recitator acerbus.* Tales Martialis describit tum alios poëtastros, tum Ligurinum lib. II (44, 45, 50), quem hoc nomine perstringit. Talem Petronius introducit in Satyrico, Eumolpum, qui in triviis, in balineis, in conviviis sua hominibus quibuslibet carmina recitarit. *Rittershus.*

PHAEDRI

AVGVSTI LIBERTI

FABVLARVM AESOPIARVM

LIBER QVARTVS.

PROLOGVS.

Æsopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi iam pridem, quidquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Vt quidam artifices nostro faciunt saeculo,
Qui pretium operibus maius inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
Trito Myronem argento. Fabulae exaudiant
Adeo fugatae. Plus vetustis nam favet

1—3. Sicubi in fabulis hui. libri Aesopi, tanquam auctoris et inventoris huius vel illius fabulae, mentionem fecero; scito, id non alia de causa fieri, quam ut iis maior concilietur auctoritas, utque magis placeant.

4 seqq. Clarum est, Phaedrum imitari velle illos artifices, qui ut statuas et signa nova, quae ipsi faciunt ad exempla antiquorum, persuadeant emtoribus, esse archetypa et antiqui operis (sicque carius vendant), adscribunt nomen veteris at celebris artificis alicuius. *Burm.*

5. *operibus*. Statuis, picturis, operibus caelatis. — *pretium maius inveniunt*. Carius vendunt.

7. Orell. *Detrito*.

7. *Trito argento*, i. e. caelato. De verbo *terere*, quod tam de sculptura (γλύφειν) quam de tornatura (τορνεύειν) usurpari solet, docte disputat Salmas. in Exerc. Plin. p. 406. — *Fabulae exaudiant* etc. Oertelius locum vexatum ita interpretatus est: Sic igitur fabulae meae, simili modo fucatae, prodeant in publicum.

8. Orell. *plus vetustati favet*.

8 sq. Sensus: Invidis hominibus magis placent vetusta, i. e. fabulae,

Invidia mordax, quam bonis praesentibus.
Sed iam ad fabellam talis exempli feror.

FABVLA I.

DEMETRIVS ET MENANDER.

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.

ex antiquitate petitae, seu ab antiquis fictae, quam bona praesentis, i. e. fabulae hocce tempore scriptae, ceteroquin eleganter compositae.

10. Nexus orationis docet sensum huius versus esse: Sed venio nunc ad fabulam, continentem exemplum, quod probare possit, interdum antiqua anteferri novis, seu invidiam mordacem plus vetustis favere, quam bonis praesentibus. Non tamen his convenire videtur fabula sequens de Menandro; sed deest finis fabulae, ut nihil certi statui possit. Observat etiam Burmannus ad h. l. *Annon finis fabulae docuerit, quosdam hanc fraudem fecisse, dubitare licet, et versus suos edidisse pro Menandri, aut alterius prioris aevi poëtae.* Contra Desbillonius verba Phaedri intelligit de fabella tali simpliciter, qualis sequitur, sine ullo respectu ad ea quae praemissa sunt.

2. *Athenas occupavit imperio improbo.* Factus est tyrannus Athenis. *Imperium* enim *improbum* est dominatio tyrannica. Quae quia libertati adversari videbatur, vides quare dicat *improbum*. Schw.—Mirum videri alicui posset, hunc Demetrium a Pausania in *Atticis* dici *tyrannum Atheniensibus datum* a Cassandro, sed *tyrannide deiectum* a Demetrio Poliorcete, et a Phaedro similiter *Tyrannum* vocari, qui *imperio improbo occupaverit Athenas*: quum ceteri, Strabo, Diod. Sic. Cicero aliique eius administrationem certatim laudent; immo vero Strabo l. c. diserte affirmet, *non modo eum democratiam non sustulisse, sed et meliorem reddidisse.* Verum tamen, quia erat urbi datus ἐπιμελητής a Cassandro (Diodor. l. c.) et ita facto ipso praecipuam istic obtinebat potestatem atque auctoritatem, immo paene plus, quam ipse populus, videbatur posse, ideo, licet sua illa potestate minime abuteretur, *Tyrannus* tamen Atheniensium, aeque ac Lindiorum Cleobulus, et civitas hoc eius *imperio improbo*, quia non a populo acceperat, et populus id invitus ferebat, oppressa dicitur. Perizonius ad Aelian. V. H. lib. III, cap. 17. Hisce addenda sunt, quae scribit Diogenes Laërt. V, 76 sq. σφόδρα δὲ λαμπρὸς ὢν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, ὅμως ἐπεσκοτίσθη καὶ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ τὰ πάντα διεσθίοντος φθόνου. Ἐπιβουλευθεὶς γὰρ ὑπό τινων δίκην θανάτου οὐ παρὼν ὦφλεν. Et mox: ἀλλὰ καὶ τὸ ἐπὶ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐπέγραψαν ἀνομίας. Quae docent, non defuisse Athenis, quibus Demetrius displiceret,

Vt mos est vulgi, passim et certatim ruunt,
Feliciter! succlamant. Ipsi principes
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum,
Tacite gementes tristem fortunae vicem.
Quin etiam resides, et sequentes otium,

et qui sollicitati a Demetrio Poliorcete eius imperium appellarent *improbum*.

3. *passim ruunt*, scilicet homines, cives. Etsi enim recte dicitur *ruunt*, subintellecto *vulgus*, ut multis firmari potest exemplis; rectius tamen Hoogstratanus supplet *homines*, probante Burmanno. Vid ad Ep. II, 3. *Passim et certatim ruunt* vero explicandum: hic ibi et quidem praecipiti cursu, temere, sine lege et ordine affluunt, ita ut quisque primus ad novum regem, seu tyrannum accedere studeat. Notanda elegantia et vis verborum. Apte Burmannus laudat Ovid. Met. XV, 729: *Huc omnes populi passim, matrumque patrumque obvia turba ruit*. Tò *passim* autem esse sine ordine et lege, et opponi τῷ *ordinatim* idem docuit Burmannus ad Quintil. Decl. IV, 13. Hisce adde Lucret. V, 822, aliaque exempla in Gesneri Thes. L. L. —*ruunt*. Frequenter et eleganter de iis, qui cupiditate et velut furore quodam feruntur impulsi. Exempla suppeditabit Gesnerus. Cfr. Donatus ad Ter. Ad. III, II, 21, et IV, II, 11, quem citat Burmannus, ubi proprie de suibus usurpari dicit, ut Virg. Ge. III, 255, et Ovid. Met. VIII, 343. —*certatim*. Dum alius alium praeire conatur.

4. Orell. *ruit*.

4. *principes*. Praecipui cives, qui ad exemplum vulgi etiam ad tyrannum se conferunt. Eodem modo Nep. Cim. 3, *Principes Atheniensium* dixit. — *succlamant* (*clamant sub*). Subscribunt ereptae libertati. Sic cl. *Chambry*. Verum, nonne hic praepositio *sub* sensum doli haberet? clamant illi quidem, sed *subdole*. Sic τὸ Graecorum ὑπὸ, in compositis, interdum *diffidentiam, metum, dolum,* significat: interdum gallice, *immédiatement après*. Vide ὑπὸ in nostro opere cui titulus, *Essai sur les Prépos. grecques*. G.

5. *osculantur manum*. Osculabantur manus, inprimis potentiorum, in petitione, gratiarum actione, gratulatione et omni officii nota. Tac. Hist. I, 45: *ruere cuncti in castra... exosculari Othonis manum*.

6. *Tacite gementes*. Non audent palam queri, metuentes Demetrium. —*gementes tristem fortunae vicem*, Ob miserandam rerum suarum mutationem. Subintelligenda enim est praepositio. Ita Cicero Att. II, Ep 19: *gemere virtutem*; Id. Red. Sen. c. 5: *gemere malum*.

7. *resides et sequentes otium*. Intelligi in universum possunt qui remanent otiosi a labore, et vitam privatam degunt, seu ii, qui neque negotiationibus, neque agricultura occupabantur, neque rempublicam tractabant. *Otium* enim *sequi* dicuntur, qui publicis muneribus se abstinent, aut vitam a negotiis vacuam eligunt. Ita Nep. Pel. 2: *Hi omnes fere Athenas se contulerant, non quo sequerentur otium*. Inprimis vero intelligere videtur litteris deditos, maxime poëtas, quia praeter ceteros memorat Menandrum poëtam. Non enim video, quare cum

Ne defuisse noceat, repunt ultimi:
In quis Menander, nobilis comoediis,
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Vnguento delibutus, vestitu affluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc ubi Tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam cinaedus ille in conspectu meo
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim,
Homo, inquit, fieri non potest formosior.
(*Humanum saepe sic iudicium fallitur.*)

Scheffero soli philosophi intelligi debeant, quos Phaedrus iis opponat, qui in republica munere aliquo perfunguntur; quum non solum philosophi, sed etiam poëtae et historici, aliique litterarum studiosi *otium sequi* et *otio frui* recte dicantur; id quod non opus est confirmare exemplis. Quod Phaedrus dixit *sequi otium*, est apud Cic. de Off. I, 20, *ad otium perfugere*, et Off. III, 1, *otium persequi*.

8. *repunt.* Lento gradu accedunt, lente procedunt. Lepide dictum. *B.*

12. *Vnguento delibutus.* Veteres non solum sanitatis, sed etiam deliciarum et luxuriae causa, praecipue in conviviis, unguentis utebantur. *Leonh.* Hunc locum illustrat Rigaltius ad Artemidori Oneirocrit. p. 35 (ubi docet, viros unguenta olere, turpe putatum fuisse, laudans praeter alia Suet. Vespas. 8). *Prasch.* Hinc *mundum* (i. e. elegantem, cultum, totum a pyxide et speculo) dici a Propert. lib. IV, v, 43, notat Broukhus.; quamvis ego ad elegantiam sermonis referre illud epitheton malim, ut *munda verba* Ovid. Art. Am. III, 479, et passim. *Burm.* — *vestitu affluens.* Pro affluenti, i. e. laxo, quippe mollioris. *Tzschuck.* — *Vestitu affluens* est, qui vestitu fluxiore (laxis, non adstrictis tunicis) incedit. Et sic solebant delicatiores molliores-que: vestem prolixam longeque demissam post se trahebant. — Orell. *vestitu fluens.*

13. *gressu delicato et languido.* Molli, effeminato, affectato, numerato et lento, non ut solent incedere industrii et strenui. Talem incessum describit Petron. c. CXXVI: *quo incessus tute compositus, et ne vestigia quidem extra mensuram aberrantia.* Catull. XLII, 8, *inimice incedere.* Eodem modo Seneca de Provid. 5: *malos integris corporibus solutos ac delicatos incedere.*

18. Sic Orellius, qui hanc notam subdit: "hunc versic. servavit N. sic: *Homo inquit fieri non potest ... m. s ...*, unde Iannell. supplevit *formosior*, Bipontini *facetior*. Idem Iann. in promythio Perottino: *Quomodo saepe fallatur hominum iudicium* haud inscite latere suspicatus est hoc epimythium: *Humanum saepe sic iudicium fallitur.*" N. vero est Nicol. Perottus. *T.*

FABVLA II.

VIATORES ET LATRO.

Duo quum incidissent in Latronem milites,
Vnus profugit, alter autem restitit,
Et vindicavit sese forti dextera.
Latrone occiso, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein, reiecta paenula:
Cedo, inquit, illum, iam curabo sentiat
Quos attentarit. Tunc, qui depugnaverat:
Vellem istis verbis saltem adiuvisses modo;
Constantior fuissem, vera existimans:
Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem,
Vt possis alios ignorantes fallere.
Ego, qui sum expertus quantis fugias viribus,
Scio, quam virtuti non sit credendum tuae.
  Illi assignari debet haec narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

3. *vindicavit sese*, se defendit. Ita Caes. B. G. VII, 76.

5. *reiecta*. Id est, in tergum reiecta. Vide quae nos ad Ovid. Met. II, 582, annotavimus. Nec hoc intellexit Gallus, nec eius Censor, qui, *jetant son manteau par* (vel *à*) *terre*; sed hoc est *deiecta*. Parantes enim se ad pugnam *reiiciebant* vestes, non *deiiciebant*. Burmann.

6. *Cedo illum*. Da illum, i. e. ubi est ille? *Hoogstratan*. —Ita Ter. Hec. IV, IV, 86: *Puerum, Philippe, mihi cedo, ego alam*. Id. Adelph. III, IV, 38: *coram ipsum cedo*. *Cedo* idem significat, quod *dic*, et *da* mihi, et est dictum cum quadam fiducia et contemtu eius, cum quo sermo est. Ex quo intelligitur, apte h. l. usurpari, quemadmodum iam olim Schefferus notavit. —*iam*. Notanda vis huius particulae pro mox, statim. Nam futuro tempori iuncta magnam celeritatem promittit.

7. *attentarit*. Aggressus sit. —*depugnaverat*. Id est, qui non tantum fortiter pugnaverat, sed ex pugna victor extiterat. *Burm.*

11. *ignorantes*, scilicet te. *Ignorare* est, mores, indolem animumque alicuius nondum satis cognovisse.

12. *quantis fugias viribus*. Acerbe iactationem explodit. *Tzsch.*

15. *re dubia*, ardua, infesta. Plaut. Epid. I, II, 10: *Is est amicus, qui in re dubia re iuvat, ubi re est opus*. Ita non raro *res dubiae*.

FABVLA III.

CALVUS ET MVSCA.

Calvi momordit Musca nudatum caput;
Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gravem.
Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulae
Voluisti morte ulcisci; quid facies tibi,
Iniuriae qui addideris contumeliam?
Respondit: Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem laedendi scio.
Sed te, contemti generis animal improbum,
Quae delectaris bibere humanum sanguinem,

3. *Punctum.* Punctionem, ictum, qui fit aculeo. —*volucris parvulae.* Lepide dictum.

5. *iniuria* et *contumelia* sunt diversa. —*Contumelia* erat, quod caput verberaverat, alapa enim contumeliosa habebatur, *iniuria*, quod non iure muscam voluerat occidere, et levem punctum morte ulcisci, ut vs. 10: *opteu necare vel maiore incommodo*, ubi duo haec coniungit, sed leviori verbo *contumeliam* vocat *incommodum.* Burm.—Alii aliter. Gronovius, cui parent alii, *iniuriam* refert ad dolorem ex ictu, *contumeliam* ad turpitudinem; sed cl. Schulz. per *iniuriam* punctionem muscae intelligit, referens *contumeliam* ad alapam, quam sibi inflixerat. At vero verbum *addideris* non obscure indicare videtur, separandam hic non esse a contumelia iniuriam, id quod olim acute observatum Desbillonio. Itaque calvus ducendo sibi alapam iniuriam fecit, sed caput verberando addidit iniuriae contumeliam.

7. Iniuria enim aestimatur ex animo laedendi. *Leonh.* Hinc Cicero: *Non exitus rerum, sed consilia hominum vindicantur; ubi non est mens laedendi, ibi nulla iniuria.*

8. Respicit universum muscarum genus. Vult enim, praeterea quod es e contemto genere muscarum, etiam improba es. *Schwabe.* —Musca apud Aegyptios sacerdotes, qui animalium et rerum figuris pro litteris et vocibus in scriptura utebantur, quas Hieroglyphicas Graeci dixere, impudentiae symbolum. Hom. Iliad. XVII, 570: *καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἔθηκεν* (*ἐνῆκεν*, *Niemeyer*). Apud Cic. de Or. lib. II, cap. 60, refertur dictum Vargulae, quum enim duo molesti complecterentur, *puer abige muscas.* Sympos. Aenigm. 23, in quo loquitur musca: *improba sum, fateor.* Gronov.

9. *delectaris bibere.* Sunt verba, animi perturbationem, cupiditatem conatumve significantia, quae in soluto sermone infinitivum non admittant, illumque more poëtarum in car-

Optem necare vel maiore incommodo.
Hoc argumentum veniam ei dari docet,
Qui casu peccat: nam qui consilio est nocens,
Illum esse quamvis dignum poena iudico.

FABVLA IV.

HOMO ET ASINVS.*

Quidam immolasset verrem quum sancto Herculi,
Cui pro salute votum debebat sua,
Asello iussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille sic locutus est:
Tuum libenter prorsus appeterem cibum,
Nisi, qui nutritus illo est, iugulatus foret.
Huius respectu fabulae deterritus,

mine tantum adsciscant. Cicero posuisset *delectaris bibendo*. Cf. *Iani* A. P. p. 456; Hor. lib. I, Ep. XVI, 32: *vir bonus et prudens dici delector ego.*

10. *incommodo maiore*, quam id erat, quum mihi alapam darem. *Hoogstrot.*

12. *consilio.* Schefferus recte explicat animo deliberato, laudans locum Ciceronis: *Qui esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse.* Opponitur praecedenti *casu.*

13. *quamvis dignum*, i. e. valde dignum, seu dignissimum. Hoc sensu vox *quamvis* legitur apud Plaut. Men. II, II, 43: *quamvis ridiculus est, ubi uxor non odest.* Cic. pro Rosc. Am. 32: *quamvis diu dicere.*

(*) Orell. *Asini et Porcelli.*

1. *sancto.* Sollemne Herculis epitheton.

2. Voverat nimirum verrem, Herculi immolandum, si saluti redderetur.

3. *poni.* Apponi: notanda proprietas verbi. —*hordei.* Quo verres fuerat sagjinatus. *Gronov.*

4. *Aspernari.* Spernere, *rejeter, mépriser.* Aspernari (*spernari ad*), *ne pas cacher son mépris, le diriger visiblement vers* (*ad*) *une personne ou une chose.* Gail.

5. Orell. *Libenter istum prorsus.*

5. *Tuum cibum*, quem tu mihi nunc subita largitate, quam suspectam alibi (lib. I, fab. XXIII) docet esse Phaedrus, obiicis; solebat enim carduis et vilissimis vepribus pasci asinus, nunc melior ipsi suspectus est cibus. *Burmann.*

7. *respectu.* Latine satis dictum hoc docet Livius, qui saepe ea voce utitur, et de cuius propria significatione et usu vid. Gronov. ad Liv. XXI, 41.

Periculosum semper reputavi lucrum.
Sed dicis, qui rapuere divitias, habent.
Numeremus agedum, qui deprensi perierint:

Burmann.—Latinitatem huius vocis, quam nonnulli in dubium vocant, tuentur Schefferus e Liv. lib. XXXIX, 28 fin. Desbillonius e Liv. lib. II, 30; Lucan. lib. VIII, 490; Martial. XI, 50. Multa exempla quoque congessit Gudius, ut omittam alios.—*deterritus.* Terrere. *effrayer*; deterrere, *éloigner par la frayeur.* Quum saepius allidant ad praepositionum sensum etiam doctiores viri, redeamus ad vocab. *deprimit* (lib. III, fab. X, 36) quod pro simplici positum vult cl. Schwabius. Verum haec praepositio *de* gallice ad verbum significat *abaisser, couler bas (son homme)*, ultimo hoc sensu, *depressae naves, des vaisseaux coulés bas.* Noster, priori sensu infra lib V, fab. V, 16, habet *demisit caput.* Vid. infr. lib. V, fab. VIII, 23, ubi *devolutis tonitribus*, olim vertebamus, *les tonnerres étant roulés du haut en bas*, adiecto hoc scholio: *on imitait le tonnerre en roulant derrière le théâtre de grosses pierres sur un plancher en pente.* Vid. supr. lib. V, fab. II, 7, *depugnaverat.* G.

8. Orell. *vitavi* pro *reputavi.*

8. *Periculosum semper reputavi lucrum.* Semper ego diligenter consideravi et ponderavi, divitias lucro acquisitas, etsi iure possidendas, periculosas esse. Locus enim non de turpi lucro et iniusto intelligendus, quemadmodum volunt intelligi Rittershusius, Meursius, Desbillonius. Hordei certe reliquiae, quae ponuntur asello, referri non possunt ad turpe lucrum. Atque etiam porcus saginatus fuit cibo non turpi, aut iniuste parto, sed quem ipsi ultro obtulerant. Vid. Scheffer. Nihilo vero secius divitias Phaedrus ait esse periculosas. Experientia nempe, ut videtur, fuerat edoctus, non paucos isto tempore divitiis affluentes homines, in periculum adductos, cum vita opes perdidisse. Vid. Sueton. Tib. c. 49. Hinc divitiarum non ita appetentem esse fatetur. Lege quae ad hanc fabulam congessit Tollius.

9. Nexus orationis postulat, ut haec ita explicentur. Sed obiicis: sunt tamen, qui per vim et rapinas locupletati, opes atque divitias possidere sine periculo pergant; tantum abest, ut ii, qui iure possident divitias, lucro acquisitas, habeant quod metuant periculum.—*dicis.* Hoc verbum pro *obiicere* apud Cic. pro Leg. Man. 8, et Tusc. I, 47.—*habent.* Verba multa activa simpliciter pronuntiantur, suppresso per ellipsin casu quarto: *habere*, pro *divitem esse*, ubi subaudiendum, *divitias, opes*, quemadmodum Graeci utuntur verbo ἔχειν, scilicet χρήματα. At clar. *Tzschucke* melius in hoc nexu, ne languere videatur oratio, censet distingui post *rapuere.* Contra Burmannus, unumquemque pro arbitrio distinguere posse contendit, *qui rapuere divitias, habent*; vel, *qui rapuere, divitias habent*: nam Phaedrus et *habere* simpliciter l. I, et *habere divitias* lib. IV, fab. XXI, 1, dicit. Equidem mallem prius.

10. Orell. *perierunt.*

10. *deprensi.* Exquisite. Explicandum de raptoribus et furibus, qui hocce tempore in rapinis et furtis (ἐπ' αὐτοφώρῳ) deprehendebantur; quemadmodum Cicero dixit, *depre-*

Maiorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

FABVLA V.

SCVRRA ET RVSTICVS.*

Pravo favore labi mortales solent,

hendere in scelere, in adulterio, Verr. V, 43; Or. II, 68.

11. Bene subducta ratione patebit, plures fuisse punitos, quam impune divitias rapuisse. *Hoogstrat.*

12. *temeritas.* Referendum ad divitias, cum iniuria acquisitas, ad furta, rapinas, etc. — *est bono*, commodo, utilitati. Ita Cicero pro Rosc. *accusant ii, quibus occidi patrem Roscii bono fuit.* Scheffer.

Sui temporis conditionem spectat hac fabula Phaedrus, quo multi per vim et rapinam locupletati in periculum incidebant, et cum vita opes perdebant. Verres saginatus imago est ministrorum regiae superbiae, qui cum iniuria et rapinis divitias congesserunt, deinde occiduntur propter opes: quibus pro spongiis utuntur principes, ut Vespasianus dicebat apud Suet. c. 16. Ex damnatorum vero bonis pars saepe dabatur delatoribus et aliis. Recusat autem asellus, i. e. simplex et vilis quidam civis, qui tamen periculum ex opibus satis prospiciebat, quae ipsi quasi obiiciebantur, ut experirentur exploratores aulici, an eas invaderet et appeteret avide, ut deinde calumniis eum opprimerent. Tale quid latere puto sub hac fabula. *Burmann.*

(*) Orell. *Scurra rusticus*.

1. Sensus: Homines per nimium favorem, partium studium, quo abripiuntur in alios, errare solent. Sequuntur enim in iudicando, ut ait Plutarchus re in simili, Sympos. lib. V, 1, opinionem, non veritatem. Intelligenda haec de favore scenico, quo student spectatores histrionibus; error autem est, quod, caeco favore acti, applaudant his vel illis histrionibus, quum alii sint plausu digniores. At Burmannus eum intelligit favorem, quo sibi quisque placet, ut hic populus errore suo sibi favebat, donec rebus postea convictus ad poenitentiam actus est, ut *sibi favere* dici, non uno loco probat; etsi de favore scenico si quis capere velit, facile patiatur. Sed de turba sibi placente rectius capi putat, quia sequentia id exigunt, *pro iudicio erroris sui stant*, qui error sit, quod faveant sibi. Etiam Walch. et Santoroc. istum favorem intelligunt, quem Graeci φιλαυτίαν vocant; sed iam olim, fortasse rectius, explicavi de favore scenico, quo spectatores histriones amplectuntur, probantibus ei. Taschuckio et Desbillonio, qui vellet, Burmannus attulisset exemplum aliquod idoneum, quo nos doceret, potuisse hic Latine dici pravum favorem hominum, ut amor iudicii proprii pravus significaretur.

Et, pro iudicio dum stant erroris sui,
Ad poenitendum rebus manifestis agi.
Facturus ludos dives quidam et nobilis,
Proposito cunctos invitavit praemio,
Quam quisque posset, ut novitatem ostenderet.
Venere artifices laudis ad certamina:

2 sq. Dum fortiter et constanter propugnant iudicium suum errans, i. e. falsum, non raro ipso opere et eventu, et palpabilibus, ut ita loquar, argumentis convicti, quasi vi quadam solent compelli ad errorem agnoscendum et poenitendum. — *dum stant.* Id est pertinaciter pugnant, ut stantes in acie milites, vel in foro advocati. Ovid. Art. I, 200: *stabunt pro signis iusque piumque tuis.* Vide supra lib. III, fab. X, 37. — *Iudicium erroris,* singularis (et insolita) etiam locutio, vel notat errans iudicium, falsum, nota figura; vel posset esse pro *errore iudicii*, ut Ovid. III ex Pont. IX, 41: *iudicium tamen hic nostrum non decipit error.* Burmann.

3. *rebus manifestis.* *Res* pro argumento D. XI, §. 2, ad Leg. Aquil. *innumerabilibus rebus probari potest.* Caes. VII B. G. 54: *etsi multis iam rebus perfidiam Aeduorum suspectam habebat.* Gronov. — Ita utuntur Graeci τοῖς πράγμασι. Sic Plut. in Sulla: ἐλέγχεσθαι τοῖς πράγμασι, teste Gronovio, Obs. III, c. 6. *Schwabe.* — Schefferus pro *in rebus*, quum res sunt factae manifestae: non commode satis, sed melius puto ita explicari: licet verbis propugnent errorem suum, non tamen tam verbis revinci debent, quam manifestis rebus, i. e. factis, ipso opere et eventu, ut postea dicit, *aperto pignore*, id est, argumento, cui contradici non potest, *errorem probans.* Sic Cic. X, ad Fam. XI: *me, quem esse voluisti, eum exitu rebusque cognoscis.* Sic populo, qui favebat scurrae, et ideo praeiudicata de eius arte opinione occupatas mentes habebat, non poterat hic ullo modo persuaderi, rusticum melius mimo edere vocem porci, nisi, postquam vivo porco prolato, rebus manifestis erroris sui convictus esset; et ideo non *induci*, sed *agi* dicitur, quasi vi quadam compelli ad errorem agnoscendum, et poenitendum, quae vis verbi satis nota. Ita *ad perniciem agi*, lib. IV, fab. XIII, 3, et similia obvia. *Burmann.*

4. Orell. *quidam dives.*

4. *ludos.* Intellige scenicos. — *nobilis.* Referendum ad nobilitatem generis. Neque inepte iungit *dives et nobilis*, quia non omnes nobiles sunt divites.

6. *novitatem ostenderet.* Novas artes, nova inventa in lucem proferret.

7. *Venere*, nomina sua profitebantur apud eum, qui facturus erat ludos. Fuerant variae et plane mirificae istorum artificum artes. Eius enim generis erant quoque mimi, Cybistetae, petauristae, petaminarii, funambuli, scurrae, θαυματοποιοί, seu praestigiatores alii. Vid. Casaub ad Theophr. c. VII, περὶ ἀπονοίας. Isti voluptatum ministri in ἐμβολίοις scenicis, uno alterove fabulae actu finito, artes suas exercebant. — *laudis ad certamina.* Vt certarent de laude et praemio proposito. *Hoogstratan.*

Quos inter scurra, notus urbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret.
Dispersus rumor civitatem concitat.
Paullo ante vacua turbam deficiunt loca.
In scena vero postquam solus constitit,
Sine apparatu, nullis adiutoribus,

8. *scurra*. Nihil aliud fuit, quam sectator, pedissequus; neque primum inhonestum sensum habebat, sed homines denotabat urbanos et elegantes, qui salibus et dictorum lepore divites et potentes, quos sectabantur, delectabant. Postea quum otiosi divites effusos risus ex omni materia quaererent, adeoque in omnem licentiam iocantium studia erumperent, male audire scurrarum nomen coepit, et iis solis attribui, qui risum ab audientibus captant, non habita verecundiae ratione, aut dignitatis. Hoc sensu ceperunt Hoogstratan. et Danet. Sed scurrae etiam vocati, qui gestu et imitatione, ut mimi et gesticulatores, risum movere conabantur. Sic Phaedrus h. l. *scurram* vocat, qui porcelli vocem imitabatur. — *notus urbano sale*. Capiendum pro iocis facetis, quibus inest elegantia et eruditio quaedam e conversatione politorum venustorumque hominum. *Sal* et *sales* dici de utroque genere facetiarum, nempe eo, quod est in singulis verbis, quae dicteria dicuntur, et quod est fusum aequabiliter per totam orationem, iamiam observavit *Ernesti* in Clav.

9. *Habere*. Recte Praschius, hoc dici de re inventa, et ita *habere* saepius pro *invenire* ponitur, ut Donatus ad Ter. Eun. III, II, 22: *numquid habes*, explicat, invenisti. Vid. ad lib. IV, fab. I, 13. *Burm.*

10 sq. *prolatum foret*. Insolentem de re praeterita vocis *foret* usum pronuntiat Iohnsonius; sed sine dubio non in mentem venit viro docto, saepius ita veteres usos hoc verbi, multis partibus defecti, tempore. Ovid. VI, Ep. 144, ubi pro *fuisset*. Virg. Aen. X, 327. Et ita etiam de praeterito capitur lib. III, fab. X, 13, et Prol. III, 28, ut observat Perizon. ad Sanct. Minerv. lib. I, c. 14, p. 188 sq. *Burmann.* qui et alios laudat. De usu huius verbi in theatro videndus Heinsius in Not. Schefferi. Ex sententia scurrae haec intelligenda.

11. *concitat*. Recte Schefferus, convocat in locum unum. Creber eius verbi usus de subitis motibus, quum clamore, rumore et similibus homines tumultuantes loca implent.

12 *Turbam deficiunt loca*. Turbae non sufficiunt sedilia in theatro, paullo ante vacua. *Gronov*. De hoc loquendi genere, quod etiam optimis et florentissimis Romanae reipublicae temporibus obtinebat, praeter alios egit Nic. Heinsius ad Ovid. Amor. I, VIII, 93, et Met. II, 382. *Burmann.*

14. *Sine apparatu*. Recte vidit Editor Anon. Lips. (1802) intelligendas esse machinas artificum scenicorum, qui in emboliis oblectabant vulgus, e. g. funambulorum, petauristarum, etc. — *adiutoribus*. Translata vox ex negotiis gravibus et publicis, ubi *adiutores* dicebantur magistratuum, et

Silentium ipsa fecit exspectatio.
Ille in sinum repente demisit caput,
Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
Verum ut subesse pallio contenderent,
Et excuti iuberent. Quo facto, simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plausu prosequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Rusticus. Non mehercule
Me vincet, inquit: et statim professus est,
Idem facturum melius se postridie.
Fit turba maior. Iam favor mentes tenet,

deinde priocipum, inter amicos praecipui, qui opera et consilio illis aderant, ut Legati apud Livium saepius, lib. VI, 22; XXVI, 9, et alibi. Sic Augustus sibi *adiutores* adscivit, Suet. c. XXXIX. Hinc etiam in scena dicti, qui mimos et bistriones in partibus agendis adiuvabant (voce, tibiis, etc.) ut hic Schefferus et Faber recte docuerunt. Distincti vero crant a *monitoribus*, qui verba subiiciebant, ne errarent histriones. Ter Heaut V, 1, 2: *adiutor meus et monitor*: qui et *secundarii* dicebantur, et Graecis ὑποβολεῖς, ut Gloss. *monitor*, ὑποβολεύς. *Burm.*

18. *Subesse pallio*. Quum pallii mentionem h. l. iniiciat lepidissimus fabellarum narrator, non est, quod dubitemus, rem omnem, quam narrat, non in Romano theatro, sed in Graeca aliqua civitate peractam esse. Graecorum enim est pallium. Idem apparet ex universa orationis serie. Graecae luxuriae fuit, praemio proposito invitare agyrtas et circumforaneos circulatores, qui novitate spectaculi vel praestigiis pervellerent spectatorum animos. Graeci eiusmodi nugis mirum in modum delectabantur, iisque avidissime inhiabant. Graeculam *civitatem* rumor de novo aliquo spectaculo sparsus concitare potuit, Romani abhorruerunt ab hac levitate. Sed conficit rem narratio apud Plutarchum in Symposiacis V, 1, p. 674. B. C. Ed. Frf. unde intelligimus, Parmenonem quemdam babuisse hunc quaestum, ut per Graeciae oppida degrunnirat in theatris. Respicit ad eumdem Parmenonem Plutarchus de *audiend. poëtis* cap. 3, p. 16, ubi Krebsius contulit locum e Symposiacis. Laudavere Plutarcbum Rigaltius aliique. Itaque omnia in hac festiva historiola referenda esse ad scenam graecam, satis liquet. *Böttiger.* — *contenderent.* Potest capi, ut inter se sponsionibus certarent spectatores, quemadmodum moris in ludis. *Burm.*

19. *Quo facto simul.* Pro simul ac factum hoc esset; loquendi genus frequentissimum poëtis.

25. *favor* (erga scurram) *mentes tenet.* Scilicet praeiudicata opinione, nihil rusticum ad scurram fore. Favor erga scurram eos adeo totos occupaverat, ut non possent vere iudicare.

Et derisuri, non spectaturi, sedent.
Vterque prodit. Scurra degrunnit prior,
Movetque plausus, et clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere (quod faciebat scilicet,
Sed, in priore quia nil compererant, latens),
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.
Acclamat populus, Scurram multo similius
Imitatum, et cogit Rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans:
En! hic declarat, quales sitis iudices.

26. Orell. *Et derisurus, non spectaturus, silet.*

28. *Movetque plausus.* Commovet multitudinem ad edendos plausus manibus.

29—33. Tunc simulat rusticus sese vestimentis porcellum obtegere (et re vera, *scilicet*, hoc *faciebat*, obtegebat porcellum vestimentis, sed *latens*, ita, ut lateret, id est, ita, ut non deprehenderetur; *quia, in priore,* scurra, *quum nihil*, nullum porcellum, *comperissent* spectatores, non iusserant rusticum excuti, nihil de vero porcello suspicantes) et *pervellit aurem vero*, porcello, quem celaverat, et *cum dolore vocem naturae*, naturalem grunnitum, exprimit.

30. *faciebat scilicet*, i. e. revera, non ut illi credebant, per lusum et iocum.

31. *in priore nil compererant.* In scurra explorato nullum invenerant porcellum. *Tzschucke.* —*latens.* Coniungendum cum *faciebat; quod faciebat*, sed *latens*. Explicant, latenter; at sic praecedentibus, *in priore quia nil compererant*, minus apte respondet.

34. *multo similius imitatum*, scilicet vocem porcelli.

35. *cogit.* Equidem haereo. Quem enim cogit? Deinde qui *cogit trudi?* Nexus postulat *iussit*, sed scripturae vestigia forte: *et coepit rusticos*.... An pro simplici *truditur* illud poni possit, dubito. *Cogor habere* et similia sic occurrere novi, sed est ratio dispar. *Tzschucke.* Verbum *cogit* referendum ad *populus*; puto enim h. l. idem esse, quod nostrum *erzwingen*, quo sensu Cic. de Legg. II, 6, dixit: *vi et minis cogere omnia*, ut dicat Phaedrus, populus non desistens clamare et tumultuari, effecit tandem clamoribus et tumultu, ut foras truderetur rusticus. —*profert porcellum e sinu.* Intellige, dum ille truditur.

37. *aperto pignore. Aperto* est claro ac manifesto, *pignus* notat argumentum certissimum.

38. Hic porcellus ostendit errorem vestri iudicii. *Hoogstratan.* Hic ca-

FABVLA VI.

DVO CALVI. *

Invenit Calvus forte in trivio pectinem,
Accessit alter, aeque defectus pilis:
Eia, inquit, in commune, quodcunque est lucri.
Ostendit ille praedam, et adiecit simul:
Superum voluntas favit; sed, fato invido,
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus.
  Quem spes delusit, huic querela convenit.

piendum δειχτιχῶς. Qui pravo favore occoecati iudicatis. *Leohnard.*

(*) Orell. *Calvus et quidam pilis defectus.*

1. *in trivio*, in quo solebant iacere res viles et abiectae.

4. *praedam.* Bono sensu capiendum. De quaestu omni enim, ut hic de re inventa, usurpari solet.

5. Sensus est: faverunt quidem superi, nam re vera praedam obtulerunt, sed fatum invidit. Ita enim sumus uterque comparati, ut praeda ista neuter iuvari possit. *Desbillon.*

6. *Carbonem pro thesauro invenimus.* Cesserunt haec in proverbium, usitatum Graecis aeque ac Latinis, quod dicitur de re nullius pretii, oblata ei, qui pretiosam exspectabat, cuius spe potiundae frustratus est. Ex eventu quopiam natum videtur, quo quispiam thesauri spe fodiens, carbones defossos invenit. Nam antiquitus carbones in terra defodi solebant, ad indicandos agrorum terminos, quod nulla res magis durabilis, quam carbones sub terra defossi: de quo uberius disputat Erasmus in Chil. I, Cent. 9, 31. Graeci dicunt, Ἄνθραχος ὁ θησαυρός. — Natum hoc ex superstitione vulgi videtur, cui persuasum, nisi observentur omnia in thesauris effodiendis, quae observanda praecipiunt qui peritiam huius artis habent, argentum omne disparere, illiusque loco meros relinqui carbones, a dracone credo, cuius antea meminimus. *Scheff.*

7. Sensus: Est quod queratur, qui spe frustratus est, seu quem spes fefellit.

FABVLA VII.

PRINCEPS TIBICEN.

Vbi vanus animus, aura captus frivola,
Arripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta levitas ducitur.
  Princeps tibicen notior paullo fuit,
Operam Bathyllo solitus in scena dare.

1—3. Sensus: Quum vani homines, i. e. inani superbia tumentes (lib. I, fab. III, 4), capti favore populi mutabili et cito perituro, insolentem sibi sumunt audaciam, isti leves et stulti facile deridendos se praebent.

2. *Arripuit*, sumit sibi, *insolentem fiduciam.* Simili modo Iustin. lib. XXVII, 2, 8: *puer sceleratam virilemque sumit audaciam.* Qui locus Burmanno debetur; sed *arripuit* est fortius observante eodem; notat enim maiorem arrogantiae gradum, et qui plus sibi sumit, quam debet. Idem quoque laudat Cic. Senec. XVIII: *non cani, non rugae repente auctoritatem arripere possunt*; et apud Met. II: *capere audaciam praesentem.*

3. *ad derisum ducitur.* Deridetur. Lib. I, fab. XI, 2, dixit, *derisui est.* Locutio rarior.

4. *Princeps.* Nomen tibicinis proprium, ex quo ambiguitas vs. 27 sq. unice explicanda. Erudite autem Gudius probat ex inscriptionibus, plurimas Romae fuisse familias, quae cognomen haberent *Princeps.* —*paullo notior.* Varie haec explicant Interpretes. Iohnsonius supplet *aliis*, qui solebant Bathyllo operam dare. Ita Desbillonius, Schulzius, Langius. Schefferus hanc affert causam, quare notior fuerit, nempe quia solebat inflare tibias, ad quas saltaret Bathyllus, pantomimus celeberrimus. Burmannus haec ita cepit, ut tibicen paullo notior fuerit illo scurra, qui porci vocem effinxerat. Mihi quidem τὸ *paulo notior* explicandum videtur *satis* vel *maxime notus.* Ita enim comparativi non raro solent sumi. Albinus, Gallicus Interpres, *étant assez connu.* Ceteroquin h. l. iterum coniicit Burmannus, Phaedrum hanc narrationem in mensa Particulonis, aut alterius patroni narravisse, de qua et aliis coniecturis arbitrariis, quibus commemorandis ego quidem nolo morari lectores, videant, quorum refert, Notas viri docti.

5. *Operam in scena dare.* Idem est, quod *adiuvare*, ut fab. V, *sine adiutoribus.* Saltanti enim Bathyllo tibicen modos praebebat; aliter alicui *operam dare* dicitur, qui discit ab aliquo, ut ita Bathyllus discipulos multos, qui ipsi operam dabant, habuit; sed hic est *adiuvare.* Burmann. —*scena*, vocab. ortum a σκηνὴ, quod et ipsum a σκιὰ, *umbra*, significat *umbraculum*, camera ex arborum ramis ac frondibus, sive a natura, sive ab arte sit. Sub huiusmodi umbraculis Attica iuventus, quum adhuc dispersi per agros habitarent, carmina quaedam incondita

Is forte ludis (non satis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit casu gravi
Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,
Duas quum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus, et multum gemens
Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio.
Vt spectatorum mos est, et lepidum genus,
Desiderari coepit, cuius flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.

decantare solebant, fabulasque suo more agere; postea in urbem redacta scenam eo secum transtulit, in qua vel frondibus, vel ex tabulis compacta, histriones agendis fabulis exercebantur. Ab Atticis ad Romanos et res et nomen transiit, diciturque *scena*, pars theatri, proxima proscenio, illo superior, in qua histriones et mimi ludicrum populo spectaculum praebent (Vitruv.). Apud Theocritum, Id. XV, vs. 16, σκηνή, gallice *foire*. G.

7. *pegma rapitur*. Graece πῆγμα. Machina fuit artificiosa (e pluribus tignis, asseribus, tabulis coagmentata) pro diversitate argumenti adornata, in qua (adhibitis ponderibus) vel in sublime attollere, vel e sublimi in praeceps dare, ac velut dehiscente terra absumere solebant sive homines, sive res, quas esset libitum. Vid. Lips. Amph. c. 22; Scal. ad Manil. p. 446; Philandr. ad Vitruv. lib. 9. *Scheff*.

10. *Inter manus sublatus*. Eorum scilicet qui misero subvenerunt.

11. *transeunt*. *Ire* et *transire* de tempore usurpantur. Ovid. Met. II, vs. 330 sq. *Hoogstrat*. Tibull. I, iv, 27: *transiit aetas quam cito!*

12. *curatio venit ad sanitatem*. Locutio singularis et rarior. Similis locutio est ap. Prop. III, xxIII, 18: *vulneraque ad sanum nunc coiere mea*, quo loco tamen nonnulli legunt *vulnera et ad saniem nunc coiere mea*. Vid. Broukus. ad h. l. Huic similem tantum illam invenit Schefferus ap. Plin. XXXIII, 3: *quo saepius arsit, proficit ad bonitatem*. Fortasse Phaedrus eodem modo dicere potuit *venit ad sanitatem*, quo Caesar, etsi alio sensu, B. G. I, 42: *reverti ad sanitatem*.

13. Idem est ac si dixisset, ut spectatorum mos est, et ut genus spectatorum (spectatores) solet esse lepidum; seu, ut spectatorum, quorum genus lepidum esse solet (qui solent esse lepidi) mos est. Vocat Phaedrus spectatores *lepidum genus*, i. e. lepidos, quia desiderio flagrabant videndi Principis (vs. 14), quem per aliquot menses (vs. 11 sq.) non audiverant inflantem tibias, sicque publice ostendebant, quantopere delectarentur artifice isto scenico.

14. *Desiderari coepit* is, vel Princeps. —*flatibus*, cantibus. Sic *tibicines* dicti *flatores*. Festus; *flator, tibicen*. Scheffer.

15. *saltantis*, Bathylli. —*vigor*. Eleganter et apte. *Tzschucke*.

Erat facturus ludos quidam nobilis,
Et incipiebat ingredi Princeps. Eum
Adducit pretio, precibus, ut tantummodo
Ipso ludorum ostenderet sese die.
Qui simul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro. Quidam affirmant mortuum,
Quidam in conspectum proditurum sine mora.
Aulaeo misso, devolutis tonitrubus,
Di sunt locuti more translatitio.

18. *Eum adducit*, scilicet nobilis, qui faciebat ludos (vs. 16).

19. *ostenderet sese*. In conspectum prodiret populi, quamvis inflare non posset tibias.

20. *rumor fremit*. Eleganter, pro fit rumor. De elegantia locutionis v. *Ernesti* Rhet. §. 302. Verbum *fremere* autem in tali re sollemne. Virg. Aen. I, 559: *Cuncti simul ore fremebant Dardanidae*.

23. Orell. *tonitribus*.

23. *Aulaeo misso*. *Aulaeum*, sive siparium demittebatur sternebaturque, quando prodituri erant histriones, tollebatur autem, ubi finitum erat spectaculum. — *devolutis tonitrubus*. Proprie, quia tonitrua imitabantur saxis deiectis post scenam, magno cum fragore, ut ex Festo constat. v. *Claudiana tonitrua*. Scheff. Festus: *Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claud. Pulcher instituit, ut ludis post scenam coniectus lapidum ita fieret, ut veri tonitrus similitudinem imitaretur. Nam antea leves admodum et parvi sonitus fiebant, quum clavi et lapides in labrum aeneum coniicerentur*. Gronov. Deorum praesentiam tonitrubus significari, ab imperitis et superstitiosis olim creditum, quod etiam imitari mos fuit in theatris, ut patet ex hoc loco; aliter tamen sentientibus Epicureis, teste Sexto Empirico Adv. Musicos. Vid. ei. Opp. p. 360, ibique Fabric.

24. *Di sunt locuti*. Personae Deos exhibentes. — *more translatitio*. *Translatitius* proprie aliunde petitus et translatus. In legibus et edictis inprimis *tralatitium* dicitur, quod totidem verbis ex alia lege, aliove edicto repetitum est; unde ad Att. V, 21; Verr. I, 44: *tralatitium edictum*. Hinc *tralatitia* dicuntur vulgo usitata, vulgata, nota: ad Div. VIII, 5: *nosti enim haec tralatitia*. Ern. Verba Phaedri docere nos videntur, in ipso ludorum scenicorum principio solitos esse Deos loquentes introduci: quod quidem vel populo Romano, vel reipublicae optimatibus, vel postea Imperatoribus gratulandi plerumque causa factum fuisse existimaverim. Hos etiam Deos transenna, i. e. fune, demitti solitos in theatrum, satis aperte significat Sallustius, Histor. lib. II, apud Nonium c. 2, sect. 8, 59. In enim Ludos histricos a Metello Pio, in Hispaniam ulteriorem regresso, exhibitos commemorans: *Transenna*, inquit, *demissum victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum, coronam capiti imponebat*. Vbi vides devolutis quoque tonitrubus numen

Tunc chorus ignotum et modo reducto canticum
Imposuit, cuius haec fuit sententia:
Laetare, incolumis Roma, salvo Principe.

Victoriae fuisse praenuntiatum. *Desbillon.*

25. Deest τὸ *et* in Orell.

25 sq. *Tunc chorus et canticum*, i. e. canticum, quod chorus canebat ea more, ceteris omnibus notissimum, sed tibicini, modo in theatrum reducto, plane ignotum, imposuit huic, seu decepit, eum induxit in errorem, ut per Principem vs. 27 se designari crederet, quum de Imperatore, non de tibicine, sermo esset. *Chorus et canticum* vel explicari potest, canticum, quod chorus canebat ea more, vel per ἓν διὰ δυοῖν canticum chori. Vid. Burm. Errant, qui negent, in saltatione pantomimica fabulas cantatas et chorum fuisse adhibitum. Constat enim, Pyladem atque Bathyllum primos fuisse, qui ut chorus ipsis saltantibus praecineret, curarent. Saltatio nempe pantomimica apud Romanos e mimis prioris aevi, comoedia, maxime tragoedia, et saltatione et varii generis oblectamentis scenicis erat conflata. Chorum autem, apud Romanos quoque, in tragoediis cantus edidisse vel e tragoediis Senecae, quae ad nostram memoriam remanserunt, potest intelligi. Quae quum ita sint, non est, quod mireris, in saltatione Bathylli pantomimica, de qua h. l. sermo est, data fortasse die natali Caesaris, chorum in honorem eiusdem canticum cecinisse, quod *embolium* non male dixeris, et quod saltantes gestibus studerent effingere. In re scenica enim verbum *cantare* hocce tempore idem erat, quod recitare, verba decantare; cui semper opponitur *saltare*, i. e. motu corporis et gestu canticum exprimere. Vtrumque fiebat uno eodemque tempore: namque hoc ipsum artis erat, ut saltans gestu effingeret, quidquid cantantes verbis expressissent. De quibus omnibus erudite, etsi diffuse, exposuit Salmasius ad Scriptores Historiae Augustae, T. II, p. 828 sqq.

26. *imposuit.* Hoc verbum, unde *impostor*, pro decipere capi, omnibus notum.

27. Formula sollemnis gratulantium, qua in rebus laetis, e. g. accepto de victoria nuntio, aut Principe e manifesto discrimine erepto, acclamare solebant Principibus. Ita Sueton. Cal. 6, refert, ubi Germanicum convaluisse nuntiatum est, hunc versum passim in urbe esse decantatum: Salva Roma, salva Patria, salvvs est Germanicvs. Similiter Alexandro Severo post victoriam Persicam undique omnes acclamasse: Salva Roma, qvia salvvs est Alexandre, auctor est Lampridius, Vita eius. Vid. Brisson. de Form. lib VIII, p. m. 719 Ferrar. de Acclam. lib. I, c. 12; Lindenbrogi Observatt. in Amm. Marcell. lib. XIV, p. 11. —*salvo Principe*. Quia salvus est Princeps, i. e. Caesar, seu ob salutem Principis. Intelligit Santorocus Augustum, qui, teste Suetonio, graves et periculosas valetudines per omnem vitam aliquot expertus est. Vid. c. 80 sq. Inprimis hic morbum innui putat, cui medebatur Antonius Musa. Cf. Suet. c. 59, Aug. Quia Princeps tibicen Augusti aevo clarus fuit (v. vs. 4, 5 hui. fab.), haecce coniectura non vana est; sed haec cum aliis huius generis in iu-

In plausus consurrectum est. Iactat basia

ecrto relinquenda sunt. *Schw.* — Hinc videtur colligi, accidisse illa post detectam Seiani (in quem sub Principis nomine ludere Phaedrum eredit Rigaltius, contradicente Freinshem.) coniurationem, et supplicium de eo sumtum. Licet enim alio in argumento diceretur, tamen spectatores more suo simul id accipiebant de Tiberio, et ideo edebant plausus. Moris huius habes evidens exemplum apud Suet. Aug. c. 68. Sane in quae alia Augusti et Tiberii tempora haec sententia magis congruat, haud liquet, quum proferri eam moris fuerit, non nisi e manifesto vitae discrimine Principe erepto. *Scheff.* — Brotierius haec censet contigisse A.V. DCCLXII, A. C. IX, quo ludos votivos pro Salute Augusti factos constat: qua de re exstant numi Augusti tam aurei, quam argentei.

28. *consurrectum est.* Simul ab omnibus surrectum est, ut plausus ederent. Stantes enim fere edebant, praesertim si hoc principis causa facerent. Vnde intelligitur, quod habet Suet. Aug. c. 56, de filiis Augusti: *eisdem praetextatis adhuc assurrectum ab universis in theatro, et a stantibus plausum, gravissime questus est.* Scheff. Honoris praecipui causa. Cic. Att. II, 49: *inimici erant equitibus, qui Curioni stantes plauserant.* Plaudebatur autem non praesentibus tantum verum etiam absentibus viris magnis, principibus maxime. Sic apud Tac. Hist. lib. II, 55, 2: *ut cessisse vita Othonem, etc. certi auctores in theatrum attulerunt, Vitellio plausere.* Freinsh. Huisce adde locum Propertii lib. III, xvi, 18, quem produxit Desbillonius. Surrexisse etiam qui sedentes intererant recitationibus, quoties plaudendum erat, probat Gudius e Plin. lib. VI, Ep. 17. Cf. Ferrar. de Acclam. et Plausu, lib. I, c. 14, in Graev. Thes. A. R. T. VI. — *Iactat basia Tibicen.* Plura de hoc more Lipsius in Elect. (lib. II, c. 6) male tamen ibidem ab illo scriptum est, adorantes manum prius porrigere, deinde statim ad os referre solitos. Immo contra illi faciebant. Manum enim osculari, deinde eam versus illum, quem adorabant, protendere consueverant. Et hoc erat, quod dicebant, *oscula iacere*, et *basia iactare*. Tac. lib. I Hist. 36: *Nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, iacere oscula*, etc. *Iactare basia* apud Iuvenalem (IV Sat. 18). Phaedrus: *iactat basia tibicen*, i. e. populum adorat. *Iacere* autem osculum is proprie dicitur, qui manum osculatur, deinde eam porrigit ad eos, quorum honori ac venerationi dat illud osculum. Nam protensione manus, quam prius erant osculati, quodammodo osculum ipsum porrigere et iactare ad eos videbantur, quibus honorem illum deferebant. Hoc ostendit Iuvenalis, quum dicit (Sat. III, 106): *A facie iactare manus laudare paratus Si bene ructavit.* Qui a facie iactat manus, is utique manu faciem prius tangit, quam eam iactet, h. e. manum ad os refert, deinde eam iactat et porrigit, postquam eam osculatus est: et sic quodammodo osculum ipsum iactare ac porrigere creditur: *manu venerari* et *manu salutare* hoc dicebant. Tacitus lib. XVI Ann. de Nerone cantante: *postremo genu flexus, et coetum illum manu veneratus est.* Histrionem ille verum agebat; at histrionum, pantomimorum et cantorum mos hic erat, ut populum scenam ingressi adorarent. Vetus epigramma

Tibicen; gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intelligit,
Magnoque risu canticum repeti iubet.
Iteratur illud. Homo meus se in pulpito

(lib. IV, p. 131, in P. Pith. Epigramm. et Poëmat. Vet. Lugd. 1596) *ingressus scenam populum saltator adorat.* Sic aurigae flagello populum venerabantur. Quum enim dextram manum in adorando ad os referrent, aurigae, qui dextra flagellum tenebant, flagellum ipsum osculabantur et sic adorabant. Eiusmodi oscula dicuntur *labrata*, i. e. labris impressa, ut loquitur Minuc. Fel. p. 2, Ouzel.: *Caecilius, simulacro Serapidis denotato, manum ori admovens osculum labiis pressit.* Princeps Tibicen autem, stulte sibi tribuens, quod in honorem Caesaris factum erat, basia iactando gratum suum animum populo vult significare.

29. *gratulari.* Absolute, ut lib. IV, fab. XII, 4, intellige, sanitatem recuperatam. — *fautores.* Spectatores, qui appellantur *favitores*, a Plaut. Amphitr. 66, teste Gronovio. Vid. ad lib. V, fab. V, 25.

30. *Equester ordo stultum errorem intelligit.* Sedebant equites loco separato in spectaculis publicis, in XIV gradibus, proxime orchestrae iunctis. Senec. de Benef. lib. II, c. 12, appellat *equestria*, scilicet sedilia.

31. *repeti iubet* Vt saepe fiebat, ubi ab histrionibus aliquid pronuntiaretur, quod spectatoribus placeret, et illi in alium sensum detorqueri posse gauderent. Vid. Cic. II ad Att. 19. *Burmann.* — Equites, qui sedebant propius, stultum errorem statim intelligunt, et canticum repeti iubent non sine magno risu. Iubent autem repeti, non ab ipso tibicine, ut Porturegiensis interpres credidit; neque a Musicis, ut voluit huius censor Tanaquillus Faber, sed ab unico illo histrione, qui personam huiusmodi sustinebat. Diomedes Grammaticus, lib. III, p. 489 Putsch. *Membra comoediarum tria sunt, Diverbium, Canticum, Chorus... In canticis autem una tantum debet esse persona.* Ibidem docet ille, chorum abesse a Latinis comoediis, unde coniicere licet, ludos Pantomimorum celebritatem apud Romanos ideo praesertim habuisse maximam, quod adhiberent oblectamenta omnia, quae Tragoediae separatim et Comoediae continebant; atque in iis argumenta modo tragica, modo comica gestu exprimerentur; quod et praeterea canticum aliquod unius personae voce recitaretur, chorusque saltantium, i. e. motibus et conversionibus recte ordinatis incedentium, gestusve significantissimos exprimentium numerosissimus induceretur. *Desbill.*

32. *Homo meus.* Eleganter. Petron. c. XLI: *duravi rogare interpretem meum.* c. LXII: *Homo meus coepit ad stellas facere.* Quintil. Decl. XII, 18: *At legatus meus ad emendum modo proficiscitur,* ubi vide. In quibus omnibus iudicii nostri de talis hominis ingenio vel moribus nota quaedam subest: et hoc Franci lingua sua, *mon homme* dicentes observant. *Burmann.* — Quibus adde locum Ter. Adelph. III, ii, 38, quem affert Desbillonius. Non inepte clar. *Tzschucke* post Schefferum eleganter ita dici censet ad commiserationem noti hominis et hac

Totum prosternit: plaudit illudens eques;
Rogare populus hunc coronam existimat.
Vt vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps, ligato crure nivea fascia,

narratiooe frequentati. Cf. lib. II, fab. II, 7; lib. II, fab. V, 19 sq. Alii, ut Gronov. Schulz vel Phaedrum putant sie loeutum esse per contemtum; vel per contemtum cum commiserationis sensu coniunctum. Ita sentit ill. *de Schirach*, Clav. P. I, v. *homo*. —*pulpito*. Locus in proscenio elevstior, in qun reeitantes stabant. De eo videndus Vitruv. lib. V, c. 6, et Vocabular. Vitruv. Rod. v. *pulpitum*. —Pulpitum, *partie de l'avant-scène* (ἀνάβατρον). Tabulatum alte exstructum, suggestus, unde vel sermo babetur, vel prospicitur. Suggestus qui in morem arae in proscenio excitabatur inserviebat blatrionibus recitantibus, ut ex editiore illo loco facile a spectatoribus conspieereotur (*face*). Ἀπὸ τοῦ *prospicere*, fit proscenium, προσκήνιον, locus ante sceoam, h. a. inter scensm et orchestram ubi erat pulpitum (Vitr.). *G.*

33. *prosternit*. Lepide ad stultum hominis errorem ornandum. *Tzsch.* — Intendit cultum et pietatem; quum antea, ut animum gratum daclararet, plaudenti populo iactsset basia. —*plaudit illudens eques*. Plaudunt equites, tibicinem irridentes.

34. *Rogare coronam*. Rogare, ut corona, seu palma decoraretur, tanquam praemio, qno praestare ipsum in arte musica publice ostenderetur. Eiusmodi coronae at palmae memorantur a Suet. Dom. 4, et Ner. 22. Laudat etiam Gronov. Plaut. Amphitr. Prol. 69: *qui ambissent palmam histrionibus*.

35. *cuneis*. Cuuei sedilia erant spectatorum inter duo scalaris, quae dicebantur a forma *cunei*; cuneorum enim speciem exhibebant. Vid. *Rode* V. C. ad Vitruv. lib. V, c. 6, not. e. Vers. Germ. Sattler. *Gallerie*. Sensus: Vt vero *res*, stultus error tibicinis, *omnibus cuneis*, spectatoribus, in cuneis sedentibus, notuit.

36 seqq. Sensus est: Princeps, qui crura sibi niveis fasciis ligaverat, niveamque etiam tunicam et calceos niveos induerat, quum adeo stultus esset, ut canticum, in honorem Divinae, sive Augustae Domus recitatum, sibi vindicaret, et hinc superbiret, ab universis spectatoribus iussus est prono capite foras protrudi. *Desbillon*. —*Nivea fascia*. Haec non debent coniungi cum *superbiens* (quod facit Gudius) sed cum *Princeps*, hoc modo: Princeps ligato crure, nivea fascia, Princeps niveis tunicis et calceis, ut supra lib. II, fab. V: *tunica, cirris dependentibus*, et mox fab. sq. *occasio, comosa fronte*: subintelligi potest *in* vel *cum*, ut dicimus *in hasta, in telo, in veste*; vel *cum veste*, etc. vel potest iungi τῷ *ligato*, ut sit *crure ligato nivea fascia* (ita praeter Gronovium iungunt alii) ut ita caput Lysimachi vulnerati diademate fuit ligatum, apud Iustin. XV, 3, sed propter sequentia praefero prius. Erat vero hic habitus femineos, ut *nivei calcei*, de quibus vid. ad Ovid. Art. III, 271. et ita citharoedi et tibicines, molles plerumque viri, delicato et fere muliebri cultu (libero homine indigno) utebantur. Nihil ergo hic deest, nec opus cum Hauptio....

Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinae domus,
Ab universis capite est protrusus foras.

Misc. Lips. T. I, p. 260, intrudere versum inficetum... Crediderunt vero quidam, sensum deficere, quia illos ablativos nescirent quo referrent interpretes: nam cum *superbiens* non poterant coniungi, quia haec non esse ornamenta peculiaria divinae domus sciebant: nec per appositionem cum τῷ *honore* iungi (ita tamen iungi vult Guyetus, qui τὸ *honore* capit pro candidis vestibus, candido ornatu) sed superbiebat princeps tibicen honore divinae domus, i. e. canticum, huius honori a laetante choro datum, suum in honorem credebat cantari et repeti (vel plausus, qui facti erant in honorem imperatoris et domus Augustae, in suum fieri honorem). De *divina domo* multa mentio in inscriptionibus. Vid. indicem Gruteri (Hisce adde lapides, quos describit Gudius). *Burm.* —*nivea fascia.* Delicatum et mollem in ipso vulnere producit, et risum movet. *Tzsch.* Quasi nondum procurato vulnere fomenta applicata erant. Amm. Marcell. lib. XVII. de Pompeio (p. 103 Edit. Vales. et p. 112 Lindenbr. coll. Val. Max. lib. VI, c. 2, § 7: *quod aliquandiu tegendi ulceris causa deformis, fasciola candida crus colligabat.* Gronov. —*niveis calceis.* Ex Ovidio, Martiale, Tertulliano notum est, albos calceos Romae usitatos, elegantioribus et viris et mulieribus, quin etiam histrionibus. Vide Salmasium ad Aurel. Vopisc. c. 49, et Burm. ad Ovid. A. A. III, 271, supra iam cit. —*superbiens honore divinae domus.* De sensu horum verborum vid. paullo ante notata ad vs. 36 seqq. *Divina domus* est *Caesarea*, seu, ut appellat Val. Max. lib. VIII, c. 15 init. *Augusta.* Add. nota Tollii P. III, Phaedri p. 183. male h. l. intellexit ill. *de Schirach*, Clav. P. I, v. *niveus*, ubi »refert, *inquit*, poëta vestitum huius tibicinis, quo factum esse nobis persuadere vult, ut ita superbiret Princeps.« At superbiebat hic honore divinae domus. —*capite est protrusus foras.* Praeceps, prono capite protrusus est. Locutio frequens de illis, qui vi ex loco quodam extruduntur, qui plerumque cadunt vi impellentium in caput, vel proni certe capite protento fugere coguntur. Vid. Burm. Ceterum non putaverim cum Gudio, Principem in invidiam incidisse propter tunicas niveas, fasciam niveam et niveos calceos, quia istae fuerint vestes regum et superiorum, illa speciem habuerit diadematis: de quo copiose et erudite more suo disputat vir doctus. Erat enim hic habitus femineus communisque cum feminis citharoedorum, tibicinum et mollium virorum; nec probari potest, haec peculiaria domus Augustae ornamenta fuisse. Ipsi Gudio non dubium est, quin usi fuerint tibicines Romae in ludicris actionibus tunicis candidis. Immo longe alia erat invidiae ratio, ut vidimus.

Hanc narrationem lepidam non esse fabulam, sed historiam illius temporis, iam olim notavit Rittershusius.

FABVLA VIII.

OCCASIO DEPICTA. *

Cursu volucri, pendens in novacula,

(*) Orell. *Tempus.*

1. Quidam hic imaginem temporis putant exprimi, quod tenebat novaculam manu, ex Epigrammate Posidippi in Anthol. lib. IV, c. xiv, p. 486 (Brunck. Anal. T. II, p. 49) sed respicitur ad proverbium Graecum *ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς*, de quo Erasm. in Proverbiis titulo discriminis p. 260, cui adde aliud epigramma ex lib. III, c. v, p. 291: *Ἀκμᾶς ἑστηκυῖα ἐπὶ ξυροῦ Ἑλλάδα πᾶσαν Ταῖς ἡμῶν ψυχαῖς κείμεθα ῥυσάμενοι.* Neque hic de volante imagine (quam vident Gronov. Dispontin.), aut cum alis (Rigalt. Toll. Hoogstrat. *cursu volucri* interpretantur *alatis pedibus*) agitur, sed quae suspensis pedibus stat in acie novaculae, et iamiam avolatura videtur, ut recte Perizon. ad Aelian. lib. XII V. H. c. 58. *Pendere* saepe quidam de volantibus, qui in aëre, leni volatu se moventes quasi pendent, ut et Schefferus ex Ovid. Met. 616 docet, et ita alii; at hic capiendum de tali statu corporis, quo ostenditur inclinatio in celerem et volucrem cursum, ut apud Virg. Aen. V, 147, de aurigis, *pronique in verbera pendent.* Nec hic, *in novacula* est, ut fab. praec. diximus, *in fascia, hasta, in armis*, ut idem sit quod, cum novacula, novaculam manu tenens, quae Schefferi (etiam Fabri, Gudii, Gron. Maittarii, Santoroc.) est explicatio; sed revera pendens in novacula, pedibus tantum non ei inhaerentibus. *Cursus volucer* ut de volatu, ita et de celeri ingressu per terram potest intelligi, ut sit *calvus cursu volucri*, pro velox. Ita apud Claud. III, de Laud. Stil. 321: *Non volucri fugiunt pernicia cursu*, et de navigatione, Ovid. Trist. I, x, 5: *Nec comites volucri contenta est vincere cursu*. Burm. Ita cum Burmanno etiam ceperunt Heusinger. et ill. *de Schirach*, cuius Clav. vide voc. *in* et v. *pendere*. Ordo verborum: Calvus cursu volucri, pendens in novacula, etc. significat occasionem rerum brevem. — (*cursu volucri*. Volucri, *a volando*, vocabulum hic proprium quum alae Tempori sub pedibus aptentur. *G.*) — *novacula.* Saepe legimus de celeribus et velocibus, super fluctus, arenas, aristas et similia (flores, gramina) cucurrisse. Vid. ad Val. Flacc. III, 528, et Comment. ad Virg. Aen. VII, 808, sed nunquam super acumina novaculae. *Burm.*

Non dubito, autorem huius fabellae ob oculos habuisse, quum haec scriberet, simulacrum aut sigillum aliquod Occasionis. Sed frustra sunt, qui ad inclytum illud Lysippi signum, quod epigrammate nobilitavit Posidippus (Analect. T. II, p. 49, xiii), fabellam hanc compositam esse clamitant. Lysippi Occasio suspensis pedibus librata orbi, seu sphaerae insistebat, ut manifesto apparet e Callistrati statuis c. 6, p. 897, Ed. Olear. *εἱστήκει δὲ ἐπί τινος σφαίρας, ἐπ' ἄκρων*

Calvus, comosa fronte, nudo corpore,

τῶν τάρσων βεβηκὼς, quod, si certissimam Iacobsii coniecturam amplectaris, repetit in fine expositionis. Vid. *Jacobs* Exercitt. Crit. T. II, p. 39. Nostra vero Occasio *cursu volueri pendet in novacula*, quod nisi vim verbis afferre, et contorta explicatione sensum illis affingere velis, a re plane alienum, nil aliud significat, quam Occasionis pedibus subiectam fuisse novaculam. Bene observavit hoc post Perizonium Burmannus, male hoc nomine reprehensus ab obtrectatore eius perpetuo, *van Bergen* In Obs. Crit. c. 32, p. 67 sqq. qui dum *in novacula* exponit, instructus novacula, parum profecto extricat. Nam quae ex Manilio et Virgilio laudat exempla satis nota, nil probant, quum semper τῷ *in* adiectum sit aliquid, unde rarior illa significatio satis appareat, v. c. *fulget in arcu* Centaurus, asplendescit ea sideris pars, quae arcum exprimit; *Horridus in iaculo* horret iaculis assidue vibratis; *in longa veste sacerdos*, i. e. indutus longa veste, ut quilibet intelligit, et sic sescenta alia, quae congessit Broukhus. ad Tibull. I, 9, 70, et ad Propert. IV, 2, 28. Cf. quos laudat Drakenb. ad Silium II, 432. Scilicet fraudem hoc fecit interpretibus Phaedri, quod unum Lysippi tantum signum, quod Καιρὸν exprimeret, in antiquitate cognitum et decantatum fuisse existimarent, parum memores, nobilissimum eiusmodi signum, quod Sicyone in propatulo (ἐν προθύροις Posidippi non satis aperte declarat locum) expositum omnes peregrinantes ad spectaculum sui alliceret, saepissime ab aliis artificibus fuisse expressum et repetitum. Recentiores artifices certamen sibi cum Lysippi ingenio ineundum esse rati passim novarunt nonnulla, ut maiorem spectatoribus ioiicerent admirationem. Sic factum esse censeo, ut novaculam, quam dextrae Occasionis indiderat Lysippus, pedibus eius subiicerent, repudiata sphaera, quam sollerter excogitaverat Lysippus, indicaturi scilicet occasionem *brevem* (i. e. ὀξὺν, ut est in epigrammate Posidippi Sic ὀξύτεροι οἱ καιροὶ εἰς τὰ πολεμικὰ apud Xenoph. K. π. VIII, c. 5, 7, ubi bene vertit Zennius: quo *breviores* esse solent opportunitates) ratione habita veteris proverbii Homerici, ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς ἵστασθαι (vid. Valkenaer. ad Herodot. p. 443, 30; *Warton* ad Theocrit. XXII, 46). Certe altera praeter unam Lysippi Imaginem veteribus cognita fuit τοῦ Καιροῦ deformatio. In illa nec novaculae, nec sphaerae insistit Occasio, sed rotulae, et pedissequa illius effingitur Poenitentia, ἡ Μετάνοια. Phidiae vulgo tributum esse hoc inventum, apparet ex epigrammate XII Ausonii. Nimirum, quicquid praeclarum esset in artis operibus, Phidiae acceptum retulerunt posteriorum aetatum homines. Lysippi occasionem pulchre descripsit etiam Himerius in loco, quem Photius excerpsit, in editione nupera Himerii pag. 240, ubi Wernsdorfius more suo omnia, quae reperiri possunt constipavit. Adde, quos laudavit Clar. *Jacobs* in Commentario ad Analect. Tom. III, pag. 446 *Böttiger*.

2. *comosa fronte*. Schefferus memorans Plinii (XVI, 6) *comosam arborem*, explicat, comis abundantem. Cato Grammaticus haec ita expressit: *fronte capillata est, sed post occasio calva*. V. Guyet. — *nudo corpore*. Quo fit, ut non nisi fronte possit pre-

Quem si occupâris, teneas, elapsum semel
Non ipse possit Iupiter reprehendere,
Occasionem rerum significat brevem.
  Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

bendi. Simulacrum Occasionis et Poenitentiae ap. Ausoo. XII, 8, *calvo erat occipiti*. Adde Photii Ep. 170, p. 244, Edit. Lood. 1651, in-fol.

3. *occuparis*. Praeveneris et quasi in medio cursu interceperis. Ita Ovid. Trist. I, IX, 6: *occupare rates*. Cf. Epil. II, 5. Alii capiunt proprio sensu, pro prehendere; nec sic male, ut Ovid. Fast. III, 509, dixit, *occupare amplexu*. — *teneas*. Prehensam fronte noli dimittere. *Halt fest*. Senec. Ep. XXII: *Hanc occasionem circumspice, hanc si videris prende*. Auson. l. c. *Sed heus tu occipiti calvo es .... Ne tenear fugiens*. — *elapsum semel*. Qui calvus si semel elapsus fuerit. Plaut. Capt. I, II, 8 sq. idem, sed alio modo dixit: *Semel fugiendi si dato est occasio, satis est; nunquam post illom possis prendere*.

4. *ipse Iupiter*. Locutio proverbialis, qua innuit, fieri plane non posse, ut occasio, semel elapsa, rursus offeratur. — *reprehendere*. Prehensum retro trahere, retrahere. Cic. Ac. IV, 45: *revocat virtus, vel potius reprehendit manu*. Scheff.

5. *significat* calvus ille. Nōn enim opus est, ut cum Rittersbusio intelligas: *vir ita depictus*, vel *fictus*. Sic enim confirmari censet emendationem suam. — *brevem*. Apte; quia tempus, quo occasio nobis datur, aliquid efficiendi, perbreve et saepius momentaneum est, et opinione citius e manibus elabitur.

6 sq. *ne segnis mora impediret Effectus*, i. e. successus rerum gerendarum, seu ne segnis mora impediret, quo minus ea fierent, quae facienda sunt (Rob. *Prévost*: *l'exécution de nos entreprises*); *antiqui talem effigiem temporis* opportuni, i. e. occasionis, *finxere*. — *Temporis*. Non simpliciter, sed eius, quod ante dixit occasionem, h. e. opportunitatem. Et sic saepe Graeci usurpant. Nep. Alcib. 8: *tempus rei gerendae non dimisit*. Scheff. Καιροῦ. Ausonio est *tempestivum tempus*, in Ludo VII Sap. cuius et imaginem exhibet Ep. XII. Plaut. Pseud. IV, II, 3: *heus tu nunc occasio est et tempus*. Id. Menechm. III, III, 28 sq. Ceterum fuerunt ioterpretes, qui hanc fabulam, quam rectius ὑπογραφὴν, seu descriptionem picturae cuiusdam dixeris, intelligerent de tempore, non de occasione, addita inscriptione: *fugit irreparabile tempus*. Tempus tamen et occasionem aliquantulum differre credimus, quod docet Cicero de Inv. lib. I, cap. 27: *occasio est pars temporis, habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem, quare cum tempore hoc differt; nam genere utrumque idem esse intelligitur*. Simili modo alii. Ita Sext. Empir. ὅπερ, εἰ θεμιτὸν εἰπεῖν, οὐδὲ θεοῖς ἀνυτόν. Adv. Grammat. lib. I, c. 3, p. 234. Opp. ubi v. Fabric. Sic Hom. Odyss. γ, 235:

. . . . Οὐδὲ θεοίπερ
Καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν.

FABVLA IX.

TAVRVS ET VITVLVS.

Angusto in aditu Taurus luctans cornibus,
Quum vix intrare posset ad praesepia,
Monstrabat Vitulus, quo se pacto plecteret.
Tace, inquit, ante hoc novi quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

Publius Syrus: *contra felicem vix deus vires habet.*

1. *Taurus luctans.* Miror, et hic silere viros doctos, et patienter banc constructionem ferre, quum *tauro luctanti* dicendum fuisset. Sed iam saepe ita Phaedrum malle loqui animadvertimus. Ita et Apul. Flor. XIV: *Crates ille, Diogenis sectator, qui ut Lar familiaris cultus est, nulla domus ei unquam clausa erat.* Alia exempla dabit Cortii diligentia ad Sallust. Iug. XXX, 4, et quae ibi laudat. *Burm.* — *luctans*, laborans. Hoc verbum enim tropice h. l. capiendum de vehementi conatu, ut *luctantes venti* ap. Virg. Aen. I, 53, i. e. egredi laborantes. Simili modo Hor. lib. II, Sat. VI, 28: *luctandum in turba.* Ter. Hec. V, III, 31: *dicit, sese illi annulum, dum luctat, detraxisse.*

2. *intrare* Hic absolute ponitur, vel subintelligitur, portam, aditum illum angustum. Vid. ad lib. III, fab. X, 21. Eadem ratione *intrare in domum*, et similia obvia, de quibus vide notas Heinsii ad Ovid. Met. VII, 492. *Burm.* — *ad praesepia.* Vix intrare poterat angustum illum aditum, ut pervenire posset ad praesepia. Santorc. explicat, stabula. Virg. Aen. VII, 275. Ita fere Gallicus interpres, qui totum locum ita expressit: *un taureau faisant des efforts avec ses cornes, et ne pouvant qu'à grande peine entrer dans son étable, dont la porte était fort étroite.*

4. *inquit.* Taurus. — *ante*; iunge cum *quam*: hoc novi antequam tu natus fuisti. — *natus es.* Praesens pro praeterito perfecto, *natus fuisti*, sicut solet etiam in aliis. Vid. Sanct. lib. I, Min. c. 15. *Scheff.* In imberbes iuvenes hoc convenit, qui soli sibi sapere videntur, et senes docere sibi sumunt. Recte Apulei. *Odi pueros praecoci sapientia.*

5. *Qui doctiorem emendat.* Peritiorem docet. Aliter hoc exprimunt: *Ne sus Minervam*, ὗς ποτ' Ἀθαναίαν, Theocrit. V, 23, de quo v. Erasm. in Adag. Chil. I, Cent. I, 40, vel, *Ante barbam doces senes.* Cf. Santor. — *sibi dici putet*, id nempe, quod vitulo taurus respondit. *Desbillon.*

FABVLA X.

VENATOR ET CANIS. *

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis quum domino semper fecisset satis,
Languere coepit annis ingravantibus.
Aliquando obiectus hispidi pugnae Suis,
Arripuit aurem: sed cariosis dentibus
Praedam dimisit. Hic tum venator dolens
Canem obiurgabat. Cui Latrans contra senex:

(*) Orell. *Canis et Servus et Venator.*

3. *Languere coepit*, ut fortis equus apud Cic. de Sen. c. 5. — *annis ingravantibus.* Annis molestiam afferentibus. Proprie *ingravare* est, gravem facere, graviter afficere, sed h. l. more saeculi sui usus est hoc verbo, ut neutro. Antiquiores dixissent *ingravescentibus*, vel *aggravescentibus*; argenteae vero aetati et hoc placuit. *Ingravescentem aetatem* pro senectute dixit Cic. lib. II ad Div. 4, et de Sen. c. 2. Sed Suetonius quoque, Caes. c. 4, dixit *quartanae morbo aggravante*, teste Burmanno, quem vide. Hor. Sat. I, 1, 4 sq., de milite sene dixit *gravis annis.* Simili modo a Theocrito Idyll. XXIV, 100, Tiresias πολλοῖσι βαρὺς ἐὼν ἐνιαυτοῖς dicitur, qui locus Hartmanno debetur. *Annis gravatus* habet Romulus Vimens.

4. *obiectus pugnae.* Quum commissus esset cum hispido sue in pugnam. Exquisite *obiectus* de languente. — *hispidi Suis.* Sues apud poëtas pro apris poni, frequens est. Vid. Barth. ad Stat. IX Theb. 589, et noster lib. II, fab. IV, *suem* et *aprum* promiscue posuit. Masculini generis etiam Ovidius, licet frequentius alii feminini, facit, ut Met. X, 549, *setigeros sues. Burmannus*, qui etiam laudat Ovid. in Ibin vs. 506; Claudian. II, in Rufin. 487; Martial. XIII, 41, quibus in locis *sus* est masculini generis. Ceterum notanda elegantia epitheti *hispidus*, i. e. horridus, setosus. Leporem substituit Anonymus Nilantii fab. LXII, et Romulus Divion. lib. II, fab. VII.

5. *Arripuit aurem.* Intellige Suis. — *cariosis dentibus.* Quia dentes carie erant adesi.

6. Orell. *Hic tunc.*

6. *dimisit.* Elabi sinebat. — *Hic tum.* Geminari has particulas solere docebunt exempla ab Axenio ad lib. I, fab. XIV, 5, adducta ex Cicerone et aliis. *Burm.* — *dolens.* Praedam iam captam sic sibi iterum, tanquam bolum e faucibus, eripi. *Hoogstratan.*

7. *obiurgabat.* Reprehendebat. Conspicua est h. l. Phaedri brevitas. Ex verbis enim, *quod fuimus laudasti*, vs. 9, colligi potest, dominum non

Non te destituit animus, sed vires meae.
Quod fuimus laudasti; iam damnas, quod sumus.
Hoc cur, Philete, scripserim, pulchre vides.

solum olim saepius collaudasse canem; sed etiam hic pristinas eius virtutes et officia sibi praestita laudibus extulisse, et reprehendisse canem, quod non sit ille, qui fuerit olim. Sed haec omnia Phaedrus complectitur uno verbo *obiurgabat*. Cf. Not. ad lib. II, fab. VII, 8. — *Cui Latrans contra senex*. *Cui*, venatori, *senex latrans*, canis senio confectus, *contra*, vicissim respondet. De elegantia τοῦ *latrans* pro cane vide ad lib. I, fab. VI, 6, et lib. I, fab. XI, 6, it. Ovid. Met. VIII, 412. Ita *volantes* pro avibus, *natantes* pro piscibus, etc. dicunt veteres. Varia hic congessit Hartmann. De Bentleii ad h. l. coniectura sic iudicat cl. *Bothe*: *elegans coniectura, sed non necessaria*. — *contra*. Vid. ad lib. I, fab. I, 6. Vox *senex* vim adiectivi habere, atque idem significare, quod vetus, et iungi cum substantivis generis omnis, multis exemplis docuit Broukhus ad Tibull. I, vii, 88; Ovid. A. A. III, 78: *cervi senes*. Iuven. VI, 159: *senes porci*.

8. *Non te destituit animus*, scilicet meus. *Non destituit* est, non derelinquit, deserit. Virg. Ecl. I, 61. — *sed vires meae*, scilicet destituunt me. Desbillonius: Habes me eodem semper animo, sed non iisdem viribus instructum.

9. *Quod fuimus*, h. e. fortitudinem et vires pristinas olim non raro *laudasti* (vid. vs. 7 et quae ibi notantur) *iam damnas, quod sumus*, damnas me languidum et desertum viribus, et aegre fers, me non esse eumdem, qui fui olim. Hisce verbis canis domino vult in animum revocare, se olim ab ipso esse laudatum, eidemque hac ratione exprobrat animum ingratum et immemorem. *Schw.*

10. *Philete*. Credibile est, huncce Philetum, cui Phaedrus lib. V fabularum sacrum esse voluit, Claudii imperatoris libertum fuisse. Vid. Gruter. p. IↃCCLXXVII, 2, ubi occurrit Tib. Claud. Philetus. Vide etiam Vitam Phaedri sub fin. Saepe in Corpore veterum Inscriptionum nomen *Phileti*, modo liberti, modo civis Romani, occurrit, at nusquam supra Vespasiani tempora. In opere autem Italico Francisci Bianchini, de sepulcralibus Inscriptionibus, in Via Appia repertis, et anno 1730 Romae publicatis, *Philetus aedituus fortunarum* et *Hilarus Phileti frater*, inter libertos servosque Domus Augustae memorantur; quod me docuit Gabr. Brotier... *Desbillon*. Sed cave putes, huncce esse Philetum, cui Phaedrus dedicavit fabulas.

PHAEDRI
FABELLAE NOVAE
DVAE ET TRIGINTA

EX CODICE PEROTTINO

A CATALDO JANNELLIO

PRIMVM EDITAE

NVNC

AB ANGELO MAIO

E CODICE VATICANO REDINTEGRATAE.

NICOLAI PEROTTI *

AD

PYRRHVM NEPOTEM

PROLOGVS.

Non sunt hi mei, quos putas, versiculi;
Sed Æsopi sunt, Avieni et Phaedri:
Quos collegi, ut essent, Pyrrhe, utiles tibi,
Tuaque causa legeret posteritas,
Quas edidissent viri docti fabulas.
Honori et meritis dicavi illos tuis,
Saepe versiculos interponens meos,
Quasdam tuis quasi insidias auribus;
Solet quippe iuvare ista varietas.
Hos si leges, laetabor; sin autem minus,
Habebunt certe quo se oblectent posteri.
Nunc fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo: servitus obnoxia,
Quia quae volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit
Calumniamque fictis elusit iocis.
Redeo unde discessi ad libellum meum.
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet:

(*) Praeter Phaedri et Avieni fabulas, in eodem Codice non pauca Perotti carmina leguntur.

Mihi magna laus est, quod tu, quod similes tui
Labores libenter legant usque meos,
Dignosque longa iudicent memoria.
Semper fugatae plus vetustati favet
Invidia mordax, quam bonis praesentibus.

PHAEDRI

FABELLAE NOVAE.

FABVLA I.

SIMIVS ET VULPES.

Avarum etiam quod sibi superest non libenter dare.

Vulpem rogabat partem caudae simius,
Contegere honeste posset ut nudas nates;
Cui sic maligna: Longior fiat licet,
Tamen illam citius per lutum et spinas traham,
Quam partem quamvis parvam impertiar tibi.

1. *rogabat*. Proprie. Hoc enim verbo utimur ad beneficia petenda, quum sit petere cum precibus, postulare suppliciter. Sic noster lib. I, fab. XVI, 3: *ovem rogabat cervus modium tritici*. —*Simius*. *Simius* vel *simia* Latinis, Graecis πίθηκος, notum animal, cauda expers et glabris ac depilatis natibus, ut hic inducitur. Est quidem et simia caudata Graecis κερκοπίθηκος et καλλίθριξ. Sed simia absolute ea est, quae cauda caret, quod et Buffonius in sua quadrupedum Historia definivit, et propterea latini scriptores, ubi de caudatis simiis locuti sunt, graecas potius voces usurparunt; ut Plinius lib. VIII, 54; Iuvenal. Sat. XV, 4, et alii.

2. *honeste*. Decore, decenter; ne turpis nuditatis puderet.

3. *maligna*. Apposite *maligna* dicitur vulpes: etenim *malignus est qui difficultatem sui ostendit*, ut ait Donatus in Terent. Hecyr. I, II, 84, qui quum facile possit, vel ex malignitate animi et turpi invidia, vel ex sordida avaritia benefacere recusat, et iuvare alios detrectat. Cf. Val Max. lib. VI, 4, ext. 1, et Plin. Hist. Nat. lib. VII, 50, item lib. XXV, 8. — *longior*. Intelligitur *mea cauda*.

5. *impertiar*. Largiar, tribuam. Sic Cicer. pro Sylla, c. 3: *oneris mei partem nemini impertio, gloriam bonis omnibus*. Hic versiculus sic legitur in codice: *quam tibi impartiar p. q. p.* Vid. quae isti fabellae subjicit Romulus lib. III, 17, unde Burmannus in Appendice, 22: *Avare, te fabella haec et locuples monet, qui, quamvis superest, nil tamen das pauperi*. Perottus vero: *avarum etiam quod sibi*

FABVLA II.

AVCTOR.

Non esse plus aequo petendum.

Arbitrio si natura finxisset meo
Genus mortale, longe foret instructius:
Nam cuncta nobis attribuisset commoda
Quaecunque Fortuna indulgens animali dedit:
Elephanti vires, et leonis impetum,
Cornicis aevum, gloriam tauri trucis,
Equi velocis placidam mansuetudinem,

superest non libenter dare. Quamobrem quis potius forte scriberet: *avare locuples, te fabella haec admonet, libenter inopi quod tibi superest, dare.* *Locuples* latine tamquam substantivum nomen sumi potest, quum Ovidius III Amor. VII, 6, scripserit: *Dives avarus.* *Monere* autem cum infinitivo modo copulavit Phaedrus lib. III, fab. XVII, 13, et lib. IV, fab. IV, 13.

1. *Arbitrio meo.* Ex mea sententia. Cf. Phaedr. lib. III, fab. XVIII, 10; et Senec. Oed. 882. — *finxisset.* *Fingere* est aliquid arte et sollerter componere. Cicer. pro Murena, cap. 29: *natura te finxit ad honestatem.*

2. *instructius.* Supple dotibus, vel commodis, quod statim sequitur: ut Horatius, etsi adversa sententia, dixit Epist. I, XVIII, vs. 25, *vitiis instructior.*

3. *attribuisset.* Nempe *natura.* *Attribuere* est veluti proprium tribuere, omnino adsignare. — *commoda.* Commodum hic non sumitur in abstracto pro utilitate et emolumento, sed pro dote, munere quae utilitatem pariunt. Cf. Hor. A. P. v. 175, et Ovid. I Amor. II, 38.

4. *indulgens Fortuna.* In Cod. *fortuna indulgens.*

5. *impetum.* *Impetus* ea vis in animali est, qua vehementer, rapide, praeceps in alium incurrit et fertur. Cf. Phaedr. lib. I, fab. II, 10, et fab. XXIX, 9. Revera autem *impetus* et violentia maxima in Leone sunt, eaque potissimum dote ceteris omnibus animantibus praestat.

6. *Cornicis aevum.* Putabant veteres cornices per bene decem secula vitam protrahere. Cf. Cic. Tuscul. III, cap. 28, et Ovid. II Amor. VI, 35. — *gloriam.* Hic *gloria* pro *gloriatio*, habitus nobilis, maiestate et gloria plenus. Cf. Hor. Epist. I, XVIII, 21. — *Trucis.* Torvi, minacis, qui timorem quemdam aspectu incutit, quod ad maiestatem facit. Ideo tauri veluti proprio adiecto dicti sunt *truces.* Cf. Plin. Hist. Nat. lib. VIII, c. 45; Senec. Octav. 765; Ovid. Metam. VII, 111 et alios.

7. *mansuetudinem.* Hoc loco *man-*

Et adesset homini sua tamen sollertia.
Nimirum in caelo secum ridet Iuppiter,
Haec qui negavit magno consilio hominibus,
Ne sceptrum mundi raperet nostra audacia.
Ergo contenti munere invicti Iovis,
Fatalis annos decurramus temporis,
Nec plus conemur quam sinit mortalitas.

suetudo ea animantis dos est qua facile ad manum accedit, facile regi, tractari patitur. Quae prima sane et genuina vocis vis est. Nam *mansuetus* omnino est *manuisuetus*, quod Paullus ex Festo, et Nonius, cap. 2, p. 59, observarunt. Conf. Iustin. lib. XV, cap. ult.

8. *sua solertia.* Quae sibi propria est, qua ab aliis animantibus discernitur. Etenim *sollertia* habitus animi est, quo ea omnia quae delectant et iuvant facile et celeriter invenimus, atque in usus nostros accommodamus et mala arcemus et pellimus. Scilicet *solertia*, ut verbum sonat, omnium artium scientia est; fit enim ab Osco *solus* vel *sollus*, totus, omnis, ut Festus ait, et *ars*. Cf. Terent. Eunuch. III, II, 25.

9. *ridet Iupiter.* Cf. Phaedr. lib. I, fab. II, 12.

11. *sceptrum.* Proprie virga, scipio fuit a Graeco σκήπτεσθαι inniti, incumbere. Porro virga regum et principum. Hinc sumptum ut dominationis et imperii symbolum, et tandem metaphorice pro ipso dominio atque imperio. Cf. Virg. Aen. I, 257, et X, 852. — *raperet nostra audacia. Rapere* est contra ius fasque per vim et iniuriam auferre. Haud dissimiliter Horat. Od. I, III, 25 sqq.

12. *invicti.* Bene *invictum* Iovem dicebant, ut notarent quam stulte homines cum Deo contenderent et sceptrum eius affectarent, quod rapi nulla vi potest. Cf. Horat. Od. III, XXVII, 73; Ovid. Fast. V, 126, et VI, 650.

13. *Fatalis temporis.* A fatis scilicet nobis constituti. — *annos decurramus.* Eleganter sic *decurrere vitam* Noster in vulgat. lib. III, fab. XX, 1.

14. *conemur. Conari* hic est contendere, laborare quo aliquid negatum consequamur, magno nempe conatu velle et adfectare, ut adsequamur. Cf. Cic. in Catil. II, c. 9. — *mortalitas.* Conditio humana, ratio et lex qua homines sumus. Cic. ad Octavian. c. 18.

FABVLA III.

MERCVRIVS ET DVAE MVLIERES.

De eodem alia fabella.

Mercurium hospitio mulieres olim duae
Illiberali et sordido receperant:
Quarum una in cunis parvum habebat filium,
Quaestus placebat alteri meretricius.
Ergo ut referret gratiam officiis parem,
Abiturus et iam limen excedens ait:
Deum videtis; tribuam vobis protinus,
Quod quaeque optarit. Mater suppliciter rogat,
Barbatum ut videat natum quam primum suum;
Moecha, ut sequatur sese quicquid tetigerit.

2. *Illiberali.* Apud veteres, quibus servi merae res erant, et tota, ut ita dicam, humanitas in liberis capitibus erat posita, quod pulchrum, quod bonum, quod iucundum *liberale* dicebatur, adversum *illiberale* et servile.

5. *referret gratiam parem. Gratia* a *gratus* proprie est quod gratum et benevolum facit; verum quum plerumque ut munus muneri, ita maleficium maleficio pensetur, *gratia* generatim quaevis remuneratio fuit. Sic noster in vulgat. lib. III, fab. II, 1.

6. *Abiturus.* Futurum plane proximum, iamiam abiens. Cf. Phaedr. lib. IV, fab. XIX, 16. — *limen excedens.* Supple *domus*.

8. *Mater.* Ea scilicet ex mulieribus, quae erat mater. — *supplicat rogans.* Idem est ac supplex rogat. Nam *supplico* absolute etiam usurpatur, et vi sua non orare, rogare est, sed plicare se, substernere se alicui. Ideoque *supplicat* non est orat, rogat, sed fit supplex. Vnde recte *rogans* subiungitur.

9. *Barbatum.* Veteres haud statim a primis pubertatis annis pueros radebant, sed 21 vel 22 aetatis annum exspectabant. Quamobrem diu adolescentes floridam quamdam barbulam gestabant. Mater ergo petebat, ut filius suus fieret statim adolescens, nec omnes pueritiae gradus percurrere cogeretur. Conf. Ovid. Fast. III, 60.

10. *sequatur sese.* De viris puto auctorem loqui. Quid enim meretrix petiisset? *sequor* ad hanc sententiam saepius de feminis, unde *secutuleiae* appellatae, usurpatum est, ut ex Virg.

Volat Mercurius, intro redeunt mulieres.
Barbatus infans ecce vagitus ciet:
Id quum forte meretrix rideret validius,
Nares replevit humor, ut fieri solet:
Emungere igitur se volens prendit manu,
Traxitque ad terram nasi longitudinem,
Et alium ridens ipsa ridenda exstitit.

FABVLA IV.

PROMETHEVS ET DOLVS.

De veritate et mendacio.

Olim Prometheus seculi figulus novi

Ecl. X, 22; Propert. Eleg. XXXIV, 8; Ovid. Epist. XVI Heroid. 323, et aliis abunde patet.

11. *Volat.* Propria de Mercurio qui pedibus et capite alis instructus, revera, ut volucres, per aëra volare putabatur. Conf. Virg. Aen. IV, 139.

12. *Barbatus infans.* Ille infans qui erat in cunis factus barbatus. Mercurius scilicet, non ut accipi per symbolum mater volebat, sed ut omnino sonabant ad verbum, eas preces perficit. — *vagitus ciet.* Nam erat adhuc infans. *Ciere vagitus*, est ingeminare vagitus, graviores et altiores tollere. Cf. Virg. Ge. III, 517; IV, 64.

13. *rideret.* In Codice *ridet.*

14. *humor.* Naturalis humor qui in nares perfluit, mucus, pituita. Cicer. de Natur. Deor. II, 57.

15 sq. Sensus est: quum meretrix vellet emungere se, prehendit manu nasum, sed quum pollicitus ei fuisset Mercurius se facturum ut eam sequeretur quidquid tetigisset, nasus manum tangentem se trahentemque statim est subsecutus, et quoniam meretrix pituitam usque ad terram proiiciebat, nasus quoque longior semper evadens usque in terram productus est. Haud puto an haec brevius maiorique artificio dici possent. — *longitudinem.* Sic in vulgat. Lib. I, fab. VIII, 8.

1. *seculi novi.* *Seculum* vulgo est certus annorum numerus; sed Latinis etiam fuit soboles, progenies, genus. Lucretius qui voce hac frequentissime utitur, ad istam unam fere potestatem semper usurpat. Ita *muliebre seclum*, *secla ferarum*, et similia passim. Et haec quidem prima et genuina vocis potestas. Nam quum idea temporis obstractissima sit, nec gignatur nisi ex motus et successionis ideis, fit ut voces quae illud exprimunt, antea motus, vel successiones expresserint. Et re quidem vera *seculum* a *sequor*, quod *secor* factum videtur ab Isidoro, lib. V Orig. c. 35, omnino docetur. Itaque per *secu-*

Cura subtili Veritatem fecerat,
Vt iura posset inter homines reddere.
Subito accersitus nuntio magni Iovis
Commendat officinam fallaci Dolo,
In disciplinam nuper quem receperat.
Hic studio accensus, facie simulacrum pari,
Vna statura, simile et membris omnibus,
Dum tempus habuit, callida finxit manu.
Quod prope iam totum mire quum positum foret,
Lutum ad faciendos illi defecit pedes.
Redit magister, quo festinante Dolus
Metu turbatus in suo sedit loco.
Mirans Prometheus tantam similitudinem,
Propriae videri voluit artis gloriam.

lum hic exprimitur genus humanum, quod *novum* dicitur, quoniam Prometheus tum finxisse homines intelligitur, quum iam caetera animantia extitissent. Sensus est igitur: quondam Prometheus, quum finxisset novum animantium genus, genus nempe hominum.

2. *subtili*. Tenuissima, pura, sincera. — *veritatem*. Signum nempe quod futurum erat *veritas*.

3. *iura reddere*. Sic noster in vulgat. Lib. IV, fab. XII, 8.

5. *officinam*. *Officina* quasi *opificina*, locus est quo fabri artificesque artem exercent. — *Dolo*. Dolus hic personam habet, et est Promethei discipulus ut sq. versu indicatur.

7. *studio accensus*, nempe imitandi illud Promethei opificium. — *simulacrum* a τῷ *similis*, est imago alicuius rei simillima.

9. *Dum tempus habuit*. Sensus est: fecit simile et aliis membris omnibus, quae potuit per tempus perficere — *callida*. Callidus vulgo vafer, astutus; sed non raro doctus, artis alicuius prudens, peritus; quae prima vocis potestas est. Cicer. de Nat. Deor. lib. III, c. 10.

10. *positum foret*. Sollemne in hac sententia verbum. Conf. Horat. Od. IV, VIII, 6, et Art. Poët. vs. 34.

11. *Lutum*. Hic pro creta, argilla figuli. — *illi*. Simulacro scilicet, haud enim videtur legendum *defecit illi*, id est, dolo, quum sententia, ut puto, minus apta exsurgat; *deficio* autem saepe absolute usurpatur. Sic apud Ovid. Met. VIII, 492 et alibi.

12. *festinante quo*. Non quod Prometheus festinanter et praepropere ad officinam se contulisset, sed potius quod Dolo, qui simulacrum suum perficere cupiebat, eius reditus nimis festinus et subitus visus fuisset.

13. *in suo sedit loco*. Nam simulacrum fingens, magistri certe locum et instrumenta omnia artis occupasse aequum est.

15. *gloriam*. *Gloria* hic est operis, artificii praestantia, unde quis glo-

Igitur fornaci pariter duo signa intulit;
Quibus percoctis atque infuso spiritu,
Modesto gressu sancta incessit Veritas;
At trunca species haesit in vestigio.
Tunc falsa imago atque operis furtivi labor
Mendacium appellatum est; quod negantibus
Pedes habere facile ipse consentio.

FABVLA V.*

AVCTOR.

Nihil diu occultum.

Simulata interdum vitia prosunt hominibus,
Sed tempore ipso tamen apparet veritas.

riari se possit et tolli ab aliis laudibus.

17. *infuso spiritu.* Supple *in eis.* Spiritus, anima, principium sensus et motus. Cf. Virg. Aen. VI, 720.

18. *incessit.* Proprie ad maiestatem gressus, quae verbi potestas est. Virg. Aen. I, 50.

19. *species.* Proprie de simulacro, quod vere habet alterius speciem. — *haesit in vestigio.* Fixa et immobilis in loco suo mansit.

20. *operis labor.* Hic labor est ipsum signum quod elaboratum fuerat; *opus* vero artificium, opera in fingendo signo posita.

21. *Mendacium*, a *menda* est. *Mendas* dicebant veteres brachium brevius, crus decurtatum, pedem pravum et similia. Vnde simulacrum Doli *mendacium* erat, quum mendam haberet, quum deessent pedes.

(*) Hi duo versiculi ad promythium vel epimythium alicuius fabulae pertinuisse videntur.

FABVLA VI.

AVCTOR.

Sensum aestimandum esse, non verba.

Ixion quod versari narratur rota,
Volubilem fortunam iactari docet.
Adversus altos Sisyphus montes agit
Saxum labore summo, quod de vertice,
Sudore semper irrito, revolvitur,
Ostendit hominum sine fine esse miserias.
Quod stans in amne Tantalus medio sitit,
Avari describuntur, quos circumfluit
Vsus bonorum, sed nil possunt tangere.
Vrnis scelestae Danaides portant aquas,
Pertusa nec complere possunt dolia;
Imo, luxuriae quicquid dederis, perfluet.
Novem porrectus Tityos est per iugera,
Tristi renatum suggerens poenae iecur;

1. *Ixion.* Ixion, Thessaliae rex, tentare Iunonem ausus, a Iove in Tartarum deturbatus est, et ad rotam alligatus, qua aeternum versaretur.

2. *fortuna iactari.* Non dubitari iure potest, quin *fortuna* antea *vortuna* a *vorto* seu *verto* facta fuerit, solemni τοῦ *v* in *f* transmutatione. Recte igitur ait Noster volubilem hominem ab Ixione significari.

3. Sisyphus, Corinthi rex, qui evulgatis quibusdam Iovis arcanis, ab ipso Iove ad supplicium quod hic describitur, damnatus est.

7. Tantalus, Phrygiae rex, vocatis ad epulas Diis Pelopem filium membratim discerptum apposuit ut divinitatem eorum agnosceret, ideo protrusus est in Tartarum, et ad sitim famemque aeternam, plane proximis aquis cibisque, damnatus.

8. *describuntur.* Solemne in hac sententia verbum. Sic Noster in vulgat. Lib. IV, fab. VII, 2.

9. *Vsus bonorum.* Bona nempe utilia, divitiae ita in usum et fruitionem comparatae, ut ipse usus dici possint.

12. *Imo.* Ex imo, ex fundo.

13. *Tityos.* Tityus, Terrae filius, quod Latonam ad stuprum compellasset, proiectus est in Tartarum, et ad poenam de qua hic agitur damnatus.

Quo quis maiorem possidet terrae locum,
Hoc demonstratur cura graviori adfici.
Consulto involvit veritatem antiquitas,
Vt sapiens intelligeret, erraret rudis.

FABVLA VII.

AVCTOR.

De oraculo Apollinis.

Vtilius nobis quid sit dic, Phoebe, obsecro,
Qui Delphos et formosum Parnasum incolis.
Quid o! sacratae vatis horrescunt comae,
Tripodes moventur, mugit adytis Religio,
Tremuntque lauri et ipse pallescit dies?
Voces resolvit icta Pythia numine:
Audite gentes Delii monitus dei:
Pietatem colite; vota superis reddite;
Patriam, parentes, natos, castas coniuges
Defendite armis, hostem ferro pellite;
Amicos sublevate; miseris parcite;
Bonis favete, subdolis ite obviam;
Delicta vindicate; cohibete impios;

15. *quis.* In Codice *quisque.*

17. *involvit veritatem.* In figuris nempe et symbolis

1. *Vtilius.* Scilicet ad vitam recte ducendam.

3. *sacratae vatis.* Pythiae.

4. *moventur.* Proprie; nam Pythia quum oraculum fundens furebat et bacchabatur per antrum, tripodas movebat, spargebat. Cf. Lucan. lib. V, 172. — *Religio.* Scil. vox quaedam horrenda ex religiosis adytis exauditur. Sic Noster in vulgat. lib. IV, fab, X, 4. Sic fere Virg. de Sibylla lib. VI, 98, et lib. III, 92.

5. *Tremunt Lauri.* Hanc putabant veteres arborem esse ad divinationem maxime propriam. Lauri autem, quae circa Cortinam erant, quum ederetur oraculum, videbantur revera tremere. Cf. Virg. Aen. III, 90.

12. *ite obviam. Ire obviam* est opponere se, et veluti antevertere eum, qui in nos ruit. Vid. Cic. Verr. III, 41; Tacit. Ann. VI, c. 16.

13. *castigate, Castigare* non est pu-

Punite turpi thalamos qui violant stupro;
Malos cavete ; nulli nimium credite.
Haec eloquuta concidit Virgo furens:
Furens profecto, nam quae dixit perdidit.

FABVLA VIII.

ÆSOPVS ET SCRIPTOR.

De malo scriptore se laudante.

Æsopo quidam scripta recitarat mala,
In quis inepte multum se iactaverat.
Scire ergo cupiens quidnam sentiret senex,
Numquid tibi, inquit, sum visus superbior?
Haud vana nobis ingenii fiducia est.
Confectus ille pessimo volumine,
Ego, inquit, quod te laudas vehementer probo,
Namque hoc ab alio nunquam continget tibi.

nire, sed cohibere, temperare. Virg. Aen. V, 387.

16. *concidit.* Cecidit, in terram corruit.

17. *Furens.* Hic *furens* in vulgari potestate sumitur pro ea quae sanae mentis et integrae non est, quae imprudenter et inepte agit.

5. *ingenii fiducia.* Sic Virg Aen. I, 136: *fiducia generis*; et II, 162: *fiducia belli.* —Quae quidem constructio elliptica, Graecis familiaris. *G.*

6. *Confectus.* Veluti necatus. — *volumine. Volumina* a volvo, quod circa se volverentur, dicti sunt scriptorum libri.

FABVLA IX.

POMPEIVS MAGNVS ET EIVS MILES.

Quam difficile sit hominem nosse.

Magni Pompeii miles vasti corporis,
Fracte loquendo et ambulando molliter
Famam cinaedi traxerat certissimam.
Hic insidiatus nocte iumentis ducis,
Cum veste et auro et magno argenti pondere
Avertit mulos. Factum rumor dissipat;
Arguitur miles, rapitur in praetorium.
Tum Magnus: Quid? ait, tune me, commilito,
Spoliare es ausus? Ille continuo exscreat
Sibi in sinistram et sputum digitis dissipat.
Sic, imperator, oculi exstillescant mei,
Si vidi aut tetigi. Tum vir animi simplicis
Id dedecus castrorum propelli iubet,
Nec cadere in illum credit tantam audaciam.

1. *vasti corporis.* Sic Noster in vulgal. lib, I, fab. V, 5.

2. *Fracte loquendo. Fracte loqui* non est loqui abrupte, sed vocem inflectendo et per varios tonos frangendo, quo placeat. Ea est quae mulierculis delicato quodam flexu ducitur, ut in Lucret. lib. V, v, 231: *almae nutricis blanda atque infracta loquela.*

3. *cinaedi.* Effeminati et impudici hominis.

5. *veste.* Hic *vestis* universa supellex, qua homines ad amiclum vestitumque indigent.

9. *exscreat. Exscreare* est sputum cum sonitu et crepitu eiicere. Conf. Plaut. Asin. I, I, 28.

10. *disiicit.* In Codice *dissipat.* Spargit huc illuc, in parvas guttas infringit.

11. *Extillescant. Extillescere* hic non est guttas destillare, stillas emittere, quo sensu Plautus Pseud. III, II, 20, et Colum. R. R. lib. XII, cap. 40, *extillo* usurpant, verum est se in stillas resolvere, quod expressit Terent. Phorm. V, VII, 81. *Esco, escere* terminatio proprie frequentativa: sic apud Graecos λαμπίσκω, νειχίσκω et alia bene multa. *G.*

12. *simplicis.* Boni, creduli.

Breve tempus intercessit, et fidens manu
Vnum e Romanis provocabat barbarus;
Sibi quisque metuit et primi mussant duces.
Tandem cinaedus habitu, sed Mars viribus,
Adit sedentem pro tribunali ducem,
Et voce molli: Licet? Enimvero eiici
Virum ut in re atroci Magnus stomachans imperat.
Tum quidam senior ex amicis principis:
Hunc ego committi satius Fortunae arbitror,
In quo iactura levis est, quam fortem virum,
Qui casu victus temeritatis te arguat.
Assensit Magnus et permisit militi
Prodire contra; qui mirante exercitu,
Dicto celerius hostis abscidit caput
Victorque rediit. His tunc Pompeius super:
Corona, miles, equidem te dono libens,
Quod vindicasti laudem Romani imperi:
Sed exstillescant oculi sic, inquit, mei,
Turpe illud imitans iusiurandum militis,
Nisi tu abstulisti sarcinas nuper meas.

15. *intercessit.* Intervenit, accidit. — *fidens manu.* Qui viribus suis fidebat. *Manus* hic est virtus militaris, quae manu praesertim ostenditur.

16. *barbarus.* Scilicet unus e barbarorum exercitu.

17. *sibi quisque metuit.* Ne scilicet iussus cogatur prodire in hunc barbarum. — *et.* Deest in Codice. — *mussant.* *Mussare* est summissa voce loqui. Mussabant ergo illi Duces quod gravissimum negotium illud esse videbant, et quid consilii caperent nesciebant.

18. *is.* Miles de quo agitur.

19. *pro Tribunali.* *Tribunal* a Tribuno dictum suggestum quoddam ex quo primum Tribuni, tum ceteri magistratus ius dicebant. Non dubitandum autem quin Pompeius sedere hic *pro Tribunali* inducatur, ut de illa ipsa Barbari provocatione quid agendum esset decerneret.

20. *Licet?* Perinde ac dixisset: licetne mihi, imperator, in hostem prodire? — *eiici.* Supple *militem.*

21. *in re atroci.* Rem atrocem Romani vocabant ex qua aliquid detrimenti Respublica capere videretur.

FABVLA X.

IVNO, VENVS ET GALLINA.

Adversus mulieres.

Quum castitatem Iuno laudaret suam,
Iocum agitandi causam non reppulit Venus,
Nullamque ut affirmaret esse illi parem,
Interrogasse sic gallinam dicitur:
Dic sodes, quanto possis satiari cibo.
Respondit illa: Quicquid dederis satis erit;
Sic, ut concedas pedibus aliquid scalpere.
Ne scalpas, inquit, satis est modius tritici?
Plane, immo nimium est, sed permitte scalpere.
Ex toto, ne quid scalpas, quid desideras?
Tum denique illa fassa est naturae malum:
Licet horreum mihi pateat, ego scalpam tamen.
Risisse Iuno dicitur Veneris ioco,
Quia per gallinam denotavit feminas.

2. *Iucunditatis caussam* (sic Iann.). Occasionem iocandi. — *non repulit.* Non omisit.

3. *Nullamque.* Absolute, sive Deam, sive mortalem feminam. — *affirmaret.* Hic *affirmo* non est simplex *aio*, *dico*, sed demonstro, quae prima verbi potestas. — *parem.* In castitate.

7. *Scalpere.* Spectat auctor illum Gallinarum morem, quo pedibus unguibusque terram vel minuta scruta scalpunt. Sic Hor. Sat. I, VIII, 26: *scalpere terram.*

8. *Ne scalpas.* Vt tu a scalpendo abstineas.

10. *Ex toto.* Ad summam, denique.

11. *naturae malum.* Hoc est, id vitium esse a natura ipsa sibi inditum, malum naturale et necessarium.

13. *ioco.* In Codice est *iocos.*

FABVLA XI.

PATERFAMILIAS ET ÆSOPVS.

Quomodo domanda sit ferox iuventus.

Paterfamilias saevum habebat filium.
Hic e conspectu quum patris recesserat,
Verberibus servos afficiebat plurimis
Et exercebat fervidam adolescentiam.
Æsopus ergo narrat hoc breviter seni:
Quidam iuvenco vetulum adiungebat bovem.
Is quum refugiens impari collo iugum,
Ætatis excusaret vires languidas,
Non est quod timeas, inquit illi rusticus;
Non ut labores facio, sed ut istum domes,
Qui calce et cornu multos reddit debiles,
Et tu nisi istum tecum assidue retines,
Feroxque ingenium comprimis clementia,
Vide, ne querela maior accrescat domus.
Atrocitati mansuetudo est remedium.

1. *saevum*. Saevus est qui facile irascitur, pronusque est ad alios vexandos.

3. *afficiebat* Et similibus facinoribus ferventem aetatem suam exercebat, agebat.

5. *seni*. Patrifamilias.

7. *refugiens*. Recusans et veluti retro fugiens a iugo, quod ferendum sibi erat, non cum alio bove viribus sibi pari, sed cum iuvenco ardente.

14 sq. *Vide ne querela*, etc. Sensus est: attende, ne querela quae fit a domo et familia de filio tuo, in dies maior fiat. Atrocia ingenia cum mansuetudine tractanda sunt. *Atrocitas* est asperitas morum. Fit ab *atrox*, quod ex graeco etymo (τρώγω) est proprie acerbum, non maturum, ideoque non domitum.

FABVLA XII.

ÆSOPVS ET VICTOR GYMNICVS.

Quomodo comprimatur aliquando iactantia.

Victorem forte gymnici certaminis
Iactantiorem quum esse vidisset sophus,
Interrogavit, an plus adversarius
Valuisset eius? Ille: Ne istud dixeris;
Multo fuere vires maiores meae.
Quod, inquit, ergo, stulte, meruisti decus,
Minus valentem si vicisti fortior?
Ferendus esses, forte si te diceres
Superasse, melior qui esset viribus.

2. *Iactantiorem.* Qui se plus aequo de victoria iactaret. — *Philosophus.* Quidam Philosophus.

9. *melior viribus.* Supple *te.* Te validior. Conf. Virg. Aen. IX, 556; Horat. Epist. I, x, 34.

FABVLA XIII.

ASINVS AD LYRAM.

Quomodo ingenia saepe calamitate intercidant.

Asinus iacentem vidit in prato lyram.
Accessit et tentavit chordas ungula;
Sonuere tactae. Bella res mehercules
Male cessit, ait, artis quia sum nescius:

1. *iacentem. Iaceo* eleganter usurpatur de rebus derelictis, neglectis. Sic Noster in vulgat. lib. III, fab. I, vs. 1.

2. *Accessit,* ad lyram.

3. *Bella res. Bellus* non est absolute pulcher, sed quadam pulchritudine et venustate iucundus. Cf. Martial. lib. II, Epigr. VII.

4. *Male cessit.* Malum exitum habuit. — *artis.* Nempe musicae.

Si repperisset aliquis hanc prudentior,
Divinis aures oblectasset cantibus.
Sic saepe ingenia calamitate intercidunt.

FABVLA XIV.

MVLIER VIDVA ET MILES. *

Quanta sit inconstantia mulierum.

Per aliquot annos quaedam dilectum virum
Amisit et sarcophago corpus condidit;
A quo revelli nullo quum posset modo,
Et in sepulchro vitam lugens degeret,
Claram assequuta est famam castae virginis.
Interea fanum qui compilarant Iovis,
Cruci suffixi luerunt poenas numini.
Horum reliquias ne quis posset tollere,

5. *prudentior*. Doctior me in arte musica.

6. *Divinis*. Suavissimis. — *cantibus*. Cantus saepe de quovis musico sono sumitur, et quorumlibet instrumentorum.

7. *Sic saepe*, etc. Sic hominum ingenia misere pereunt. Sic praestantis ingenii viri cum negliguntur, tum alia calamitate non iis occurrunt, qui quanti sint faciendi sciunt.

(*) Hanc historiolam late celebrem et vulgatam, eleganter narrat Petronius Arbiter Phaedro aetate proximus et suppar.

1. *Per aliquot annos*. Aliquot abhinc annis.

2. *sarcophago*. *Sarcophagus* proprie lapis dictus fuit, qui carnes exederet, ex σὰρξ graece, *caro*, et φάγω, *comedo*.

3. *revelli*, abstrahi, separari.

5. *virginis*. *Virgo* dicebatur non ea tantum quae esset coniugii expers, sed nupta vel vidua dummodo viridi adhuc et integra esset aetate.

7. *Suffixi*. In cruces sublati proprie. Nam *suffigere* est in altum figere. Hor. Sat. I, III, 82.

8. *reliquias*. Gravioris criminis damnati sepultura arcebantur. Fiebat igitur, ut damnatorum cadavera sive alibi, sive in crucibus exposita, sensim putrescerent, ac solverentur, et propterea post aliquot dies quaedam tantummodo eorum *reliquiae* superessent. Haec autem spectans, ut videtur, damnatorum cadavera generatim *reliquias* dixit auctor. — *tollere*. Detrahere de crucibus, vel delapsas colligere, ut sepulturae traderent, quod expressit Petronius.

Custodes dantur milites cadaverum
Monumentum iuxta, mulier quo se incluserat.
Aliquando sitiens unus de custodibus,
Aquam rogavit media nocte ancillulam,
Quae forte dominae tunc adsistebat suae
Dormitum eunti; namque lucubraverat
Et usque in serum vigilias perduxerat:
Paulum reclusis foribus miles prospicit
Videtque aegram, sed facie pulchra feminam;
Corruptus animus illico succenditur
Et uritur sensim impudentis cupiditas.
Sollers acumen mile causas invenit,
Per quas videre posset illam saepius.
Quotidiana capta consuetudine,
Paulatim facta est advenae summissior;
Mox artiore vinxit animum copula.
Hic dum consumit noctes custos diligens,
Desideratum est corpus ex una cruce.

11. *Aliquando*. Hic brevissimum temporis spatium, et paucissimos tantum dies significat.

14. *lucubraverat*. Domina nempe, vidua usque tum ad lucernam laboraverat; quae verbi potestas est.

15. *in serum* In seram noctem.

16. *prospicit*. Absolute. Introrsum curiose spectat.

18. *Corruptus animus*. Forma feminae victus, depravatus. Sed non interpretari posset, animus utpote iam corruptus et vitiosus, iam aliis flagitiis depravatus. Certe *corruptus animus, corruptus homo*, sic absolute sumta, ut hic sumi velint, haud facile, ut puto, penes puriores latinos scriptores occurrent.

20. *Sollers acumen*. Supple militis.

23. *advenae*. Militi scilicet. Satis constat at ex auctore nostro, et ex Petronio militem bunc haud civem, sed externum fuisse. Attamen quando civis fuisset, vox non esset culpanda. Nam quum mulier se ab omni societate et a civitate etiam secrevisset, recte *advena* dicitur qui *ad* eam *venit*. Tum certum est recte dici *advenas*, vel qui in eadem urbe de domo in domum transeunt, ibique excipiuntur. — *summissior*. Facilior.

24. *vinxit animum*. Supple suum, hoc est, mulier. — *copula*. *Copula* est vinculum. Cf. Hor. Od. I, XIII, 18.

25. *diligens*. Ironice. Nam constitutus fuerat ad custodienda cadavera.

26. *Desideratum est*. Non est inventum, detractum fuit. *Desidero* visus non est opto, cupio, sed occido, deficio, desum. Nam a *de* et *sidus* fit,

Turbatus miles factum exponit mulieri.
At sancta mulier: Non est quod timeas, ait,
Virique corpus tradit figendum cruci,
Ne subeat ille poenas negligentiae.
Sic turpitudo laudis obsedit locum.

FABVLA XV.

DVO IUVENES SPONSI, DIVES ET PAVPER.

Fortunam interdum praeter spem atque exspectationem hominibus favere.

Vnam expetebant virginem iuvenes duo:
Vicit locuples genus et formam pauperis.
Vt nuptiarum dictus advenit dies,
Amans dolorem quia non poterat perpeti,
Maerens propinquos contulit se in hortulos,
Quos ultra paulo villa splendida divitis
Erat acceptura virginem e matris sinu,
Parum ampla in urbe visa quod fuerat domus.
Pompa explicatur, turba concurrit frequens,
Et coniugalem praebet hymenaeus facem.
Asellus autem, qui solebat pauperi
Quaestum deferre, stabat portae in limine.

ut certum esse Festus scribit, notatque omnino siderum occasum, et propterea quemvis defectum et absentism.

28. *sancta*. Pro pudica, per ironiam, quam et Petronius servat.

31. *Sic turpitudo*, etc. Sensus est: atque ita locus pudicitiae antea laude clarissimus, factus est impurus et turpis. Hic enim *locus laudis* haud abstracte sumitur ut sensus sit: turpitudo successit laudi, sed, ut diximus, locus est in quo mulier aliquandiu clausa mansit, et ille loquendi modus ex stylo Phaedri est, qui adiectiva nomina in substantiva et abstracta saepius convertit.

1. *Vnam*. Sic Maius. Alii *una*, i. e. eodem tempore; non societatem, sed unitatem propositi et consilii significat.

4. *Amans*. Nempe pauper qui adhuc ardenter amabat. Tum locuples non erat amplius *amans*, sed sponsus.

6. *Quos ultra paullo*. Paullo ultra quos hortulos.

Illum puellae casu conducunt suae,
Viae labores teneros ne laedant pedes.
Repente caelum, Veneris misericordia,
Ventis movetur, intonat mundi fragor,
Noctemque densis horridam nimbis parat:
Lux rapitur oculis et simul vis grandinis
Effusa trepidos passim comites dissipat,
Sibi quemque cogens petere praesidium fuga.
Asellus notum proximum tectum subit
Et voce magna sese venisse indicat.
Procurrunt pueri, pulchram aspiciunt virginem
Et admirantur: deinde domino nuntiant.
Inter sodales ille paucos adcubans,
Amorem crebris avocabat poculis.
Vbi nuntiatum est, recreatus gaudiis,
Hortante Baccho et Venere, dulces perficit
Æqualitatis inter plausus nuptias.
Quaerunt parentes per praeconem filiam;
Novus maritus coniuge amissa dolet.
Quid esset actum postquam populo innotuit,
Omnes favorem comprobarunt Caelitum.

13. *puellae.* Virgini sponsae, ut super eo asino vectaretur ad villam.

16. *intonat mundi fragor.* Validissima tonitrua fiunt. Hic *mundus* pro caelo sumitur.

17. *nimbis. Nimbus* est pluvia repentina, praeceps, tenebrosa.

23. *Procurrunt.* Prodeunt foras ad vocem.

25. *adcubans.* Supple ad mensam.

27. *recreatus gaudiis.* Quod iam insperato casu virgo quam ardentissime amabat, in manus suas pervenisset.

29. *Aequalitatis.* Aequalium scilicet suorum, coaevorum sodalium de quibus mentio est vs. 25. Quod ex stylo Phaedri est, ut iam notavimus.

33. *Omnes favorem,* etc. Sensus est: Omnes ratum habendum dixerunt, quod Dii singulari favore operati fuerant.

FABVLA XVI.

AESOPVS ET DOMINA.

Quam noceat saepe verum dicere.

Æsopus turpi quum serviret feminae,
Quae se expingendo totum intricabat diem,
Vestem, uniones, aurum, argentum sumeret,
Nec inveniret digito qui se tangeret;
Licetne paucis, inquit? Dicas. Censeo,
Quidvis efficies, cultum si deposueris.
Adeone per mè videor tibi meliuscula?
Immo, nisi dederis, sponda cessabit tua.
At non cessabunt latera, respondit, tua;
Et obiurgari iussit servum garrulum.
Post paulo armillam tollit fur argenteam:
Eam non apparere ut dictum est mulieri,
Furore plena vocat omnes et verbera

1. *turpi*. Deformi, foeda at turpi facie. Sic Noster in vulgat. lib. III, fab. VIII, 2.

2. *se expingendo*. Faciem fuco, pigmentis illinendo. — *intricabat*. *Intricare* est *tricis* impedire, *tricae* autem saepe res nihili dicuntur. *Intricare diem* intelligi potest in tricis diem exigere.

3. *sumeret*. Consumeret. Non quod ea usu attereret, sed quod alia super alia in dies emens et aggerens, plura certe haberet sibi extra usum et plurimam pecuniam in his rebus perderet.

5. *Licetne paucis, inquit?* Supple verbis alloqui. Haec Aesopus ad Dominam, — *censeo*. Hic Aesopus loquitur.

6. *Quidvis efficies*, etc. Sensus est: ut ego quidem censeo, tu omni volo frueris, quosvis ad te pellicies, si istum cultum exueris.

7. *meliuscula*, id est, pulchrior, sine cultu et ornatu.

8. *Imo, nisi dederis*. Aesopus sermonem resumit, et ait: imo nisi tu quod in cultum impendis, amatoribus tuis largiaris. — *sponda cessabit*. Lectus tuus vacabit. *Sponda* proprie est pars lecti exterior. *Cessare* autem est vacare, otiari, nihil agere.

9. *cessabunt latera*. Nempe a verberibus. — *respondit*. Scilicet Aesopo Domina.

10. *obiurgari*. Flagris verberari. Cf. Varr. de L. L. VI, p. 80.

13. *vocat*. *Vocare ad verbera* non

Proponit gravia, verum si non dixerint.
Aliis minare, inquit, me non falles, hera:
Flagris sum caesus, verum quia dixi modo.

FABVLA XVII.

GALLVS LECTICA A FELIBVS VECTVS.

Nimiam securitatem saepe in periculum homines ducere.

Feles habebat gallus lecticarios.
Hunc gloriose vulpes ut vidit vehi,
Sic est loquuta: Moneo praecaveas dolum:
Istorum vultus namque si consideras,
Praedam portare iudices, non sarcinam.
Postquam esurire coepit societas fera,
Discerpsit dominum et fecit partes facinoris.

est reipsa verberare, sed intentare, minari verbera.

15. *me non falles.* Numquam fiet, ut ex timore tantum verberum, manifestando tibi veritatem flagris vere caedar, et sic propterea tu me fallas.

2. *gloriose.* Cum ostentatione, iactatione.

3. *est locuta.* Nempe ad Gallum.— *praecaveas. Dolum praecavere* est providere, cavere antequam malum quod timetur accidat. *Dolus autem* hic est periculum quoddam latens, quod specie fallat, et ideo *dolosum* dici possit.

5. *Praedam*, etc. Sensus est: tu sentles istos non portare te ut onus, sed ut praedam, ut cibum, quem devorent.

6. *societas.* Feles nempe lecticarii, qui plures erant, quatuor puta, aut sex.

7. *facinoris.* Galli per facinus et scelus occisi. Quod ex stylo Phaedri est, ut saepius iam observavimus. Cf. Phaedr. lib. I, fab. V, 3.

FABVLA XVIII.

SCROFA PARTVRIENS ET LVPVS.

Faciendum prius de homine periculum, quam eius te committas fidei.

Premente partu scrofa quum gemeret iacens,
Accurrit lupus et obstetricis partibus
Se posse fungi dixit, promittens opem.
Quae vero nosset pectoris fraudem improbi,
Suspectum officium repudiavit malefici;
Et, Satis est, inquit, si recedes longius.
Quod si perfidiae se commisisset lupi,
Pari dolore fata deflesset sua.

FABVLA XIX.

AESOPVS ET SERVVS PROFVGVS.

Non esse malo addendum malum.

Servus profugiens dominum naturae asperae,
Æsopo occurrit notus e vicinia.
Quid tu confusus? Dicam tibi clare, pater;
Hoc namque es dignus appellari nomine,
Tuto querela quia apud te deponitur.

1. *Premente.* Imminente, urgente; eleganter.

6. *satis est.* Supple *mihi.* Iannell. *recedas.*

7. *perfidiae lupi.* Ex auctoris stylo pro *lupo perfido.*

8. *Pari dolore.* Sensus est: eodem dolore, quo tum angebatur parturiens. — *fata deflesset sua.* Hic fatum pro calamitate, exitio. Sic Noster in vulgat. lib. I, fab. IX, vs. 10: *fata deploras tua.*

1. *profugiens.* Proprie de servis fugitivis. — *naturae asperae.* Saevae indolis.

2. *notus.* Qui ei erat notus.

3. *Quid tu confusus?* Verba Aesopi ad servum. Quid tu ita perturbatus? — *clare*, aperte.

Plagae supersunt, desunt mihi cibaria;
Subinde ad villam mittor sine viatico.
Domi si coenat, totis persto noctibus;
Sive est vocatus, iaceo ad lucem in semita.
Emerui libertatem, canus servio.
Vllius essem culpae mihi si conscius,
Aequo animo ferrem: nunquam sum factus satur,
Et super infelix saevum patior dominium.
Has propter causas et quas longum est promere,
Abire destinavi, quo tulerint pedes.
Ergo, inquit, audi: quum mali nil feceris,
Haec experiris, ut refers, incommoda:
Quid si peccaris? quae te passurum putas?
Tali consilio est a fuga deterritus.

6. *supersunt*. *Superesse* saepe est abundare, quo sensu puto hic verbum sumi, ut in Terent. Phorm. I, III, 10. — *desunt verbera*. Supple *mihi*. *Verbera* sunt ictus qui loris, flagris, aut fustibus infliguntur; plagae autem percussiones, quae pugnis, calcibus, saxis, veluti tundendo fiunt. Vid. Forcellin. Lexic. in his vocibus.

7. *Subinde*. Hic, ut puto, est identidem, saepe, per intervalla.

8. *coenat*. Dominus scilicet. —*persto*. Maneo, sto coram eo per integras noctes.

9. *vocatus*. Ad coenam apud alios. *Vocatus* proprie. — *iaceo*. Maneo, expecto. — *in semita*. *Semita* proprie est via angusta, quasi *semi iter* ut ait Varro L. L. lib. IV, cap. 4.

10. *Emerui libertatem*. Hic loquitur servus tanquam ex stricto iure in libertatem asserendus fuisset, ob longissimum servitium. — *canus*. Iam senex, cano capite.

12. *nunquam sum factus satur*. Nunquam tantum cibi mihi largitum est, ut fierem satur, ut famem explerem.

13. *super* pro insuper.

14. *et quas*. Et propter alias causas quas. — *promere*. Proprie. Nam de occultis et ignotis causis agitur.

16. *Ergo, inquit*, scilicet Aesopus.

18. *Quid si peccaris?* Quid futurum erat, si tu peccasses?

FABVLA XX.

EQVVS QVADRIGALIS IN PISTRINVM VENVMDATVS.

Ferendum esse aequo animo quicquid acciderit.

Equum e quadriga multis palmis nobilem
Abegit quidam et in pistrinum vendidit.
Productus ad bibendum quum foret a molis,
In circum aequales ire conspexit suos,
Vt grata ludis redderent certamina.
Lacrimis obortis, Ite felices, ait:
Celebrate sine me cursu sollemnem diem:
Ego quo scelesta furis attraxit manus,
Ibi sorte tristi fata deflebo mea.

FABVLA XXI.

VRSVS ESVRIENS.

Famem acuere animantibus ingenium.

Si quando in silvis urso desunt copiae,
Scopulosum ad littus currit et prendens petram
Pilosa crura sensim demittit vado;

2. *Abegit.* Proprie; nam iumenta, quae abducuntur et avertuntur, vi *abigi* dicuntur.

3. *Productus.* Eductus foras. — *a molis.* E pistrino, quod molis maxime constabat.

8. *quo.* In pistrino. — *attraxit.* Vi abduxit.

9. *sorte tristi.* Dura necessitate. *Sors* est quod cuique obtigit, quod a fatis attribuitur.

1. *copiae.* Cibi.

2. *Scopulosum.* Scopulis abundans, non ad terram quae littus dicitur, sed ad mare et vadum, quod littus alluit, refertur. — *prendens petram*, complectens tanquam brachiis petram, id est, scopulum.

3. *sensim.* Ne turbet vadum et ne strepitu esca fugiat. — *demittit.* Deorsum mittit. Sic legimus pro *dimittit* in Cod.

Quorum inter villos simul haeserunt canceres,
In terram arripiens excutit praedam maris,
Escaque fruitur passim collecta vafer.
Ergo etiam stultis acuit ingenium fames.

FABVLA XXII.

VIATOR ET CORVVS.

Verbis saepenumero homines decipi solere.

Quidam per agros devium carpens iter
Ave exaudivit, et moratus paululum,
Adesse ut vidit neminem, cepit gradum.
Iterum salutat, idem ex occulto sonus.
Voce hospitali confirmatus restitit,
Vt, quisquis esset, par officium reciperet.
Quum circumspectans errore haesisset diu
Et perdidisset tempus aliquot millium,
Ostendit sese corvus et supervolans
Ave usque ingessit. Tum se lusum intelligens:

4. *Quorum*, nempe crurum. — *simul.* Simul ac. — *canceres.* Cancri, genus piscis, quod in vadis et ad petras invenitur.

5. *arripiens*, supple *se*, In littus se celerrime proripiens, proiiciens. — *praedam maris*, ex mari collectam.

6. *passim.* Non uno ex loco, huc illuc.

7. *stultis.* Vrso scilicet, quem stultorum symbolum auctor posuit.

1. *devium carpens iter.* Quum per avia et devia loca teneret iter.

2. *Ave exaudivit.* Haec vox *ave* ad aures suas pervenit.

3. *cepit gradum.* Resumpsit gressum.

4. *Iterum salutat*, etc. Rursus eadem vox sonore ex occulto loco redditur.

5. *hospitali.* Amica; quam scilicet ab aliquo, qui hospitari eum vellet, reddi putaret.

6. *par officium reciperet.* Parem salutationem pateretur.

7. *errore.* Ex errore.

8. *aliquot millium.* Quod in percurrenda aliquot millia utilius impendisset.

10. *ingessit.* Ingeminavit, iteravit. *Ingessit* eleganter, sic Horatius Sat. I, v, 11, *convicia ingerere*.

At male tibi sit, inquit, ales pessime,
Qui festinantis male detinuisti pedes.

FABVLA XXIII.

PASTOR ET CAPELLA.

Nil occultum esse quod non reveletur.

Pastor capellae cornu baculo fregerat;
Rogare coepit, ne se domino proderet.
Quamvis indigne laesa, reticebo tamen;
Sed res clamabit ipsa, quid deliqueris.

FABVLA XXIV.

SERPENS ET LACERTA.

Vbi leonis pellis deficit, vulpinam insuendam esse; hoc est, ubi deficiunt vires, astu utendum.

Serpens lacertam forte adversam prenderat;
Quam devorare patula quum vellet gula,
Arripuit illa prope iacéntem surculum

12. *detinuisti.* Moratus es festinantem.

1. *baculo.* Virga pastorali. Proprie. Cf. Ovid. Metam. II, 781.

2. *Rogare coepit.* Pastor scilicet. Animadvertendum autem, haec e stylo Phaedri esse, qui saepissime ad similia τῷ *coepi* utitur, ut passim videre est in vulgatis: lib. I, fab. II, 8; fab. VIII, 5; fab. XII, 8; fab. XIV, 2, etc. etc.

4. *res clamabit.* Ipsum cornu abruptum te prodet, etsi ego taceam; ex proverbio. *Clamabit*, eleganter. Sic Cicer. de Finib. lib. II, c. 20, et IV, c. 19. — *quid deliqueris.* Quodnam fuerit peccatum tuum.

1. *adversam.* Ex parte adversa; ex cauda scilicet, non ex capite.

3. *Arripuit.* Nempe ore celerrime corripuit. Similem solertiam de ranis Aegypti, et chamaeleonte ex Alexandro Myndio refert Aelianus in Histor. Animal. lib. I, cap. 3, et lib. IV, cap. 33. — *surculum.* Parvam quamdam virgulam.

Et pertinaci morsu transversum tenens,
Avidum sollerti rictum frenavit mora.
Praedam dimisit ore serpens irritam.

FABVLA XXV.

CORNIX ET OVIS.

Multos lacessere debiles et cedere fortibus.

Odiosa cornix super ovem consederat;
Quam dorso quum tulisset invita et diu,
Hoc, inquit, si dentato fecisses cani,
Poenas dedisses. Illa contra pessima:
Despicio inermes, eadem cedo fortibus;
Scio quem lacessam, cui dolosa blandiar;
Ideo senectam mile in annos prorogo.

4. *pertinaci. Pertinax* ex *per* et *tenax*, qui obstinate et constanter *tenet*.

5. *rictum*. Oris hiatum et latam aperturam, *patulam* nempe *gulam*. — *mora* non abstracte hic sumitur pro cunctatione, sed pro ea re, quae fit mora. — *rectum*. Sic ed. Orell.

6. *dimisit ore*. Coactus fuit dimittere. — *irritam*. Vanam, qua frui et vesci non poterat.

1. *consederat*. Se imposuerat, in eius dorso obstinate manebat. *Sedeo* ad hanc rem eleganter sumitur. Sic Ovid. Amor. III, v, 23.

2. *Quam*. Cornicem.

3. *dentato*. *Dentatus* est dentibus instructus. Tota etenim canum vis in dentibus et morsu constat, iisque tantum laedunt: tum oves paucos et ineptos habent, neque iis quemquam petunt.

5. *inermes*. Scite Inermis opponitur *dentato* vs. 3. — *eadem*. Eadem ipsa.

6. *lacessam*. Lacessere vulgo est provocare. Hic vero ex prima sua potestate est absolute irritare, vexare. Fit enim a *lacero*, quod Charisius lib. III, Diomed. lib. I grammatobservarunt. Quo sensu eam vocem usurparunt, Lucret. IV, 598; Virg. Aen. XII, 85; Ovid. Trist. V, ix, 29.

7. *Ideo*, hac arte.

FABVLA XXVI.

SERVUS ET DOMINVS.(*)

Nullum maledictum esse gravius conscientia.

Quum servus nequam Socrati malediceret,
Vxorem domini qui corrupisset sui,
Idque ille sciret notum circumstantibus,
Places tibi, inquit, quia cui non debes places:
Sed non impune, quia cui debes non places.

FABVLA XXVII.

LEPVS ET BVBVLCVS.

Multos verbis blandos esse et pectore infideles.

Quum venatorem celeri pede fugeret lepus
Et a bubulco visus veprem irreperet:
Per superos oro, perque spes omnes tuas,
Ne me indices, bubulce; nihil unquam mali
Huic agro feci. Et rusticus, ne timueris;

(*) Hanc fabulam gallicus editor cl. *Chambry*, inficetam et Phaedro parum dignam, ut est misere restituta, iudicavit, ita ut eam prorsus omiserit. *G.*

2. *corrupisset*, constuprasset.

4. *Places tibi*, etc. Gaudesne modo de scelere quod patrasti? Tum places tibi, quum tibi placere non debes, nempe quum scelus patras.

5. *Sed non impune*. Sed haec scelesta voluptas haud tibi impune cedit, quia quum tu debes placere tibi, quod votis potitus fueris, tum tibi non places, quod scilicet te facti poenitet.

2. *irreperet*. Proprie. Nam irrepere is in aliquem locum dicitur qui latenter se in eum inducit.

4. *indices*. Ostendas, prodas venatori.

5. *ne timueris*. Ne timeas.

Late securus. Iamque venator sequens :
Quaeso, bubulce, numquid huc venit lepus?
Venit, sed abiit hac ad laevam; et dexteram
Demonstrat nutu partem. Venator citus
Non intellexit, seque e conspectu abstulit.
Tunc sic bubulcus : Ecquid est gratum tibi,
Quod te celavi? Linguae prorsus non nego
Habere atque agere maximas me gratias ;
Verum oculis ut priveris opto perfidis.

FABVLA XXVIII.

MERETRIX ET IUVENIS.

Multa esse iucunda, quae tamen sunt incommoda.

Quum blandiretur iuveni meretrix perfida,
Et ille laesus multis saepe iniuriis
Tamen praeberet sese facilem mulieri,
Sic insidiatrix : Omnes muneribus licet
Contendant, ego te plurimi facio tamen.
Iuvenis recordans quotiens deceptus foret,

6. *sequens*. Qui leporem insectabatur.

8. *dexteram*. Qua erat vepris, quo latebat.

9. *nutu*. *Nutus* dicuntur signa et motus oculorum, digitorum, brachiorum ad aliqua significanda, et proprie verbis sermonique opponuntur. Hic potissimum motus oculorum capitisque. — *citus*. Qui festinabat.

10. *Non intellexit*. Nutum Bubulci.

11. *Ecquid*. Pro num, numquid, an. — *gratum*. Hic non est iucundum, sed quod gratum facit, et pro quo grates habendae sunt.

14. *perfidis*. Qui datam mihi a te fidem prodiderunt, et nutu dexteram partem qua latebat Lepus indicaverunt.

1. *blandiretur*. Blanditias faceret. — *perfida*, quae datam fidem saepe falleret.

3. *praeberet sese facilem*. Indulgeret, morem gereret.

5. *Contendant*. Supple *de me*, ut me potiantur. — *plurimi facio*. Plusquam ceteros amo.

Lubenter, inquit, mea lux, hanc vocem audio,
Non quod fidelis, sed quod iucunda est mihi.

FABVLA XXIX.

FIBER

Multi viverent, si salutis gratia parvi facerent fortunas.

Canes effugere quum iam non possit fiber,
(Graeci loquaces quem dixerunt castorem
Et indiderunt bestiae nomen dei,
Illi, qui iactant se verborum copia)
Abripere morsu fertur testiculos sibi,
Quia propter illos sentiat sese peti.
Divina quod ratione fieri non negem:
Venator namque simul invenit remedium,

7. *vocem*. Hic *vox* non una singillatim vox, unum verbum, sed dictum, sermo, oratio.

8. *iucunda*. Quod mihi places. Iucunda ea sunt quae voluptatem afferunt, etiamsi aliunde grata non sint.

1. *effugere*. Vitare, ne scilicet ab eis caperetur et necaretur. — *fiber*. Animal amphibium in ripis orisque fluminum vivens, unde factum ei nomen videtur, si Varroni L. L. lib. IV, c. 15, et Festo in voc., credimus. Nam *fibras* seu *fimbrias* antiqui oras, fines dixerunt.

2. *castorem*. Etiamsi fibri *castores* apud Romanos passim appellarentur, ut ex Plin. lib. XXXII, cap. 3, et aliis patet; et non pauci docti viri, Tertullian. puta I advers. Marcion. cap. 1; Serv. ad Virg. Ge. I, 58; Isidor. Orig. XII, cap. 2, tanquam *castor* latina omnino vox esset, a *castrando* derivarent: attamen plane exploratum est *castor* graecam esse vocem, et ad Romanos a Graecis transiisse. Nam Aristoteles qui ea aetate floruit, qua Romani vix litteras adhuc noverant, de castore ut notissimo apud suos animali locutus est lib. VIII Hist. Anim. c. 5. Recte igitur ii faciunt qui καστωρ, veluti γαστωρ dictum putant, quod animal sit ventriosum.

5. *Abripere*, etc. Id ipsum tradiderunt, Plin. Hist. Nat. lib. VIII, cap. 30; Aelian. de Natur. Anim. lib. VI, cap. 34, alii.

7. *Divina ratione*, consilio futurum praesagiente.

8. *remedium*. Castoreum scilicet, quod fiber ad venatorem, ut mortem fugeret, proiecerat. Ad rem Iuvenal. Sat. XII, 34.

Omittit ipsum persequi et vocat canes.
Hoc si praestare possent homines, ut suo
Vellent carere, tuti posthac viverent;
Haud quisquam insidias nudo faceret corpori.

FABVLA XXX.

PAPILIO ET VESPA.*

Non praeteritam, sed praesentem aspiciendam esse fortunam.

Papilio Vespam praetervolitans viderat;
O sortem iniquam! dum vivebant corpora,
Quorum ex reliquiis animam nos accipimus,

9. *vocat*, ad se, ne amplius fibrum insequantur.

10. *praestare*. Efficere, exsequi. — *suo*. Suis opibus, suis divitiis.

12. *nudo corpori*. Homini bonis spoliato.

(*) Hanc fabulam Gallicus editor, cl. *Chambry*, ita obliteratam et tam misere restitutam iudicavit, ut illam prorsus omiserit.

2. Iannell. V. Cl. hunc versum ex reliquiis sic constituit: *O sortem miseram, ductam de barathris, ait!* — *ductam*. Eductam, acceptam, haustam. — *de Barathris*. Nempe, ut ego puto, ex folliculis, quibus bombyces, antequam papiliones fierent, se includunt. Barathrum quidem Graeci et Romani voraginem, foveam, altam scrobem appellabant. Verum haud mirum a papilione folliculos, quibus se tumulat, dici *barathra*, nam primum de re odiosissima invidiosissime loquitur, unde quaevis hyperbole videtur opportuna, tum etiam quod folliculi respectu sui revera sunt foveae et barathra. Ita Plaut. Curc. I, II, 24; Horat. Satyr. II, III, 66; Epist. I, XV, 31, ventrem helluonis dixerunt *barathrum*. Et Hieronymus Vida, poëta elegantissimus, et vix principibus veterum concedens, eos ipsos folliculos papilionum, domos clausas, carceres tenebrosos appellavit in lib. II de Bombyce v. 258 sq.

3. *Quorum*. Nempe barathrorum, folliculorum. — *ex reliquiis*. Auctor inducere potuit papilionem vocantem *reliquias* corpus suum, quod in folliculum clauderet: quia in eo tanquam in sepulcro et conditivo se veluti mortuum et defunctum componeret et sepeliret. Certe Graeci omnino νεκύδαλον, mortuum nempe et defunctum appellarunt. Et Vida in Bombyc. in ipsum Orcum demittit, et ad Stygem, et ad Ditem, et ad Cerberum. —*animam*. Fortasse hic *anima* haud vulgari et recepto sensu sumenda est, sed alio et penitiori. Graeci papilionem ψύχην etiam appellabant, ut ex Aristot. Hist. Anim. lib. V, cap. 19, atque aliis patet, insectum scilicet quod *anima*, aura levi duceretur.

Ego eloquens in pace, fortis proeliis,
Arte omni princeps inter aequales fui.
En cuncta levitas putris et volito cinis!
Tu qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcumque visum est laedis infixo aculeo.
Et Vespa dignam moribus vocem edidit:
Non qui fuerimus, sed qui nunc simus, vide.

FABVLA XXXI.

TERRANEOLA ET VULPES.

Pravis non esse fidem adhibendam.

Avis, quam dicunt terraneolam rustici,
In terra nidum quia componit scilicet,
Forte occucurrit improbae Vulpeculae;
Qua visa, pennis altius se sustulit.

Quidni ergo *anima* apud nostrum esse posset species, forma papilionis, qua volatilis factus esset et *anima* vehendus. Quamobrem utriusque versiculi sententia esset: O sortem miseram, quam nos duximus ex iis folliculis, ex quibus iterum sumpsimus animas, et in lucem denuo revocati sumus. Attamen si τὸ *barathris* non pro folliculis, sed pro inferis, pro Tartaro sumitur: si τὸ *re*.... non *reliquiis*, sed *recessibus* legimus, tum magis obvia forte et facilis sententia exurgeret. Esset enim huiusmodi: o sortem miseram quam nos ex ipso Orco, inferis traximus, ex quorum recessibus, latebris, recepimus animas nostras. Quidni ergo Vida, in Bombyc. loc. cit. aliquam veterem Fabulam spectare potuit, et eam etiam Auctor noster?

5. *Arte omni princeps*. Primus in omni arte. Et haec Oedipo egent. Forte tamen spectavit Auctor artificium quod exercent *Bombyces*, vel quum erucae sunt, vel quum folliculos sibi componunt.

6. *En cuncta*. Supple *mea*, vel *mei*. Quidquid ego modo sum. — *levitas putris*. Factus sum quid leve, putre.— *volito cinis*. Qui volito iamiam futurus cinis. Eodem modo Noster in vulgat. lib. III, fab. IX, v. 4: *dummodo absolvar cinis*.

1. *terraneolam*. Hanc avem ex genere Alaudarum isto nomine etiam modo nuncupant nostri rustici.

2. *In terra* Omnino humi, in solo.

3. *vulpeculae*. Vulpecula hic non vulpes parva, sed ipsa vulpes, et ad leporem et venustatem. Sic Noster in vulgat. lib. IV, fab. IX, 10: *tum vulpecula evasit*.

Salve, inquit illa, cur me fugisti, obsecro?
Quasi non abunde sit mihi in prato cibus,
Grilli, scarabei, locustarum copia:
Nihil est, quod metuas, rogo; te multum diligo,
Propter quietos mores et vitam probam.
Respondit contra: Tu quidem bene praedicas;
Non sum in campo par tibi, sed sum sub dio:
Quin sequere; salutem tibi committo meam.

FABVLA XXXII.

EPILOGVS. (*)

De iis, qui legunt libellum.

Hoc qualecunque est Musa quod ludit mea,
Nequitia pariter laudat et frugalitas,
Sed haec simpliciter; illa tacite irascitur.

5. *illa.* Vulpecula terraneolae.

10. *Respondit.* Terraneola. —*praedicas.* Supple *de me.*

11. *sub dio.* Sum in aëre. Terraneola enim ex aëre suspensa loquitur. *Dium* veteres circumiacentem aërem et quod super nos est appellabant, et ipsnm caelum.

12. *Quin sequere* etc. Ita vulpis vafricies ridetur. Nam verbis subdolis id efficere cupiebat, ut Terraneola sibi vitam suam committeret.

(*) Hos tres versiculos suppeditat codex Perottinus, neque adhuc in edito Phaedri libro apparuerunt. Visum est eos ad quempiam Epilogum pertinuisse.

2. *Nequitia.* Improbitas, malitia. Ex auctoris stylo, pro hominibus improbis. —*frugalitas.* Homines frugi, boni. Conf. Cicer. Tuscul. lib. III, cap. 8.

3. *simpliciter.* Supple *laudat.* Candide, ingenuo et sincero animo. —*tacite irascitur.* Invidi palam quidem mea carmina laudant, sed clam, in secreto mihi irascuntur.

APPENDIX

FABVLARVM AESOPIARVM XXXIV

E MSS. DIVIONENSI,

ANONYMO ET ROMVLO NILANTII,

ET ALIIS.

FABVLA I.

MILVUS ÆGROTANS.

Multos quum menses aegrotasset Milvus,
Nec iam videret esse vitae spem suae,
Matrem rogabat, sancta circumiret loca,
Et pro salute vota faceret maxima.
Faciam, inquit, fili; sed, opem ne non impetrem,
Vehementer vereor; sed qui delubra omnia
Vastando, cuncta polluisti altaria,
Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis rogem?

FABVLA II.

LEPORES VITÆ PERTÆSI.

Qui sustinere non potest suum malum,
Alios inspiciat, et discat tolerantiam.
Aliquando in silvis strepitu magno conciti
Lepores clamant, se propter assiduos metus
Finire velle vitam. Sic quemdam ad lacum
Venerunt, miseri quo se praecipites darent.
Adventu quorum postquam ranae territae,
Virides in algas misere fugientes ruunt:
Heu, inquit unus, sunt et alii, quos timor
Vexat malorum. Ferte vitam, ut ceteri.]

FABVLA III.

VULPIS ET IVPITER.

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.
  Humanam in speciem quum vertisset Iupiter
Vulpem, regali pellex ut sedit throno,
Scarabeum vidit prorepentem ex angulo,
Notamque ad praedam celeri prosiluit gradu.
Superi risere, magnus erubuit Pater,
Repudiatam turpemque pellicem expulit,
His prosecutus: Vive, quo digna es, modo,
Quae nostris uti meritis digne non potes.

FABVLA IV.

LEO ET MVS.

Ne quis minores laedat, fabula haec monet.
  Leone in silva dormiente, rustici
Luxuriantes mures, unus ex iis
Super cubantem casu quodam transiit.
Expergefactus miserum leo celeri impetu
Arripuit; ille veniam sibi dari rogat:
Crimen supplex fatetur, peccatum imprudentiae.
Hoc Rex ulcisci gloriosum non putans,
Ignovit et dimisit. Post paucos dies,
Leo, dum vagatur noctu, in foveam decidit.
Captum ut se agnovit laqueis, voce maxima
Rugire coepit; cuius immanem ad sonum
Mus subito accurrens: non est, quod timeas, ait,
Beneficio magno gratiam reddam parem.

Mox omnes artus, artuum et ligamina
Lustrare coepit, cognitosque dentibus
Nervos rodendo laxat ingenia artuum.
Sic captum mus leonem silvis reddidit.

17. *ingenia artuum.* Eleganter et venuste dixit *ingenia artuum*, pro artificioso et ingenioso apparatu nodorum currentium, quibus statim implicabatur fera, atque in latentes illos gladios incidebat. Sic Plinius in Epist. dixit *ingenium coenae*, pro *artificioso apparatu convivii*, et *ingenium soli.*

FABVLA V.

HOMO ET ARBORES.

Pereunt, suis auxilium qui dant hostibus.
Facta bipenni quidam ab arboribus petit,
Manubrium ut darent e ligno quod foret
Firmum; iusserunt omnes oleastrum dari.
Accepit munus, aptans et manubrium,
Coepit securi magna excidere robora.
Dumque eligebat quae vellet, sic Fraxino
Dixisse fertur Quercus: Merito caedimur.

FABVLA VI.

MVS ET RANA.

Mus, quo transire posset flumen facilius,
Auxilium ranae petit. Haec muris alligat
Lino priorem crus ad posterius pedem.
Amnem natantes vix medium devenerant,
Quum rana, subito fundum fluminis petens,

Se mergit, muri ut vitam eriperet perfide.
Qui dum, ne mergeretur, tendit validius,
Praedam conspexit Milüus propter volans,
Muremque fluctuantem rapuit unguibus,
Simulque ranam colligatam sustulit.
Sic saepe intereunt aliis meditantes necem.

FABVLA VII.

GALLI DVO ET ACCIPITER.

Gallus cum Gallo saepe pugnam conserens,
Accipitrem victus iudicem litis petit.
Hic, ambo si venirent, mente concipit
Spem devorandi, qui exhiberet se prior.
Mox quum venisse, causam ut orarent suam,
Vidit, prehendit illum, qui primus forum
Deduxit ad suum litem. Ille clamitans:
Ne plectar ego, sed ille, qui fugam petit.
Cui ales, hodie ne te credas unguibus
Posse eripi meis; quos alteri dolos
Tendebas, aequum te nunc est ipsum pati.
Qui saepe tractat aliorum secum necem,
Ignorat triste quid sibi fatum paret.

FABVLA VIII.

COCHLEA ET SIMIVS.

Amore tacta speculi inventi Cochlea,
Fulgentis orbem scandens, coepit lingere,
Nil illi melius contulisse se putans,
Quam si splendorem commacularet sordibus.
Vt inquinatum vidit speculum Simius:
Qui se calcari talibus permiserit,
Meretur, inquit, tale dedecus pati.
Haec illis est fabella scripta feminis,
Ineptis quae se iungunt et stultis viris.

FABVLA IX.

MVS VRBANVS ET RVSTICVS.

Hospitio quondam mus urbanus rustici
Exceptus, vili glande coenat in cavo.
Induxit precibus post, ut urbem rusticus
Cellamque intraret plenam rebus optimis.
In qua dum variis perfruuntur reliquiis,
Impulso venit ostio Cellarius,
Quo mures diffugiunt strepitu perterriti,
Et notis facile urbanus se condit cavis;
At miser ignota trepidans rusticus domo,
Timensque mortem, per parietes cursitat.
Vt, quae volebat, sustulit Cellarius,
Clausitque limen, iterum urbanus rusticum
Hortatur; ille perturbatis sensibus:
Vix, inquit, possum capere prae metu cibum.

Putasne veniet ille? Quid tantum times?
Vrbanus inquit; age, fruamur ferculis,
Quae frustra rure quaeras. Contra rusticus:
Tu, qui timere nescis, fruere his omnibus;
At me securum pascat glans et liberum.
In paupertate tutum praestat vivere,
Quam divitiarum carpi solitudine.

FABVLA X.

ASINVS DOMINO BLANDIENS.

Blandiri domino Asellus ut vidit suo
Canem, et de mensa saturari quotidie,
Et frusta largiter iactari a familia,
Sic est locutus: si canem immundissimum
In tantum dominus et familia diligit,
Quid me futurum, si par illi fecero
Officium, multo qui sum melior hoc cane,
Rebusque pluribus utilis et laudabilis;
Alor qui sanctae fontibus puris aquae,
Ciboque nunquam soleo pasci sordido?
Sum sane catulo dignior vita frui
Beatiore, honorem et summum consequi.
Asellus haec dum secum, stabulum conspicit
Intrare dominum; quare accurrens ocyus,
Rudensque prosilit, et humeris ambos pedes
Imponit, osque lingua coepit lingere,
Vestemque foedis scindens ungulis, gravi
Herum fatigat, stulte blandus, pondere.
Clamore domini concitatur familia;
Fustesque et saxa passim arripiens obvia;

Rudentem mulcat; et mox membris debilem
Fractisque coxis, domini lapsum a corpore,
Semianimum tandem deiicit ad praesepia.
  Fabella, ineptus ne se invitis ingerat,
Melioris aut affectet officium, docet.

FABVLA XI.

GRVS, CORNIX ET DOMINVS.

Foedus iuratae Grus et Cornix iunxerant,
Cornicem grus ab avibus ut defenderet;
Cornix futura, ut grus caveret, diceret.
Hinc quum frequenter ad cuiusdam rustici
Agrum volarent, atque evellerent sata
Radicitus, agri dominus vidit, et dolens;
Saxum da, clamat, quo feriam gruem, puer.
Cornix ut audit, illico monet gruem,
Sibi quae cavit. Alia dein die audiens
Cornix petentem saxum, rursus commonet
Gruem, ut vitaret sedulo periculum.
Avem divinam suspicatus rusticus
Audire iussa, puero, Si, inquit, dixero
Offam da, tu mihi clam lapidem porrige.
Grus venit, ille puerum offam iubet dare;
At ille lapidem, quo ferit gruem, dedit;
Et crura fregit. Vulneratus grus ait:
Divina cornix, ubi nunc auspicia tua?
Cur non monere socium, ut iuraveras,
Properasti, tale ne mihi veniret malum?
Respondit illa, non meretur ars mea
Culpari, sed dolosa sunt bilinguium

Consilia, qui aliud dicunt, atque aliud agunt.
Promissis ducunt qui imperitos subdolis,
Mox fictis causis haud desistunt ludere.

FABVLA XII.

AVES ET HIRVNDO.

Aves in unum quum devenissent locum,
Viderunt hominem seminantem linum agro.
Quod ut pro nihilo habere hirundo intelligit,
Sic convocatas allocuta traditur:
Hinc nobis instat omnibus periculum,
Si semen ad maturitatem venerit.
Aves risere. Germinavit ut vero seges,
Hirundo rursus, instat pernicies, ait:
Adeste, germen eruamus noxium,
Ne, si mox crescat, inde fiant retia,
Et nos possimus artibus humanis capi.
Ridere pergunt verba aves hirundinis,
Consilium et spernunt stulte prudentissimum.
At illa cauta, ad hominem se mox contulit,
Vt tuta tignis nidum suspendat suum.
Sed quae salubre monitum aves despexerant,
De lino factis captae pereunt retibus.

FABVLA XIII.

PERDIX ET VULPIS.

Resedit alta quondam Perdix arbore:
Advenit Vulpis: deinde sic coepit loqui:
O quanta vultus species est, Perdix, tui!
Coralla rostrum, crura vincunt purpurae
Fulgorem. At si dormires, quanto pulchrior
Esses! Vt stulta clausit oculos, illico
Rapit credentem Vulpis. Illa fletibus
Haec mixta gravibus verba supplex edidit:
Per o tuarum, Vulpis, artium decus,
Vt ante, quaeso, nomen proferas meum,
Sic devorabis. Vulpis, ubi voluit loqui,
Aperuit os: at Perdix evasit necem.
Decepta Vulpis, quid opus erat loqui mihi?
Respondet Perdix, et dormire quid mihi
Erat necesse, somnus cui non venerat?
  Hoc illis, qui loquuntur, ubi nil est opus,
Et qui, vigilare quum necesse, dormiunt.

FABVLA XIV.

ASELLVS, BOS, ET VOLVCRES.

Asellus et Bos, uno sociati iugo
Plaustrum trahebant: Bos, dum tendit validius,
Confregit cornu. Asellus nil levaminis
Sentire iurat se a consorte debili.
Laborem intendens, cornu rumpit alterum,
Terraeque tandem Bos procumbit mortuus.

Asinum bubulcus carne mox onerat Bovis.
Qui plagas inter mille ruptus concidit,
Et expiravit, media collapsus via.
Ad praedam Volucres convolantes inquiunt:
Si te precanti mitem exhibuisses bovi,
Non immaturo pasceres nos funere.

FABVLA XV.

LEO ET PASTOR.

Errans in silva spinam calcavit Leo,
Mox ad pastorem cauda venit blandiens:
Ne perturberis, imploro supplex opem,
Non praedam quaero. Ponit in gremio pedem
Homo sublatum, et, eximens spinam, gravi
Levat dolore. Redit hinc in silvas Leo.
Falso post tempus accusatus crimine
Pastor damnatur, atque ludis proximis
Ieiunis proiici iubetur bestiis.
Emissae dum discursitant passim ferae,
Agnovit hominem, qui medicinam fecerat,
Leo, et sublatum rursus in gremio pedem
Pastori ponit. Rex ut cognovit, statim
Silvis Leonem, et Pastorem reddit suis.

FABVLA XVI.

CVLEX ET TAVRVS.

Culex quum Taurum provocasset viribus,
Cuncti venerunt populi, ut pugnam cernerent.
Culex tum: satis est, quod venisti cominus:
Nam parvus mihi, iudicio sum magnus tuo.
Hinc se per auras penna sustulit levi,
Lusitque turbam, et Tauri destituit minas.
Quod si fuisset validae cervicis memor,
Et taurus hostem contemsisset sordidum,
Fuisset vana inertis gloriatio.
Amittit famam, qui se indignis comparat.

FABVLA XVII.

EQVVS ET ASINVS.

Asello sonipes phaleris occurrit tumens,
Et lassus multo tardius quod pondere
Viam dedisset transeunti: vix, ait,
Me teneo, quin te saevis calcibus exteram.
Tacuit Asellus, gemitu testatus Deos.
Equus, currendo ruptus parvo in tempore,
Ad villam mittitur. Hunc onustum stercore
Vt vidit Asinus, tali derisit ioco:
Quo, gloriose, phaleras has quondam tibi,
Modo ad despectam qui redisti miseriam.
Felix ne spernat, dubiae sortis immemor,
Humilem, quum quid futurus ipse, nesciat.

FABVLA XVIII.

VOLVCRES, QVADRVPEDES, ET VESPERTILIO.

Bellum gerebant volucres cum quadrupedibus,
Et vincebantur versa victores vice;
At Vespertilio, dubios eventus timens,
Ad illos semper, quos superasse viderat,
Se conferebat. In pacem quum pristinam
Redissent, fraus utrique generi apparuit.
Damnatus ergo tam pudendo crimine,
Lucem refugiens, atris posthac condidit
Se tenebris, sola noctibus semper volans.
Qui se duabus venditabit partibus,
Vtrisque ingratus vitam deget turpiter.

FABVLA XIX.

LVSCINIA, ACCIPITER ET AVCEPS.

Accipiter in Luscinii nido dum sedet,
Aurito insidians, illic pullos invenit.
Mater, periclo mota prolis, advolat,
Supplexque, pullis ut parcat suis, rogat.
Accipiter: quod vis, inquit, faciam, si bona
Cantabis voce carmen modulatum mihi.
At illa, quamvis excideret animus, tamen
Metu parebat, et coacta cantitat,
Luctuque plena. Praedam qui captaverat
Accipiter inquit, non tu cantasti bene;
Et unam ex pullis apprehendit unguibus,
Coepitque devorare. Ex diverso venit

Auceps, et calamo clam crescente, perfidam
Visco contingit, atque in terram detrahit.
  Quicunque fraudes alii tendit subdolas,
Timere debet, ne ipse capiatur dolo.

FABVLA XX.

LVPVS, VULPIS EP PASTOR.

Lupus per tempus maximam congesserat
Praedam in cubile, haberet ut cibaria,
Queis plures posset menses otio frui.
Vulpes ut novit, ad cubile abit Lupi,
Et voce tremula: an recte frater omnia?
Quod te non vidi silvis venantem tuis,
Tristem per omnes exegi vitam dies.
Lupus, livorem postquam agnovit aemulae,
Non tu sollicita huc causa venisti mea,
Sed partem ut captes. Fraude quid petas, scio.
Irata Vulpis ad ovium pastorem adit,
Agesne, pastor, inquit, gratias mihi,
Inimicum si tradidero hodie gregis tui,
Vt nunquam sis sollicitus? Pastor: serviam
Tibi, inquit, tribuam et quidquid volueris lubens.
Cubile monstrat illa pastori Lupi;
Qui clausum protinus peremit lancea,
Et gaudens de alieno saturavit aemulam.
Vt vero Vulpis in venantes incidit
Deprensa, canibus et laniata, sic ait:
Dedi vix alteri malum, et iam punior.
  Timere debet quisquis alii sustinet
Nocere, peius ipsi ne eveniat malum.

FABVLA XXI.

OVES ET LVPI.

Oves Lupique quum certassent praelio,
Illae vicerunt, tutae praesidio Canum.
Lupi legatos mittunt, et iustam petunt
Hac lege pacem, ut dederent Oves Canes,
Et obsides Luporum catulos reciperent.
Oves, aeternam sic sperantes gratiam
Iniri, faciunt quod poposcerunt Lupi.
Post paullo quum coepissent ululare catuli,
Lupi, necari causantes natos suos,
Pacemque ruptam ab Ovibus, undique impetu
Invadunt facto nudas defensoribus;
Fidem quae stultae quod habuerant hostibus,
Consilium sera damnat poenitentia.
  Praesidium, quo quis olim tutus vixerat,
Si prodat aliis, frustra post desiderat.

FABVLA XXII.

SIMIVS ET VULPIS.

Rogabat Vulpem Simius, caudae suae
De magnitudine aliquid ut sibi daret,
Nates velare quo posset turpissimas.
Quid enim, inquit, cauda tantae longitudinis
Prodest? quo tantum pondus per terram trahis?
Cui Vulpis, esset quamvis illa longior,
Maiorque multo, mallem per terram et lutum
Spinasque trahere, quam partem tibi dare,

Meo ne tegmine videaris pulchrior.
Avare, te fabella haec, et locuples, monet,
Qui, quamvis superest, nil tamen das pauperi.

FABVLA XXIII.

LVPVS, PASTOR ET VENATOR.

Quum Venatorem fugeret instantem Lupus,
Et a pastore visus, qua parte fugeret,
Et quo se conderet loco, plenus metu,
Omnes per, oro te, Bubulce, spes tuas,
Ne prodas innocentem, cui nihil mali
Fecisse me, per magnos adiuro Deos.
Noli timere, Pastor inquit, alteram
Monstrabo partem. Mox Venator advolat:
Non huc venire, Pastor, vidisti lupum?
Qua parte fugit? cui Pastor: venit quidem,
Sed laeva fugit, voce dixit maxima;
At oculis clam designat partem dexteram.
Non intellexit ille, et festinans abit.
Lupo tunc Pastor, quas habebis gratias,
Quod te celarim? Maximas linguae tuae,
Lupus ago, dixit, at oculis fallacibus
Æternae caecitatem noctis imprecor.
Qui verbis blandus, fraudem celat pectore,
Hoc argumento se describi intelligat.

FABVLA XXIV.

HOMINES DVO, FALLAX, VERAX ET SIMII.

Agentes Mendax et simul Verax iter,
In Simiorum forte terram venerant.
E terra ut vidit unus, qui se fecerat
Regem, teneri iussit illos, sciret ut,
De se quid homines dicerent; simul iubet
Omnes adstare Simios longo ordine,
Dextra laevaque; sed sibi poni thronum,
Vt hominum reges quondam facere viderat.
Mox iussos homines in medium adduci rogat:
Qualisnam vobis esse videor, hospites?
Respondit mendax: Rex videris maximus.
Quid hi, quos apparere nunc vides mihi?
Hi comites, hi legati, et militum duces.
Mendacio laudatus cum turba sua,
Adulatori munus imperat dari.
Hic secum Verax: tanta si mendacio
Sit merces, quanto non ego, dixit, munere
Donabor, verum si pro more dixero?
Hinc ad Veracem Simius: Et qualis tibi
Videor, et illi, quos stare ante me vides?
Respondit ille: verus es tu Simius,
Et Simii omnes illi, qui similes tui.
Iratus illum dentibus Rex imperat
Lacerari et unguibus, quod vera dixerat.
  Blandum laudatur a malis mendacium:
Bonis honesta fert exitium veritas.

FABVLA XXV.

HOMO ET LEO.

Homo certabat cum Leone, fortior
Quis esset, litisque huius testimonium
Dum quaerunt, ad sepulcrum tandem venerunt;
Elisis in quo ab homine pictum faucibus
Leonem ostendit, argumentum virium.
Leo respondit: humana hoc pictum manu.
Videres hominem deiectum, si pingere
Leones scirent. Sed ego testimonium
Dabo virtutis certius. Ad spectaculum
Induxit hominem, monstrans ubi bona fide
Enectos a leonibus homines, ait:
Non est colorum testimoniis opus,
Hic exhibetur vera virtus actibus.
  Colore frustra mendaces uti docet
Fabella, certa quum datur probatio.

FABVLA XXVI.

CICONIA, ANSER ET ACCIPITER.

Venisset notum ad stagnum quum Ciconia,
Mergentem invenit se frequenter Anserem
Sub undis; quaerit cur hoc faceret. Ille ait:
Haec nobis consuetudo est, et in luto
Reperimus escam, et Accipitris simul impetum
Venientis ad nos tuti sic evadimus.
Sum multo Accipitre fortior, Ciconia
Inquit, amicitiam si vis mecum iungere,

Illi insultare victor poteris credulus.
Et protinus auxilium petens Anser, simul
In agrum prodit; illico supervenit
Accipiter, et comprensum saevis unguibus
Fugiente devorat Anserem Ciconia.
Cui Anser: qui patrono se tam debili
Credit, peiore finiri debet nece.

FABVLA XXVII.

OVIS ET CORNIX.

In tergo Cornix otiosa considens
Ovis, tundebat illud rostro: quum diu
Fecisset, inquit patiens Ovis iniuriae:
Hanc si fecisses contumeliam Cani,
Eius latratum haud ferres. At Cornix Ovi:
Collo tam forti nunquam sedeo, nam scio
Quod debeam lacessere, annis callida;
Acribus amica, at importuna inermibus.
Sic me creatam Dî voluerunt vivere.
His, qui lacessunt innocentes infimi,
Vexare fortes metuunt, scripta est fabula.

FABVLA XXVIII.

FORMICA ET CICADA.

Hiemis Formica grana tempore e cavo
Trahens siccabat, quae prudens collegerat
Æstate. Esuriens hanc, ut aliquid sibi daret,

Rogat Cicada. Cui Formica: Æstate quid
Agebas? inquit. Illa: non erat otium,
Vt de futuro cogitarem tempore;
Errabam cantans per sepes et pascua.
Ridens Formica, et grana referens, sic ait:
Æstate quae cantasti, age, salta frigore.
Piger laboret certo semper tempore,
Ne, quum nil habeat, poscens accipiat nihil.

FABVLA XXIX.

EQVVS ET ASINVS.

Equum rogabat Asinus paullulum hordei.
Libenter, ait; et, si superesset, largiter
Pro dignitate nostra tribuerem tibi:
Simul sed nostra vespere ad praesepia
Venero, mox plenum farre sacculum dabo.
Asellus inquit: nunc qui rem parvam negas,
Quid in maiore te facturum existimem?
Qui, magna quum promittunt, parva denegant,
In dando se tenaciores indicant.

FABVLA XXX.

LEO SENEX ET VULPES.

Defectus annis, languorem finxit Leo.
Ægrotum ad regem visitandum bestiae
Plures venerunt; devorat quas protinus.
Sed cauta Vulpis ante speluncam procul

Stabat salutans regem. Quam rogat Leo,
Cur non intraret: video quod vestigia
Intrantium multa, at nulla exeuntium.
Prodesse cautis pericula aliorum solent.

FABVLA XXXI.

PVLEX ET CAMELVS.

Pulex Cameli dorso forte considens,
Gravatus multis qui incedebat sarcinis,
Sibi placebat, longe visus altior.
Iter quum longum facerent, vespera simul
Ad stabulum venerunt. Pulex leviter statim
Ad terram saliens, ecce, dixit, ocyus
Descendo, attritum ne gravem diutius.
At ille, gratum est, inquit, sed nec pondere,
Te imposito, me gravari sentire potui,
Nec, te deiecto, habere quid levaminis.
Qui se sublimi, nullo quum sit ordine,
Iactat, notatus in despectum devenit.

FABVLA XXXII.

HOEDVS ET LVPVS.

Capella, fetum ut custodiret, exiens
Pastum, imprudentem monuit Hoedum, ne ostium
Aperiret, multas quod sciret stabula feras
Circuire pecorum. Vt abiit, advenit Lupus,
Adsimilans vocem matris; et iubet fores

Sibi reserari; ut Hoedus audivit, Lupo,
Per rimam spectans, inquit: audio sonum
Matris, sed fallax atque inimicus es mihi,
Sub voce matris nostrum quaeris sanguinem
Potare, et nostra carne satiari. Vale.
Laus magna natis, obsequi parentibus.

FABVLA XXXIII.

PAVPER ET SERPENS.

Serpens in aedibus cuiusdam Pauperis
Venire semper ad mensam consueverat,
Et inde micis pascebatur largiter.
Dives post paullo factus, irasci incipit
Serpenti, et vulnerat secure. Tempore
Ad pristinam interposito egestatem redit.
Pro sorte varia serpentis postquam videt
Fortunam mutari suam, blande petit,
Ignoscat ut peccanti; cui serpens ait:
Te poenitebit sceleris, usque dum mea
Cicatrix clausa fuerit; at tamen optima
Fide me posthac noli amicum credere.
Redire tamen hac lege in gratiam volo,
Securis nunquam perfidae si meminerim.
Suspectus esse debet, qui laesit semel,
Et caute semper integranda gratia.

FABVLA XXXIV.

AQVILA ET MILVUS.

In ramo tristis sederat cum Milvo
Aquila. Quid vultu te tam moesto, Milvus,
Conspicio? Quaero, dixit illa, coniugem
Parem, nec invenire possum. Me accipe,
Te multo qui sum fortior. Quid? an potes
Ex rapto victum quaerere? Vnguibus meis
Struthiocamelum rapui prensum saepius.
Inducta verbis Aquila coniugem capit.
Parvo post nuptias transacto tempore,
Aquila: abi, et praedam promissam mihi rape.
Volans in altum, soricem immundissimum
Et longo Milvus affert putridum situ.
Haecne est polliciti, Aquila dixit, fides tui?
Cui Milvus: ego, ut pervenirem nuptias
Ad regias, nihil non posse me fidem
Dedissem, quamvis me nequire noverim.
  Qui se maiores cupidi quaerunt coniuges,
Dolent decepti se post iunctos vilibus.

ROMVLI

FABVLARVM AESOPIARVM

LIBRI IV

AD CODICEM DIVIONENSEM

ET PERANTIQVAM EDITIONEM VLMENSEM

NVNC PRIMVM CASTIGATI.

LIBER PRIMVS.

Romulus Tyberino Filio S. De civitate Attica Æsopus quidam, homo graecus et ingeniosus, fabulis suis docet, quid homines observare debeant. Verum ut vitam hominum et mores ostenderet, induxit aves, arbores, et bestias et pecora, loquentes probanda cuiuslibet fabula: ut noverint homines, fabularum cur sit inventum genus, aperte et breviter narravit. Apposuit vera malis, composuit integra bonis, scripsit calumnias malorum, argumenta improborum docens, infirmos esse humiles, verba blanda potius cavere, et cetera multa, variis his exemplis scripta. Id ego Romulus transtuli de graeco sermone in latinum. Si autem legis, Tyberine fili, et pleno animo advertis, invenies apposita loca, quae tibi moveant risum, et acuant satis ingenium.

---

1. Aesopus primam de se dixit fabulam.

PVLLVS AD MARGARITAM.

(Phaedr. lib. III, fab. XII; Anon. Nil. fab. I; Romul. Nil. fab. I.)

In sterquilinio quidam pullus gallinacius dum quaerit escam, invenit margaritam, in loco indigno iacentem. Quam ut vidit, sic ait: o bona res, in stercore hic iaces! Te si cupidus invenisset, quo

gaudio te rapuisset, ut redires ad splendorem pristinum decoris tui. Ego frustra te in hoc loco invenio iacentem, ubi potius mihi escam quaero. Nec tibi ego prosum, nec tu mihi.

Haec illis Aesopus narrat, qui ipsum non intelligunt.

---

2. Aesopus de innocente et improbo talem retulit fabulam.
(*Vincentius*: Contra calumniosos.)

LVPVS ET AGNVS.

(Phaedr. lib. I, fab. I; Anon. Nil. fab. III; Romul. Nil. fab. II.)

Agnus et Lupus sitientes ad rivum e diverso venerunt. Sursum bibebat Lupus, longeque inferior Agnus. Lupus ut Agnum vidit, sic ait: turbasti mihi aquam bibenti. Agnus patiens dixit: quomodo aquam turbavi tibi? quae a te ad me decurrit. Lupus non erubuit veritatem; maledixisti mihi, inquit, ante sex menses. Agnus ait: non maledixi: numquid ego natus fui? Lupus dixit: ergo pater tuus ita fecit mihi. Sic Lupus improba fauce dixit: et adhuc loqueris latro? et statim se in eum iniecit, et innocenti vitam eripuit.

Haec in illos dicta est fabula, qui hominibus calumniantur.

3. Qui de salute alterius adversa cogitat, non effugit poenam. De hoc talem audite fabulam.

MVS ET RANA.

(Romul. Nil. fab. III; Anon. Nil. fab. 4; App. Burm. fab. 6.)

Mus quum transire vellet flumen, a rana petiit auxilium. At illa grossum petiit linum, quo murem sibi ad pedem ligavit, et natare coepit. In medio vero flumine rana se deorsum mersit, ut misero muri vitam eriperet. Ille validius dum teneret vires, milvus e contra volans, murem cum unguibus rapuit, simul et ranam pendentem sustulit.

Sic et illis contingit, qui de salute alterius adversa cogitant.

---

4. De calumniosis hominibus talis dicitur fabula, quod semper calumniosi in bonis cogitant mendacium, et secum faventes adducunt, et falsos testes emunt. De his ergo haec proponitur fabula.

OVIS, CANIS, LVPVS, MILVUS ET ACCIPITER.

(Phaedr. lib. I, fab. XVII; Anon. Nil. fab. V; Romul. Nil. fab. IV.)

Canis calumniosus dixit deberi sibi ab ove panem, quem dederat mutuum. Contendebat autem ovis, nunquam se ab illo panem accepisse. Quum autem ante iudicem venissent, canis se dixit habere testes. Introductus lupus ait: scio panem commendatum ovi. Introductus milvus: coram me, inquit, accepit. Accipiter quum introisset, inquit: quare negasti quod accepisti? Victa ovis a tribus testibus falsis iudicatur artius exigi. Coacta vero ante tempus lanas suas vendidisse dicitur, ut, quod non accepit, redderet.

Sic calumniosi faciunt mala innocentibus et miseris.

5. Amittit proprium, quisquis avidus alienum appetit. De talibus Aesopi fabula sic narrat.

CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.

(Phaedr. lib. I, fab. IV; Anon. Nil. fab. VII; Rom. Nil. fab. V.)

Canis flumen transiens, partem carnis ore tenebat. Cuius umbram quum vidisset in aqua, aliam carnem credens, patefecit os suum, ut illam caperet. Statim eam, quam prius tenebat, fluvius tulit; et illam, quam sub aqua esse putabat, obtinere non potuit.

Sic saepe qui alienum quaerit, dum plus vult, suum perdit.

---

6. Dicitur nunquam esse fidelis cum potente divisio. Videamus quid haec fabula narret.

VACCA ET CAPELLA, OVIS ET LEO.

(Phaedr. lib. I, fab. V; Anon. Nil. fab. IX; Rom. Nil. fab. VI.)

Vacca et capella et ovis socii fuere cum leone simul. Qui quum in saltibus venarentur, et cepissent cervum, factis partibus, Leo sic ait: Ego primam tollo, ut leo; secunda pars mea est, eo quod sim fortior vobis; tertiam vero mihi defendo, quia plus vobis cucurri; quartam autem qui tetigerit, inimicum me habebit. Leo totam praedam illam solus improbitate abstulit.

Cautos monet haec fabula, non sociari potentibus.

7. A natura nemo mutatur, sed de malo peior nascitur.
De hoc audi fabulam.

RANÆ AD SOLEM.

(Phaedr. lib. I, fab. VI; Anon. Nil. fab. X; Rom. Nil. fab. VII.)

Vicini qui erant fures, frequentabant nuptias. Sapiens quum intervenisset, vicinos gratulari ut vidit, continuo narrare coepit: Audite, inquit, gaudia vestra. Sol uxorem voluit ducere. Omnis natio interdixit ei, et magno clamore Iovi convitiis non tacuere. Iupiter commotus ab illis causas iniuriae quaerit. Tunc unus ex illis ait Iovi: modo sol unus est, et aestu suo omnia turbat, ut deficiat simul omnis natura: quidnam nobis erit futurum, quum sol creaverit filios?

Admonet haec locutio, malis hominibus non gratulari.

---

8. Quicunque malo benefacit, satis peccat.
De quo iamiam audi fabulam.

LVPVS ET GRVIS.

(Phaedr. lib. I, fab. VIII; Anon. Nil. fab. LXIV; Romul. Nil. VIII.)

Ossa lupus quum devoraret, unum ex illis haesit ei in faucibus transversum, graviter eum affligens. Invitavit lupus magno pretio, qui hoc extraheret malum. Rogabatur gruis collo longo, ut praestaret lupo medicinam. Id egit, ut immitteret caput, et extraheret malum de faucibus lupi. Sanato lupo, rogabat gruis, reddi sibi promissa praemia; at lupus dicitur dixisse: ingrata est illa gruis, quae caput

incolume extulit, non vexatum dente nostro, et mercedem postulat. O iniuria meis virtutibus.

Parabola haec illos monet, qui volunt benefacere malis.

---

9. Blanda verba hominis mali graves faciunt iniurias. Quas ut omnes vitemus, subiecti versus monent.

CANIS PARTVRIENS.

(Phaedr. lib. I, fab. XIX; Anon. Nil. fab. LIV; Rom. Nil. fab. IX.)

Canis parturiens rogabat alteram, ut in eius cubile, exponeret fetum. At illa roganti concessit ingressum, ut partum exponeret. Deinde iterum rogabat, ut cum catulis suis iam firmis exiret: illa vero roganti non concessit. Paullo post illa coepit cubile suum repetere, et minando illam, ut exiret, hortari. At illa a stomacho sic ait: Quid me deturbas cum iniuria? Si mihi meaeque turbae occurras, et si sis fortior nobis, reddam tibi locum.

Sic saepe boni amittunt sua per aliorum verba blanda.

---

10. Qui fert malo auxilium, sciat, quia satis peccat; et quum illi benefecerit, sciat, sibi noceri ab illo. Ideo hanc audiamus fabulam.

HOMO ET COLVBRA.

(Phaedr. lib. IV, fab. XVIII; Anon. Nil. fab. XI.)

Frigore et gelu rigentem quidam pietatis causa colubrum ad se sustulit, et intra latera sua habuit, et eum tota hieme fovit. Refectus ad tempus coepit

esse iniuriosus, et veneno multo foedare, et ne cum gratia exiret; iniuriosus pelli voluit.

Hanc sciant multi fabulam, qui voluntate quidem sua aliquos ingratos fovent, qui quum exire volunt, nocent.

---

11. De male ridentibus sapiens talem subiecit fabulam.

ASINVS IRRIDENS APRVM.

(Phaedr. lib. I, fab. XXIX; Anon. Nil. fab. XII.)

Aliqui homines, quum sibi faciunt risus, alii quidem faciunt contumeliam, sed sibi congerunt malum; veluti asinus occurrit apro: salve, inquit, frater! Indignatus aper tacuit dissimulans, agitavitque caput. Absit a me tamen, inquit, ut de vano sanguine dentes meos coinquinem. Nam oportebit vel iniuriosum, vel laceratum relinquere.

Monet haec fabula; insipientibus parci debere, stultos autem defendere, qui insultare audent melioribus.

---

12. Securum in paupertate vivere, melius esse, quam divitem taedio macerari, per hanc brevem auctoris probatur fabulam.

MVS VRBANVS ET RVSTICVS.

(App. Burm. fab. IX; Anon. Nil. fab. XIII; Rom. Nil. fab. X.)

Mus urbanus iter agebat, sicque a mure agrario rogatus hospitio suscipitur, et in eius brevi casella ei glandes et hordeum exhibuit. Deinde mus urbanus rediens murem agrarium rogabat, ut etiam ipse secum pranderet: factumque est, dum simul transi-

rent, ut ingrederentur domum honestam, in qua erat cellarium omnibus bonis plenum. Quum haec mus muri ostenderet, sic ait: Fruere mecum, amice, quae nobis quotidie superant. Quumque multis cibariis vescerentur, venit cellararius festinans, et ostium cellarii impulit. Mures, strepitu territi, fugam per diversa petierunt. Mus urbanus notis cavernis cito se abscondit; at miser ille agrarius fugit per parietes ignarus, putans se morti proximum. At ubi exiit cellararius, cellae ostio clauso, sic mus urbanus agrario dixit: quid te turbasti fugiendo? fruamur, amice, istis bonis; nihil verearis, nec timeas. Agrarius haec contra: Tu fruere, inquit, istis omnibus, qui nec times, nec pavescis, nec te turbatio quotidiana terret. Ego vero fruar bonis in agro, ubi ego vivo frugi in agro, ad omnia laetus, nullus me terret timor, nulla perturbatio corporis. Nam tu vivis sollicitus, nulla tibi est satietas. At tenso musciipulo teneris, aut captus a catto comederis.

Haec fabula illos increpat, qui se iungunt melioribus, ut fruantur aliquo bono, quod ipsis a natura datum non est. Diligant frugalem vitam homines, et securi erunt in sua casella.

---

13. Qui tutus et munitus est, a malo consiliatore everti potest. De hoc auctor sic ait.

AQVILA, CORNIX ET TESTVDO.

(Phaedr. lib. II, fab. VI; Rom. Nil. fab. XII.)

Aquila testudinem rapuit, et alto caelo cum ea volavit. Testudo se intra se collegit, nec ullo pacto tangi potuit. Contra volat cornix, laudans verbis

aquilam, Optimam, inquit, fers praedam, sed nisi ingenio utaris, frustra portabis onus, nec utilis erit tibi haec praeda. Tunc aquila illi partem promisit. At cornix tale consilium dedit, et ait: usque ad astra volato, et ab alto super petram praeda tua cadat, ut concha fracta, fruamur esca. Sic aquila fecisse dicitur, et quam natura munierat, testudo iniquo consilio cornicis periit.

---

14. Qui se laudari gaudent verbis subdolis, decepti poenitent. De quibus similis est fabula.

VULPIS ET CORVUS.

(Phaedr. lib. I, fab. XIII; Anon. Nil. fab. XV; Rom. Nil. fab. XIII.)

Quum de fenestra corvus caseum raperet, alta consedit in arbore. Vulpis ut hunc vidit, sic ait corvo: O corve, quis similis tibi? et pennarum tuarum quam magnus est nitor! qualis decor tuus esset, si vocem habuisses claram; nulla prior avis esset. At ille dum vult placere et vocem ostendere, validius clamavit, et, ore patefacto, oblitus caseum deiecit. Quem celeriter vulpis dolosa avidis rapuit dentibus. Tunc corvus ingemuit, et stupore detentus deceptum se poenituit. Sed irreparabile factum damnum quid iuvat poenitere?

15. Quisquis amisit dignitatem, deponat audaciam pristinam, ne a quolibet iniuriam patiatur, ut haec fabula probat.

LEO SENEX, APER, TAVRVS ET ASINVS.

(Phaedr. lib. I, fab. XXI; Anon. Nil. fab. XVI; Rom. Nil. fab. XIV.)

Annis defectus et viribus leo quum gravatus iaceret, spiritum extremum trahens, aper ad eum venit iratus, spumans fulmineis dentibus, et vindicavit ictum veterem. Taurus confodit cornibus hostile corpus. Vt asinus sic vidit feram, calcibus illi frontem contudit. At ille cum gemitu suspirans, sic dixisse fertur: quum esset virtus mea, fuit honor; fuit timor, ut omnes visione mea fugerent, et opinio ipsa terreret plures; multos autem benivolus non laesi, sed et ipsis auxiliator fui qui omnes nunc mihi malignantur; et quia sum sine viribus, nullus est honor pristinus.

Monet haec fabula multos, mansuetos esse in dignitate.

---

16. Quem non decet reddere officia, ut quid se ingerit melioribus? de quo auctor talem subiecit fabulam. (*Vincentius*: contra illos, qui indecenter ad officia meliora reddenda indigni se ingerunt.)

ASINVS DOMINO BLANDIENS.

(Burm. App. fab. X; Anon. Nil. fab. XVII; Rom. Nil. fab. XV.)

Asinus quum quotidie videret catello blandiri dominum, et de mensa saturari illum, et familiam illi plura largiri, sic dixisse fertur: si animal immundissimum sic diligit dominus meus, totaque familia, quantum utique me diligeret, si obsequium illi prae-

stavero? enim melior sum cane, ad plurima utilis officia: insuper aqua de sanctis fontibus alor; cibus mihi mundus datur. Melior sum catello; meliore vita possum frui, et maximum honorem habere. Quum haec asinus secum cogitasset, vidit dominum introire; occurrit velocius; clamans prosiluit super eum, humerisque suis pedes anteriores imposuit, linguaque, ut catellus (catella) solebat, eum lingens, vestem etiam suam deturpavit, suo pondere ipsum fatigando. Clamore autem domini concitatur omnis familia. Fustes arripiunt et lapides; asinum verberibus debilitant: membris costisque fractis, eum ad praesepium ligant lassum atque semivivum.

Fabula monet, ne quis indignus se ingerat, ut melioris officium faciat.

---

17. Innox si peccaverit et roget, oportet ut veniam accipiat, ne forte sit, ubi ulciscatur. Ideo hanc audiamus fabulam.

LEO ET MVS.

(App. Burm. fab. IV; Anon. Nil. fab. XVIII; Rom. Nil. fab. XVI.)

Dormiente leone in silva, mures agrarii luxuriantes, unus ex illis super leonem non voluntate transiit. Expergefactus leo celeri manu miserum murem apprehendit. Rogabat ille, veniam sibi dari, quum non voluntate fecerit; reddens causam peccati sui, quod plures luxuriarentur; et solus (solum) inter ceteros peccasse supplex fatetur. Leo vero de mure cogitabat in tali re quali subiiceretur vindictae. Si enim occideret miserum murem, crimen illi erat, nec aliqua gloria laudis. Verum ignovit et dimisit. Post paucos autem dies leo in foveam cecidit. Captum se ut

agnovit, maxima voce rugire coepit, et magno dolore dat sonum. Mus vero ut hoc agnovit, ad eum cucurrit, quid tali leoni accidisset, vel quid mali evenisset, quaesivit. At ubi leonem captum cognovit: non est, inquit, iam quod timeas. Parem gratiam tibi reddam, non immemor beneficii. Dixit, et simul omnes illius artis ligaturas lustrare coepit. Cognovit loca rodenda: sumpsit laborem oris sui, et dentibus nervos coepit secare, et laxare artis illius ingenia. Sic mus leonem captum liberum silvis restituit.

Monet haec fabula, ne quis minimos laedat.

---

18. Qui semper blasphemat, in angustia quid rogat? Videamus qualem de hoc auctor subiecit fabulam.

MILVUS ÆGROTANS.

(App. Burm. fab. 1; Nil. fab. A. p. 133.)

Milvus quum aegrotaret et multis mensibus infirmus iaceret, nec spem vitae suae videret iam esse, matrem cum lacrimis rogabat, ut sanctã loca circumiret, et pro salute illius vota magna promitteret. Faciam, inquit, quod vis; verum ne non impetrem illud, vereor, nate, et vehementer timeo. Quando omnia delubra vastasti, et cuncta polluisti altaria, nec pepercisti sacrificiis; nunc quid vis, ut orem? Audiant haec, qui commisso malo audent in malis suis loca sancta circumire maculati. Sed faciem et manus lavare debent, ut facta eorum mala deleantur.

19. Qui non audit bonum consilium, in se inveniet malum, ut haec approbat fabula.

AVES ET HIRVNDO.

(App. Burm. fab. XII; Anon. Nil. fab. XX; Rom. Nil. fab. XVII.)

Arari terram et spargi lini semen aves omnes quum viderent, pro nihilo hoc habuerunt. Hirundo autem hoc intellexit, et convocatis avibus retulit, hoc esse malum. Omnes dissimulantes riserunt. Deinde ut fruticavit, iterum hirundo ait illis: hoc in nostrum crescit interitum; venite, eruamus illud. Nam quum creverit, retia facient ex illo, et humanis quidem artibus capi possumus. Omnes verba hirundinis deriserunt, eiusque respuentes consilium contempserunt. Vt hoc vidit hirundo, ad homines se transtulit, ut tuta esset sub tectis eorum. At quae respuerunt monita, nolentes audire consilium, semper in retia cadunt.

Audiant haec propriis semper innitentes opinionibus, neque aliorum consiliis assentientes.

Omne genus fabularum probatur contra homines. Quis enim malus nisi homo? et quis bonus nisi homo? Vitam hominum et mores satis est comprehendere; et tamen ausus sum breviter similes scribere fabulas. Dicam equidem bonorum, sive nocentium gesta, quod ille securus vivat, qui non habet, quem timeat.

Athenienses viri boni quum optimi fuissent et liberi, et neminem timerent, et sibi invicem servirent cum optima et bona voluntate, vano consilio inducti, superiorem sibi petierunt, qui improborum mores compesceret et puniret. Exinde multi terrebantur; alii praedam patiebantur; alii autem et puniebantur; et quasi sub correptione dolebant, alios haec sibi fecisse, quod miseri laedebantur: et quia caedem hanc severam legitime sustinebant, metuebant grave periculum; non quia ille crudelis, sed quia ipsi insueti, ut sub lege, aut sub aliena voluntate servirent, grave illis pondus erat, conversi in impatientiam flebant. Tunc Æsopus illis contra talem retulit fabulam:

(Phaedr. lib. I, fab. II; Anon. Nil. fab. XXI; Rom. Nil. fab. XVIII.)

Ranae, inquit, vagantes in liberis paludibus et stagnis, clamore magno ad Iovem facto, petierunt sibi rectorem, qui errantes corrigeret. Quum haec vellent, risit Iupiter. Deinde iterum clamorem fece-

runt. Quum nulla signa viderent, potius rogare coeperunt. Iupiter pius innocentibus misit in stagnum lignum magnum, tigillum, quo sono paventes fugerunt. Postea vero una protulit super stagnum caput, volens cunctari regem. Vt vidit lignum, cunctas advocat. Aliquae timoris plenae natant, salutare magnum rectorem; aliquae accedunt pavidae simul. Ergo ut nullus in ligno erat spiritus, sentientes ascendunt super illud et intelligunt esse nihil, et conculcaverunt pedibus. Iterum rogare coeperunt. Tunc Iupiter illis misit hydrum, id est, magnum colubrum, qui singulas necare coepit. Tunc voces cum lacrimis ad sidera tollunt: succurre, Iupiter, morimur. E contra illis altitonans ait: quum vos peteretis, nolui: quum nollem, invidiose petistis. Dedi tigillum, quem sprevistis; deinde dedi, quem habebitis. Et quia noluistis bonum ferre, sustinete malum.

2. Qui se tutandum dederit homini improbo, perdit male auxilium, dum quaerit, sicut haec fabula narrat.

COLVMBÆ ET MILVVS.

(Phaedr. lib. I, fab. XXXI; Anon. Nil. fab. XXII; Rom. Nil. fab. XIX.)

Quum saepe columbae fugerent asperum atque saevum milvum, accipitrem sibi fecerunt defensorem et patronum, putantes se sub eo esse tutas. Has ille fingens correptionem, singulas devorare coepit. Tunc una ex illis ait: Levior fuit molestia nobis, importunum milvum pati; modo enim hac potestate necamur, qua defendi putavimus. Sed digne haec patimur, quae nos tali commisimus.

3. De seductoribus audiamus fabulam.

CANIS FIDELIS.

(Phaedr. lib. I, fab. XXIII; Anon. Nil. fab. XXIII; Rom. Nil. fab. XX.)

Nocturnus quidam fur quum panem mitteret cani, canis dixisse fertur: Panisne pro gratia datur? an ideo das, ut me laedas? (et unde victurus sum una cum domino, domus et tota familia nostra, *si tu tecum totum auferas domo?*) Si modo panem porrigis mihi, numquid et postea daturus es, (aut misericors eris mihi), quum fame victus fuero? Non praesentem tantum vitam volo, sed futuram provideo. Nolo igitur fauces meas pane claudas; (nolo cibum, ut lingua sileat); sed nisi recesseris, ipse contra te latrabo, dominum et familiam suscitabo, furemque illis adesse nuntiabo. (Non praesentem vitam volo, sed futuram contemplor; aut ambula, aut nuntio.) *

Haec illi intelligant, qui ad unum prandium rem suam perdunt.

(*) Huic fabulae apud Romulum utrumque non unus pannus assutus est. Eamdem castigatius exhibet Vincentius, ut sequentia docent: *Nocturnus quidam fur quum cani panem immitteret, canis ait: panis tuus non pro gratia datur; tu ideo das, ut me laedas. Si modo mihi panem porrigas, numquid postea daturus mihi, quum fame victus fuero? non praesentem tantum vitam volo, sed futuram provideo Nolo igitur fauces meas pane claudas; sed nisi recesseris, ipse contra te latrabo, dominum ac familiam suscitabo, furemque illis nuntiabo.*

---

4. Mentem ad locum habere, ne quis malo credat. Cui rei similis fabula subiecta est.

LVPVS ET SCROFA PARTVRIENS.

(Rom. Nil. fab. XXI.)

Premente partu scrofa quum iaceret dolore gemens, venit ad eam lupus, et ait: expone, soror,

hac hora secure fetum, ego fungar obstetricis officio, stans pro solatio tibi. Improbum porcula ut vidit, repudiat eius officium. Expono, inquit, fetum, frater, secura, si tu recesseris: obsecro, da mihi honorem; fuit etiam et tibi mater. Ille autem ut recessit, ipsa statim profudit sarcinam, quae si malo credidisset, infelicissima perisset.

---

5. Saepe timor magnus et gravis terror nihil est, ut haec fabula testatur.

MONS PARTVRIENS.

(Phaedr. lib. IV, fab. XXII; Rom. Nil. fab. XXII.)

Quidam mons dabat gemitus magnos, sonos parturientis. Omnis natio ut audivit, statim perturbata est; pavent omnia simul, ut nullus esset memor sui, tanto et tam valido sono mons ille timorem incussit; obliti omnes sensuum. Gemitibus vero maximis a monte factis, tandem peperit murem. Fama huius rei volat; et quos timor invaserat, resumpserunt spiritum, et quod malum putabant, in nihilum omnibus venit, et timor in iocum est mutatus.

---

6. Bonitas parentes facit, non nativitas, ut haec fabula probat.

CANIS AD AGNVM.

(Phaedr. lib. III, fab. XV; Rom. Nil. fab. XXIII.)

Inter capellas agno vaganti canis dixisse fertur: non est hic mater tua, et oves segregatas longius ostendit agno. Non illam quaero, ait agnus, quae me concepit, aut portavit in utero mensibus novem,

et in lucem effudit parturiens, sed haec est, quae me nutrit et porrigit ubera sua mihi, natos autem suos fraudat, ut lac non desit mihi. E contra canis sic ait agno: Tamen illa est tibi fortior mater, quae te peperit: et agnus ait: ita est, ut dicis. Sed illa, ut licitum est, et natura concedit, me securiorem aliis voluit committere. Nam pecoribus filius non prodest, sed tantum lanio, qui lac omne quotidie emulget, et vellera tergo eripit, cedit in lucrum. Haec vero inter capras vita tutior videtur; quare abi, melius hic morabor.

---

7. Senem horrere nullus debet. At si non vis senem diligere, vel facta eius priora dilige, et audi fabulam subiectam.

VENATOR ET CANIS.

(Phaedr. lib. V, fab. X; Anon. Nil. fab. LXII.)

Canis quum domino suo satisfecisset venando semper, dum esset iuvenis, annis iam gravatus, et sua aetate iam tardus, dentesque ferens infirmos, quum comprehenderet auritum leporem, sua virtute lepusculus exivit de ore canis, suum corpus quia non fuerat laesum, fatigatque per campum canem. Irascitur dominus cani, et obiurgat ineptum rei. Cui canis contra sic dixisse fertur: Sunt animae sine viribus; sunt scabrosi dentes; fuimus aliquando fortes; laudasti quod fuimus, iam damnas quod sumus. Memorare pristina, et quod hodie possumus, apud te bonum et gratum sit.

Haec fabula nobis probat: si quis bene egit iuvenis, non contemnatur.

8. Potentes metuere debere infirmos, haec fabula attestatur.

VULPIS ET AQVILA.

(Phaedr. lib. I, fab. XXVIII; Anon. Nil. fab. XIV; Rom. Nil. fab. XI.)

Vulpinos catulos aquila rapuit, in nido reponens quos pullis suis escam daret. Prosecuta vulpis aquilam rogabat, catulos sibi reddi. Aquila contempsit vulpem quasi inferiorem. Vulpis plena dolore ab ara ignem rapuit, id est faculam ardentem, et arborem circumdedit, collecta stipula. Quumque fumus et flamma perstreperent, aquila, dolore compulsa natorum, ne flammis simul perirent, incolumes vulpinos catulos reddidit supplex matri.

Docet haec fabula multos, ne quis insultet inferiori, et incendatur ab aliqua flamma.

---

9. Tempora tolerari debent; et homines tempori cedere; qui ut malum tolerare possint, aliorum mala respiciant. Nam

LEPORES ET RANÆ.

(App. Burm. fab. II; Rom. Nil. fab. XXIV.)

Quum strepitus magnus ad lepores veniret subito, consilium inierunt, ut se praecipitarent propter assiduos metus. Venerunt ad oram fluminis, ubi ranae multae erant. At illae ubi agmen leporum viderunt veniens, expaverunt valde, et in fluvium se iactaverunt. Haec ubi lepores viderunt, unus ex illis: Sunt, inquit, et alii timentes; sequamur vitam, ut ceteri, quam natura dedit; et si quid adversi evenerit, feramus patienter: neque enim erit toto tempore malum.

10. Praecepta audire parentum, semper laus est natorum.

HOEDVS ET LVPVS.

(App. Burm. fab. XXXII; Anon. Nil. fab. LXI.)

Capella quum esset feta, et ad pastum vellet ire, ignarum hoedum monuit, ne aperiret alicui, sciens, quod multae ferae stabula pecorum circumirent. Monuit et exinde abiit. Venit lupus, vocem assimilans matris, ac aperire iussit. At hoedus, per rimas adspiciens, sic ait: Vocem matris audio; sed tu fallax et inimicus es, et sub matris ficta voce meum quaeris sanguinem. Abi ergo, non te intromittam. Sic qui monita parentum sequitur, cautior vivit.

---

11. Suspectus esse debet semper, qui aliquem laesit aliquando, sicut probat haec fabula.

PAVPER ET SERPENS.

(App. Burm. fab. XXXIII; Anon. Nil. fab. LXV.)

In domo cuiusdam pauperis venire consueverat serpens ad mensam eius, et inde fovebatur ex micis, omniaque sibi prospere evenerunt. Non longo post tempore coepit pauper irasci serpenti, quem securi vulneravit. Interposito tempore, ille ad egestatem pristinam rediit. At ubi intellexit, fortuna serpentis se prius divitem effectum, priusquam ab ipso vulneratus fuisset; poenituit (autem) et venit precans, ut ignosceret peccanti. Serpens autem contra eum sic ait: quia poenites, ignoscam sceleri tuo; sed dum etiam vulnus clausum fuerit, cicatrix tibi credere

integra fide non permittit. Nam redeo tecum in gratiam, si obliviscar securis perfidiam. Ita suspectus esse debet, qui aliquem laesit aliquando.

12. Fraudatores quum mutuantur, fidedictores dant improbos, ut haec fabula narrat.

CERVUS ET OVIS.

(Phaedr. lib. I, fab. XVI.)

Rogabat cervus ovem modium tritici, die posito, in quo redderet, praesente et fidedicente lupo. Ovis ad praesens promisit, praesentia inimici territa. Quum autem dies statuta venisset, petivit cervus solutionem. Ait ovis: tu quatis ungula campum, lupus ubi vult peragrat. Coacta timore inimici me debitam dixi; magna est vestra fallacia: ite, nil dabo.

Docet haec fabula, cautius quibusdam credere.

13. Qui sibi iniuriam fecit, alio pulsante, irridendus non est.

CALVUS ET MVSCA.

(Phaedr. lib. V, fab. III; Anon. Nil. fab. LXVI.)

Vt calvo fuit iniuriosa musca, et nudum caput capillis assiduo morsu tundebat, ille sibi alapis non parcebat, volens iniquam capere. Illa ridens plus faciebat, et calvus ad eam sic ait: mortem quaeris

improba! Nam si mihi iniuriam fecero, facile mecum redeo in gratiam; at si ego decies ictus semel te tetigero, peribis absque gratia.

Haec fabula monet iniuriosos, qui sibi inimicos creant.

---

14. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. De hac ratione istam nobis auctor posuit fabulam.

VULPIS ET CICONIA.

(Phaedr. lib. 1, fab. XXVI; Anon. Nil. fab. LXIII.)

Vulpis ad coenam ciconiam prior invitavit, et posuit illi in catino sorbitionem liquidam, de qua satiari non potuit. Esuriens domum rediit ciconia. Post paucos dies et illa rogabat vulpem, ut veniret ad coenam, et sic ciconia fecisse dicitur: in lagena vitrea posuit lautiores simul escas. Prior coepit sumere ciconia, deinde hortatur vulpem: accipe, inquit. Statim vulpis iniuriam sensit: at ciconia vulpi dixit: si bona dedisti, accipe bona; si dedignaris, ignoscere debes; nam par merces labori est. Et ita infatigatur iniuria.

Cunctos monet haec fabula, qui verbis deludunt, ut nullus in posterum imposturam faciat. Neque si quis patitur, quod alteri fecit, irasci debet (cf. Ph. vs. 12).

15. De parum sapientibus sic auctor dixit fabulam.

VULPIS AD PERSONAM TRAGICAM.

(Phaedr. lib. I, fab. VII; Nil. fab. A. p. 134.)

Personam tragoedi lupus in agro invenit, quam semel et iterum vertit. O quanta species, ait, et cerebrum non habet.

Haec fabula de illis dicitur, qui gloriam et honorem habent, prudentiam vero nullam.

16. Ne quis de alienis magnum se proferat bonis; suoque modico potius oportet ut ornetur, ne turpis sit, quum exspoliatur alieno: de hoc auctoris audi fabulam. (*Vincent.* ne quis de alienis bonis magnum se iactet.)

GRACVLVS SVPERBVS ET PAVO.

(Phaedr. lib. I, fab. III; Anon. Nil. fab. XXVI.)

Graculus tumens superbia, et vanam audaciam sumens, pavonis pennas, quae ceciderant, sustulit seque illis ornavit; et contemnens suos, miscuit se gregi pavonum. Illi ignoto et impudenti pennas vi eripiunt, calcibus et morsibus (eum) fatigant. Semivivus ab eis relictus, et graviter maleque sauciatus redire timuit miser ad proprium suum genus, ubi tempore sui ornatus multos amicorum terruit iniuriose. Vnus autem sui generis illi ait: dic nobis, si non erubesceres, ut et tuas vestes amasses, et quod natura dedit, hoc tibi sufficeret; nec ab aliis passus fuisses iniuriam, nec a nobis pulsus fuisses, (hocque tibi bonum foret, si ad id vixisses contentus, quod habebas). *

(*) Desunt apud V. B. parenthesibus inclusa.

17. Aliquanti, quum nihil sint, irascuntur melioribus, et graviter minantur, qui nihil facere possunt.

MVSCA ET MVLA.

(Phaedr. lib. III, fab. VI; Nil. fab. A. p. 134.)

Musca sedit in temone, et mulae iunctae, quam tarde ambulas, ait! Ambula, nam pungo tibi cervicem. Sic mula dixisse fertur: verba tua non pavesco, sed huius, qui prima sella sedet, qui frenis ora temperat, et loris iter flectit, flagello excusso; nobis potius hic timendus est. Tu autem insolens et vana, quae nihil aliquando vales fortioribus facere.

---

18. Quisquis se laudaverit, ad nihilum devenit, ut hac docetur fabula; nam

FORMICA ET MVSCA.

(Phaedr. lib. IV, fab. XXIII; Anon. Nil. fab. XXVII.)

Formica et musca contendebant acriter, quae melior illarum esset. Musca sic coepit prior: num quid te nostris potes comparare laudibus? ubi immolatur, exta primum ego gusto; in capite regis sedeo, et omnibus matronis oscula dulcia figo, de quibus rebus tibi nihil est. Formica vero sic ait contra haec: tu diceris improba hominibus et bestiis esse, quae tuam laudas importunitatem. Numquid optata venis? Reges autem memoras, et matronas castas tu importune adis, et omnia dicis tua esse, quum ubicunque accedis tu fugeris; undique importuna pellaris; quasi iniuriosa abigaris. Æstate vales, bruma veniente, peris. Ego vero sum deliciosa, hyeme mihi secura

sum, me incolumem habet domus, me gaudia sequuntur, tu cum ventoso flabello pelleris sordida.

Haec fabula litigiosorum et iniuriosorum est.

---

19. Qui semel fraude inclaruit, semper turpiter vivit.
Etsi verum dicat, non illi creditur.

LVPVS ET VULPIS IVDICE SIMIO.

(Phaedr. lib. I, fab. X; Anon. Nil. fab. XXVIII.)

Lupus arguebat vulpem iratus furti crimine. Illa negabat, se esse ream. Tunc iudex sedit simius iustus, ut inter partes, quae vera essent, cognosceret. Contra illi causas dicunt, nudant utrimque fraudes suas, et mutuo amborum dicunt crimina. Tunc iustus et verax iudex iudicavit inter partes, et de libello sententiam legit talem: Tu, inquit, quaeris quod non perdidisti; et te tamen credo aliquid surripuisse, quod bene negas in iudicio. Sit ergo talis vestra abolitio discordiae, ut pares abeatis concordes ambo, non integri. Nam qui fraudem consueverunt, semper pessime vivunt suspecti.

20. Quibus servi serviunt benivoli, saepe illis ita reddunt merita domini sui, ut haec fabula narrat.

MVSTELA ET HOMO.

(Phaedr. lib. I, fab. XXII; Anon. Nil. fab. XXIX.)

Mustela quum comprehenderet mures, homo eam coepit. Illa quum fugere vellet, rogo, inquit, ut parcas mihi, quae molestis muribus semper purgavi domum. At ille ad eam sic locutus est: non causa mea facis: nam gratam te haberem, si pro me fecisses, et ego veniam dedissem tibi. Nam ideo mures necas, ut comedas reliquias nostras, quas illi fuerant rosurae. Tu totum devoras et omnia tecum deportas. Nolo mihi imputes beneficium. Dixit, et innocuam morti dedit.

---

21. Potentem si quis pauper vult imitari, crepat. De hac re auctor talem posuit fabulam. (*Vincentius*: Contra pauperem superbum.)

RANA RVPTA ET BOS.

(Phaedr. lib. I, fab. XXIV; Anon. Nil. XXXIII.)

In prato quaedam rana vidit pascentem bovem. Quae putans se fieri talem inflatione rugosae pellis, inflans se natos suos interrogavit: sumne ipsa quantus bos? dixerunt: non. Iterum se inflavit potius, et dixit suis, quod modo? Responderunt: nihil simile. Tertio quum se inflaret, rupta pelle, mortua est. Ideo vulgo dicitur: noli te inflare, ne crepes.

Debent potentes gratiam reddere miseris. Etsi longum transeat tempus, recipientes gratiam oblivisci non debent. Et sic factum esse probat haec fabula.

LEO ET PASTOR.

(App. Burm. fab. XV; Anon. Nil. fab. XXXV; Rom. Nil. fab. XXV.)

In silva quum erraret leo festinans, in stirpem calcavit. Collecta intus sanie claudicare coepit. Fera pastori quum occurreret, cauda sua blandiri coepit, suspenso pede. Perturbatus vero pastor, ut leonem ad se venire vidit, pecudes ei obiecit. Leo, non escam quaerens, sed potius ab illo medicinas petens, pastoris in sinum posuit pedem. Pastor ut vidit vulnus et magnam contusionem, quid leo vellet animo devolvit, et ingeniose cum acuta subula paullatim vulnus aperuit. Patefacta est contusio, effluxeruntque simul stirps et sanies. Inde se leo curatum sensit, et pro pretio medicinae manum pastoris lingua linxit, et assedit lateri eius, paullisper resumpsit vires; et abiit incolumis. Post aliquantum tempus leo ipse capitur, ut esset in arena amphitheatri et curreret ibi. Pastor, crimine oppressus, datur ad bestias eo loco, ubi leo missus est. Pastor in arena dimittitur, at leo foras ad illum. Leo vero cum impetu veniebat, et paullatim ambulavit, quousque ad pastorem venit. Quem quum vidisset, agnovit, et oculos cum ingenti

rugitu ad populum levavit. Deinde circumiit podium, et rediens bestiario assedit. Invitat eum, redire ad sua, et non reliquit hominem. Intellexit pastor, leonem sui causa diutius stare: suspicatur, illum esse, cui iam olim in silva notus fuit, cui et contusionem aperuerat. Ambo autem et pastor et leo dimittuntur, ut recedant; at leo non recessit, sed defendit pastorem. Populus ut haec vidit, mirari coepit, causamque de bestiario quaerunt: quumque causam reddidisset populo, omnes suffragio magno petunt illis indulgentiam, et dimissi sunt simul, leo ad silvam et pastor ad sua propria. Hoc notum debet esse, ut omnes homines benefactoribus reddant bonas grates.

---

2. Quicumque artem ignorant, illi se perdunt, sicut haec fabula refert.

LEO ET EQVVS.

(Rom. Nil. fab. XXVI.)

Equum pascentem vidit leo fortissimus in prato; hunc vero ut frangeret, se subtiliter approximavit, veluti familiaris, qui se diceret medicum. Equus praesensit dolum, sed tamen non repudiavit officium. Denique ut ventum est ad locum, invenit cito ingenium. Finxit se stirpem calcatam habere, levato pede. Frater, inquit, succurre; gratulor, quia venisti liberare me; nam in stirpem calcavi. Leo patiens accessit, fraudem dissimulans, stirpem extracturus, cui velociter equus calces turbulentes dedit. * Cadit corpus hostile, et iacuit in terra diutius; at ubi memor sui factus, nusquam vidit equum, intelligensque caput et

(*) Rom. Div. *turbulentos*.

faciem et toto corpore se esse laesum; digne haec passus sum, ait, qui semper lenis veniebam. Atque nunc quasi familiaris et medicus fallax accessi, qui inimicus, ut consueveram, venire debui. Ideo, quisquis haec audis, quod es, esto, et mentiri noli.

---

3. De temporibus et fortunis audi fabulam. Qui se sciunt esse felices, nulli faciant iniuriam, dubiamque meminerint esse fortunae rotam, ut haec fabula narrat.

EQVVS ET ASINVS.

(Anon. Nil. fab. XXXVII; App. Burm. fab. XVII.)

Equus quidam, ornatus freno ex auro et argento, sella et nacco pretioso, satis decorum membris iumentum, occurrit asino in angusto loco, longe venienti et onusto; et quia illi transeunti asinus tardius dederat viam, eo quod ex itinere lassus erat, dixisse equus asino fertur: Nisi me satis continerem, te calcibus rumperem, qui obvianti mihi non cessisti, aut stetisti, dum transirem. Terrore illius et superbia tacuit miser asellus, et cum gemitu testatur deos. Deinde non longo post tempore equus, ruptus currendo, nullam iam habens diligentiam, macer effectus est. Iubet dominus ut ducatur ad villam, et portet stercus in agros. Accepit ornamenta rustica, et onustus ibat per semitas. Asellus ille, in prato pascens, agnovit equum iam infelicem, quem tali sono increpat: quid tibi profuerunt illa ornamenta pretiosa, ut talem sumeres audaciam?

Admonet omnes haec fabula, ne quis in potestate sua velit alios terrere.

4. De bilinguis (bilinguibus) hominibus Aesopus talem composuit fabulam. (*Vincentius*: Contra illos, qui a suis infideliter transeunt ad alienos.)

VOLVCRES, QVADRVPEDES ET VESPERTILIO.

(Anon. Nil. fab. XXXVIII; Rom. Nil. fab. XXVII; App. Burm. fab. XVIII.)

Qui se duabus partibus obnoxium commiserit, hic et illic ingratus vivit, et reus erit potius sibi. Quadrupedes cum avibus bellum magnum gerebant, et nulla pars alteri cedebat, sed fortiter ac diu pugnabant. At vespertilio, dubios et graves eventus timens, quia superior erat, et magna acies quadrupedum, contulit se ad eosdem quasi ad victores. Subito veniens aquila, in manu Martis dextram agens, alas vibravit, et volucribus se miscuit. Cesserunt quadrupedes, et stetit victoria avium, reversique sunt ad pristinam pacem aves et quadrupedes. Vespertilio vero sententia avium damnatur, eo quod suos reliquerat, ut lucem fugiat semper, expoliatusque est plumis, ut noctibus volet nudus. Sic itaque oportet ut puniantur, qui ad alios vadunt, et suos relinquunt.

---

5. Qui aliis insidiatur, oportet ut ipse timeat, ne cum sua praeveniatur malitia, ut hic narratur.

LVSCINIA, ACCIPITER ET AVCEPS.

(Anon. Nil. fab. XXXIX; Rom. Nil. fab. XXVIII; App. Burm. fab. XVIII.)

In nido lusciniae quum sederet accipiter, ut specularetur auritum, parvos illic invenit pullos. Supervenit cito luscinia, et rogavit parcere pullis suis. Faciam quod vis, inquit, si bene mihi cantaveris.

At illa quamvis animus excideret, tamen, metu coacta, et pavens et dolore plena, cantavit. Accipiter, qui praedam invenerat, non bene cantasti, inquit, et apprehendens unum de pullis devorare coepit. Tunc ex diverso quidam auceps venit, et calamo lento levato accipitrem contractum visco, in terram deiecit.

Sic qui aliis insidiatur timere debet, ne capiatur.

---

6. Bonos et malos fortuna iuvat. Quos autem non iuvat, quare aemulantur, et contra fortunatos livorem in corde gestant. Hos postmodum sua subvertit malitia. Contra quos auctor talem composuit fabulam.

LVPVS, VULPIS ET PASTOR.

(Anon. Nil. fab. XL; App. Burm. fab. XX.)

Lupus praedam multam in cubili congregaverat per tempus, ut plures menses haberet, quo posset delicatius vivere. Vulpis ut haec agnovit, venit ad eius cubile, aemula eius, et dixit lupo: quia non vidi te per tot dies, merito tristis fui, et quia non visitasti me. Cui lupus, ut agnovit livorem, ait: Non de me sollicita venisti, sed ut aliqua rapias: non tu grata es, quia venisti; scio enim, te fraudem petere. His verbis irata vulpis, pastorem ovium adiit. Ages mihi gratias, inquit, si tibi inimicum gregis tui in manus hodie tradidero, ut iam non sis sollicitus? Pastor ait: ego serviam tibi, et tribuam quicquid volueris. Tunc clausum illa ostendit lupum, quem lancea ille peremit, et aemula vulpis se de alieno satiavit. Deinde ipsa in venatorem quum incidisset

comprehensa a canibus atque laniata sic ait: iam ego male feci, et modo pereo, quia alterum laesi.

Sic homines timere debent, ne quem laedant, et deterius eis contingat.

---

7. Aliquando laudamus inutilia, vituperamus bona. (*Vincentius*: Contra eos, qui laudant sibi inutilia, et vituperant utilia.)

CERVUS AD FONTEM.

(Phaedr. lib. I, fab. XII; Anon. Nil. fab. LXI; Rom. Nil. fab. XXIX.)

Cervus, bibens de fonte, sua cornua magna ut vidit, nimium laudare coepit, crura vero tenuia vituperavit. Quod quum faceret, venatoris vocem audivit, et canes repente latrare. Fuga cervus per campum dicitur evasisse molossos. At ubi silva eum suscepit, magnitudo cornuum venantibus eum retinuit. Tunc mortem suam videns ait: quae mihi erant utilia vituperavi, et deceptiosa laudavi.

Sic et nos laudamus saepe inutilia, et vituperamus bona.

---

8. De personis feminarum auctor proposuit fabulam.

DE IVNONE, VENERE ET ALIIS FEMINIS.

(Nil. fabb. Ant. p. 137.)

Diis deabusque praesentibus Iuno laudabat castitatem. Persuadebat, melius esse, ut femina uni viro esset coniuncta, proprioque suo sufficeret. At Venus iocandi causa interposuit gallinarum dicta. Quum in-

terrogaret patientem et taciturnam domesticam suam gallinam, quanto posset satiari cibo? illa dixit: quodcumque accepero, abundat mihi, et e contra scalpo. Venus contra huic gallinae dicitur coram ipsis dixisse: ne scalpas, do modium tritici. At gallina sic aït Veneri: si horreum mihi patefacias, tamen scalpo. Vbi risisse dicitur Iuno dictum Veneris a gallina, per qua agnoverunt Dii, feminis fieri similia. Sic deinde Iupiter coepit multa addere et dicere: femina nulla se importuno negabit. Deinde et Venus cum Marte et cum Vulcano, et ut potuerunt ceterae multae. Sic et hodie plures feminae didicerunt maritis imponere.

---

9. Casta est illa mulier, quae importunum non patitur, sicut auctor huius tituli prosequitur fabulam.

FEMINA ET MILES.

(Rom. Nil. fab. XXX.)

Femina, quae amiserat virum, contulit se ad mausoleum, ubi maritus erat positus, ut lugubres ibi ageret dies. Contigit interea ut aliquis peccasset, et de lege accepit sententiam, et suspensus est in cruce. Custos illi ponitur miles, ne a suis noctu subtraheretur. Qui quum eum (eam) observaret, siti fatigatus post voces accessit ad mausoleum, aquae pusillum rogans. Accepit, bibit et exinde abiit. Quumque ille videret feminam pulchram, rediens consolatur eam. Iterum sic fecit et tertio. Dum illuc saepe ab amica vocatur, subtrahitur ille, qui in cruce pendebat. Miles rediens non invenit cruci datum, confugiensque ad pedes mulieris anxius volutare se coepit,

quae illi sic ait: Quid agam? quid vis faciam? At ille: subveni, inquit, mihi; a te quaero consilium. Illa misericors facta militi, maritum de loco levavit, et in cruce noctu suspendit. Celatur furtivum facinus. Misericordia pro tanta militi oportuit officiari mulierem. Mulier non erubuit obsequi officioso, et quae iam casta dudum fuit, scelus utrumque admisit. Habent ergo mortui, quod doleant, et vivi, quod timeant.

---

10. De meretricibus auctor nobis talem refert fabulam, quia impuderatae feminae per ingenium imponunt viris iniuriam.

MERETRIX ET IUVENIS.

(Rom. Nil. fab. XXXI.)

Quaedam meretrix, quae erat perfida, multis quum blandiretur, invenit quem saepe afflixerat iniuriis, et facilem se praebuit propter usum. Deinde mulier sic ad eum dixit: Licet multi muneribus super me contendant, ego tamen satis te amo, et plus aliis omnibus te diligo. At iuvenis memor, quotiens ab ea deceptus fuerit, tamen benigne respondit. Et ego, inquit, te, mea lux, non quod mihi fidem servaveris, sed quod mihi iucunda es. Sic verbis se deluserunt. Nam simplices homines sic exspoliantur.

11. Quosdam minores saepe oportet domare, quia maiores difficile domare est.

PATER ET FILIUS SÆVUS.

(Nil. fab. A. p. 137.)

Quidam paterfamilias saevum filium habebat. Nam foris quotidie manebat, et servi pro eo vapulabant. Tunc sic herus ait servis per fabulam: Quidam homo rusticus iunxit vitulum maiori bovi; vitulus vero calce et cornibus eiiciebat iugum a cervice. Bovem vero quum contereret vitulus, rusticus bovi sic dixisse fertur: Non ut laboretis, inquit, vos iungo, sed domitare volo minorem. Nam calcibus vagis et cornu quum aliquem laeserit, lapidibus et fustibus debilitabitur. Ita oportet quemquam filios suos minores domare.

---

12. De duobus malis auctor talem subiecit fabulam: malus peiorem non laedit, nec iniquus iniquum superat.

VIPERA ET LIMA.

(Anon. Nil. fab. XLII; Phaedr. lib. IV, fab. VIII.)

In officinam cuiusdam fabri introisse dicitur vipera. Dum quaereret aliquid ciborum, rodere coepit limam. Tunc lima ridens ait ad viperam: Quid vis, improba, tuos laedere dentes? Ipsa sum, quae consuevi omne ferrum rodere. Sed et si quid forte fuerit asperum, fricando facio lene; quae si angulum tersero, si quid ibi est, praecido. Ideo cum acriore nihil certandum est.

13. Defensorem et patronum non expedit relinquere. De hoc auctor talem fabulam dixit.

OVES ET LVPI.

(Anon. Nil. fab. XLIII; Rom. Nil. fab. XXXII; App. Burm. fab. XXI.)

Oves et lupi inter se bellum gerebant, ita ut nulla pars alii cederet. Illae plures fuerunt, et cum eis canes et arietes; et visum est signum victoriae esse ovium. Tunc lupi legatos mittunt, pacem petentes, iurando, si canes obsides darent, et e contra oves catulos eorum ab eis acciperent. Ita fecerunt, et iurando fidem dederunt illis. Ovibus in pace positis, lupini catuli ululare coeperunt. Lupi, natos vexari putantes, veniunt undique simul, et dicunt, pacem ab illis ruptam. Haec dicentes oves laniare coeperunt, nullo tutore adiutorium praestante, nullo patrono defendente.

---

14. Auxilium hosti dare, suam necem facere est, sicut haec probat fabula. (*Vincent.* ne quis hosti arma praestet.)

HOMO ET ARBORES.

(Anon. Nil. fab. XLIV; App. Burm. fab. V; Rom. Nil. fab. XXXIII.)

Securi facta, homo postulabat ab arboribus, ut illi manubrium darent de ligno, quod esset firmum. Omnes oleastrum iusserunt. Sumpsit homo manubrium; aptata autem securi, ramos ac robora magna, omniaque, quae voluit, coepit indubitanter incidere. Tunc quercus fraxino ait: digne et bene patimur, quia roganti hosti nostro (ut coeci *Vincent.*), ma-

nubrium dedimus. Ideo quisque caute cogitet ne hosti aliquid praestet.

15. Quam dulcis sit libertas, auctoris breviter narrat fabula.

CANIS ET LVPVS.

(Phaedr. lib. III, fab. VII; Anon. Nil. fab. XLV; Rom. Nil. fab. XXXIV.)

(Omnis libertas actus bene agendi est. Nam in liberis est saevitia, in servis virtus et gloria. Pollere enim saepe videmus servos, et pro nihilo esse liberos sicut.)* Canis et lupus dum convenirent in silva, ait lupus cani: unde, frater, sic nitidus et (bene) pinguis es? Canis sic dixit lupo: quia sum custos domus contra latrones venientes, et nullus passim ingreditur noctu. Si forte fur venerit, illum annuntio; affertur mihi panis, dat ossa dominus, similiter et ceteri; amat me tota familia, proiiciunt mihi quicquid illis superat; quod fastidit unusquisque ciborum, mihi porrigit. Ita venter impletur; me blandiuntur omnes; sub tectis cubo; aqua non deest mihi. Sic otiosus vitam gero. At lupus, bene, inquit, frater, vellem, ista contingerent mihi, ut otiosus saturarer cibo, et sub tecto melius viverem. Deinde canis lupo ait: si vis, ut bene tibi sit, veni mecum: nihil est, quod timeas. Quum ambularent simul, vidit lupus cani collum catena attritum, et ait: quid est hoc, frater? dic, quod iugum attrivit collum tuum? Et canis: quia sum acrior, inquit, interdiu ligor, noctu solvor, intra domum sum vagus; ubi volo, illic dormio. Et lupus e contra cani:

(*) Totus locus parenthesibus inclusus recte deficit in Rom. Vlm. et Vincent

Non est mihi opus, ait, istis frui, quae laudasti; vivere volo liber, quaecunque evenerint mihi. Liber ubi volo, peragro; nulla catena me tenet, nulla causa impedit. Viae mihi patent in campo, aditus in montibus; nullus mihi timor; de grege primus gusto; canes ingenio deludo. Tu vive, ut consuevisti; ego quam consuevi vitam ago.

---

16. Qui suos stulte deserit, se potius decipi sciat.
(*Vincent.*: Contra pigros, qui laborare nolunt.)

MEMBRA ET VENTER.

(Rom. Nil. fab. XXXV.)

Nemo aliquid valet sine suis, ut partes corporis humani, de quibus dicitur indignatas esse manus et pedes, et ventri cibum dare noluerunt, eo quod sine ullo labore quotidie repleatur, sedens otiosus. Vnde graviter indignantes adversus eum manus et pedes laborare noluerunt, et negaverunt servitium. Venter vero esuriens clamabat: at illi ei invidere, et per aliquot dies nihil ei dare noluerunt. Ieiuno autem ventre omnia membra lassaverunt. Postea vero cibum dare volentibus recusavit venter, quia iam clauserat vias. Sic membra et venter simul lassa intereunt.

17. Inter divitem et pauperem talis dicitur fabula. (*Vincentius*: Spec. hist. contra invidiam et avaritiam; in Spec. doctrin. contra invidam avaritiam.)

SIMIVS ET VULPIS.

(Anon. Nil. fab. XLVI; Rom. Nil. fab. XXXVI; App. Burm. fab. XXII.)

Rogabat simius vulpem, ut de magnitudine caudae suae sibi daret, unde nates suas turpissimas tegeret. Quid enim, inquit, utile est tibi tantum pondus caudae sine causa, tantaeque longitudinis cauda, quam per terram trahis? Cui vulpis ait: Vtinam longior esset et maior, ut per terram illam traherem, sive per petras et spinas et lutum, ne tu meo tegumento pulchrior videaris. Locuples et avare! te nunc monet haec fabula, qui non das quod tibi superat.

18. Multi post mortem vexantur, ut probat haec similis fabula. (*Vincentius*: Contra illos, qui taedio vicii et labore mortem desiderant.)

NEGOTIATOR ET ASELLVS.

(Anon. Nil. fab. LXVII; Phaedr. lib. IV, fab. I.)

Fuit quidam negotiator in via cum asello, festinans nundinas ingredi. Onustum autem animal flagello et fuste caedebat, ut veniret citius, lucri causa. Asellus vero optabat mortem, putans se post mortem esse securum. Lassus et quassatus post moritur; statim de illius pelle facta sunt tympana et cribella, quae semper battuuntur; et qui putabat post mortem se fore securum, etiam post mortem caeditur.

19. Fugientes non sunt sui securi, sed fortuna salvantur, sicut haec refert fabula.

CERVUS ET BOVES.

(Anon. Nil. fab. XLVIII; Phaedr. lib. II, fab. VIII.)

Cervus, perturbatus strepitu venatorum et tremefactus, ut venatores evaderet, in proximam villam fugit, et se in stabulum coniecit, referens bobus, ob quam causam venerit. Et bos ad eum sic ait: ut quid voluisti tibi miser huc ad necem tuam currere? melius te silva celasset, aut ungula quateres campum, quam huc devenires. At ille contra supplex: vos me modo, inquit, celate tantum, dum erit sero, eo, ubi volo, securus. Haec quum dixisset, obscuro se condidit loco, quumque foenum et frondes et omne genus pabuli bubulci stabulo reponerent, cervum non viderunt. Sic et alii servi, ingredientes illic. Transiit et maior villae, qui omnia lustrabat, nec ipse cervum vidit. Tunc gaudens fera, gratias egit bobus, quod fugientem celarent. Tunc unus ex illis ait cervo: salvum te servabimus, si ab illo non videaris, qui centum habet oculos. Nam si te ille viderit, statim vitam eripiet tuam. Quumque haec bos cervo diceret, ecce ingreditur dominus, et quia nuper viderat, per negligentiam servorum boves esse macilentos, accessit videre praesepia. Quae ut vidit inania esse, et pabulum contra positum, dum irascitur bubulcis, assumpsit ipse frondes, et statim vidit erecta cervi cornua, et ait: quid est hoc? Vocavit ad se bubulcos, et quaerit unde cervus esset? Illi nescire se dixerunt. At stabularii omnes plena fide iurant se ignorare. Gaudet dominus de cervo,

quem nemo quaesitum venit. Miratur, et cum suis per aliquot dies laute vivit.

Haec fabula probat, dominum plurimum posse in omnibus rebus videre.

---

20. Et loqui apud tyrannos poena est, et tacere tormentum, ut probat haec fabula.

LEO REGNANS.

(Anon. Nil. fab. XLIX; Phaedr. lib. IV, fab. XIII; Rom. Nil. fab. XXXVII.)

Quum se ferarum regem fecisset leo fortissimus, voluit ille more regum bonam famam consequi; renuntians prioribus suis factis ferocibus, mutavit consuetudinem. Pecus nullum se laedere, sine sanguine cibum sumere, sanctam et incorruptam iuravit se fidem servare. Postea de hac re coepit habere poenitentiam, et dum mutare non posset naturam, coepit aliquos ducere in secreto, ut falleret, et quaerere, si eius os puteret. Et illos, qui dicebant, putet, et qui dicebant, non putet, aut tacebant, omnes laniabat, *ita ut saturaretur sanguine.* Postea simium interrogabat, si putidum haberet os. Ille quasi cinnamomum dixit fragrare, et quasi deorum altaria. Leo erubuit laudatorem, ut illi tunc parceret, sed ut laederet, mutavit fidem, et quaesivit fraudem, *atque languere se simulavit.* Continuo venerunt medici, qui venam considerantes pulsum sanum ut viderunt, suaserunt ei sumere cibum aliquem, qui levis esset, qui tolleret fastidium pro digestione. At leo, ut regibus omnia licent: ignota est, inquit, mihi caro simii; vellem illam probare. Vt est locutus, statim necatur beniloquus simius, ut eius carnem cito escam sumeret. Vna enim est poena loquentis et non loquentis.

LIBER QVARTVS.

1. Verbis maturet facinus, qui non potest viribus. De qua re audi fabulam. (*Vincentius*: Contra illos, qui quod facere non possunt, verbis tamen se posse et nolle ostendunt.)

VULPIS ET UVA.

(Nil. fab. A. p. 138, Phaedr. lib. IV, fab. III.)

Fame coacta vulpis uvam sursum pendentem adspexit in alta vinea, et alto gradu se excutiens, quotiens voluit attingere sursum, non potuit. Tandem irata: nolo te acerbam et immaturam, inquit, et quasi nolens eam tangere, abiit. (Ita qui nihil facere possunt, verbis tantum, se posse et nolle, ostendunt.) *

(*) R. U. hanc fabulam ita expressit: *Vulpes quum racemos uvarum plenos ac maturescentes prospiceret, cupida de illis manducare, omnem viam et saltandi et scandendi est machinata, qua illos habere posset. Sed quum omnem viam frustra tentasset, nec desiderio satisfacere quivisset, moestitiam vertens in gaudium, ait: racemi illi adhuc nimium sunt acerbi: si habere possem, nollem comedere. Fabula significat, quod prudentis est, fingere se ea nolle, quae consequi non posse cognoscit.*

---

2. Ingenio quemquam facere, quod viribus non potest, breviter instruit nos haec fabula.

DE MVSTELA ET MVRIBVS.

(Phaedr. lib. IV, fab. II; Nil. fab. A. p. 139.)

Mustela, quae fuerat senex, et mures amplius insequi non poterat, involvit se in farina, et loco obscuro se condidit, volens de innocentibus sine suo labore praedam facere. Venit miser ignarusque mus,

quandam herbam putans: periit innox et moerens; alter similiter capitur; deinde et tertius. Postea venit maior annis et cautus mus, qui omnia iam noverat ingenia, muscipulas, caveas, laqueos, serpentes et ceteras deceptionis machinas. Quumque hostis insidias videret, dixisse fertur ad illam: inducis quidem mures, et devoras innocentes; me tamen non capies improba, qui omnia novi ingenia.

---

3. Qui videtur verba blanda habere et infidelis est, peccat in corde suo, et hoc argumento se describi intelligat.

LVPVS, PASTOR ET VENATOR.

(App. Burm. fab. XXIII; Anon. Nil. fab. L; Rom. Nil. fab. XXXVIII.)

Quum persecutorem fugeret impius lupus, et a bubulco esset visus, qua parte fugeret, et in quo loco se celaret, timore plenus bubulcum rogabat de hoste suo: oro te per omnes spes tuas, ne me persequenti tradas, cui nihil mali me fecisse iuro. Et bubulcus ait lupo: ne timeas, esto securus; in aliam ei partem te fugisse dicam. Venit persecutor, rogans ostendi sibi lupum, dicens: peto te, bubulce, vidisti huc venire lupum? ubi sit ostende. At bubulcus: venit quidem, sed sinistra parte abiit. Illic deorsum quaere, dixit; sed dextra oculis designat persecutori locum, ubi lupus latebat; at ille non intelligens, festinanter abiit. Tunc sic bubulcus lupo ait: quid est? gratumne habes, quod te celaverim? Et lupus e contra bubulco ait: linguae tuae gratias ago, sed oculis tuis fallacibus magnam caecitatem opto. Haec illos increpat fabula, qui bilingues esse videntur.

4. Quod unicuique concessum est, hoc utatur, sicut haec nobis auctoris fabula narrat.

PAVO AD IVNONEM.

(Phaedr. lib. III, fab. XVIII; Rom. Nil. fab. XXXIX.)

Pavo ad Iunonem venit iratus, et indigne ferens quod luscinia cantaret et humana cognosceret, et quod sibi hoc non esset datum, sed derideretur de voce summissa. Tunc Iuno consolandi causa blanditur alloquiturque eum: Visus tuus superat vocem, et forma tua superat lusciniam; colore et nitore smaragdi perfusus es; nullus similis tibi, pictusque plumis gemmis cauda et collo refulges. Et pavo ad Iunonem, quid mihi haec sunt? vincor voce. At Iuno: fatorum, inquit, arbitrio a diis datae sunt partes omnibus vobis. Tibi nitor coloris et forma maior; virtus aquilae; luscinia cantu vocis auguria sumit; corvus crocitare accepit; columba dolet semper: ritus gruis ostendit tempus, et in oliva parit turdus; ficedula prolivida plumis; lucifera gaudet hirundo; nudus sero volat vespertilio; gallus novit noctis horas; unaquaeque abundat in suis. Tu noli quaerere, quod tibi a diis non est datum.

5. Oportet benivolos esse cuicumque peregrino, et ignoscere misero, ne sit ubi reddat gratiam, ut haec subiecta fabula edocet.

PANTHERA ET PASTORES.

(Phaedr. lib. III, fab. II; Nil. fab. A. p. 139.)

Panthera innoxia cecidit in foveam. Agrestes ut viderunt, alii fustibus feriunt, alii saxa ridentes mit-

tunt; quidam contra dixerunt: parcite innocenti, qui neminem laesit, et haec dicendo multos prohibuerunt, ne morte eam affligerent. Alii miserunt panem: alii fleverunt huius innocentiam. Nox ut venit, abierunt omnes domum, putantes eam noctu morituram. Deinde ut illa vires suas refecit languidas, veloci saltu se ex fovea liberavit, et ad suum cubile properavit. Post paucos dies memor iniuriae irata ad locum pergit, pecus illic trucidat, pastores dissipat, in aratores et agrestes impetu saevit, et multa male devastando perdit. Timent omnes, non curant damna, tantum pro vita rogant. Tunc panthera molliter ad eos sic dixisse fertur: memini, qui fustes dederit, qui mihi saxo nocuit, quis inique mihi gesserit, quis panem miserit. Sed illis hostis revertor, qui me mori petierunt. Haec improbi et iniuriosi audiant, et caveant ne aliquem laedant.

---

6. Parentes, vel amici, qui sibi non consentiunt bene, male intereunt; de hoc audi fabulam.

VERVECES ET LANIVS.

(Nil. fab. A. p. 125 sq.)

Verveces in collecto quum essent una cum arietibus, lanium inter se intrare videntes dissimulaverunt. Quum autem ex se unum cernerent manu lanii mortifera teneri, trahi et interfici, nec sic timuerunt, sed inter se incaute dicebant: me non tangit, te non tangit, dimittamus trahi, quem trahit. Novissime remansit unus. Quum et ipse similiter se trahi videret, sic dixisse lanio dicitur: dignae sumus la-

niari singillatim ab uno, qui hoc non prospeximus, dum essemus simul, et te, in medio nostro positum, aspeximus, et capitum impulsibus quassatum confractumque non occidimus.

Haec fabula probat, illum consumi a malo, qui se in vita non tutaverit.

---

7. Sapientis consilium nullatenus praetermitti debere, admonet nos subiecta auctoris fabula.

AVCEPS ET AVES.

(Nil. fab. A. p. 141.)

In verno aves diversi generis dum exultarent, et in nidis suis, velatae fronde, sederent, insperato adspiciunt aucupem lippum componere cannas suas, et festucas inserere visco. Illae ignarae et simplices aves sic inter se narrare coeperunt: o quam pium hominem cernimus! nam nimia bonitate lacrymae ex eius oculis profluunt, quotiens nos adspicit. De quibus una aliis astutior, experta omnes dolos aucupis, sic dixisse fertur: Heu fugite simplices et innocentes aves! et ab hac protinus vos eripite fraude. Quare moneo, ut impigris alarum pennis vos ad aërem liberum volatu extollatis celeriter. Nam si placet cognoscere verum, ad eius opera caute intendite et videte; quia quas fraude ceperit, mox morsu occisas, aut praefocatas in tumba reponit.

Monet haec fabula, indubie fieri posse, ab unius consilio multos de periculo liberari.

8. Solet (ab antiquo) a nefariis hominibus fallacia et adulatio libenter haberi, honestas autem et veritas bonitasque reprobari, de quo instruit nos subiecta fabula. (*Vincent.*: Contra adulatores et eorum fautores.)

HOMINES DVO, FALLAX, VERAX, ET SIMIÆ.

(Anon. Nil. fab. LI; Rom. Nil. fab. XLI; App. Burm. fab. XXIV.)

Duo homines, unus fallax et alius verax simul iter agebant. Quum ambularent, venerunt in provinciam simiorum. Quos (homines), ut vidit unus ex multitudine simiorum, qui se aliis priorem constituerat, iussit eos teneri et interrogari, quid illi homines de se ipso dicerent; et iussit omnes simios sibi similes adstare ante se ordine longo, dextra laevaque, et sibi sessum contra parari; et sicuti viderat iam imperatorem aliquando facere, taliter ante se hos stare fecit. Iubentur ergo adduci illi homines in medio. At ille maior simius: qui sum ego? fallax dixit: Tu es imperator. Iterum interrogavit: et qui sunt isti, quos ante me videtis stare? Iterum fallax respondit: Hi sunt comites tui, primicerii, campidoctores, milites et alii officiales. Et pro hoc ille, qui mendacio laudatus est cum turba sua, iubet illum remunerari: et qui adulatus est omnes fefellit. Ille autem verax homo, haec apud se aiebat: Si iste, qui mendax est et omnia mentitur, sic est acceptus, ut pro suo mendacio ita remuneretur, quid si ego verum dixero? Dum haec secum deliberat, ait simius ille, qui se imperatorem dici volebat: dic tu, qui sum ego, et ii, quos ante me vides? At ille, qui veritatem amabat, semper et loqui verum consueverat, respondit: tu simius es, et ii omnes simii sunt, similes tibi. Continuo iubetur lacerari dentibus et unguibus, quia quod verum fuit, dixit. Hoc modo fieri a malis ho-

minibus solet, ut fallacia et malitia ametur, et honestas et veritas laceretur.

---

9. Inimicitias non ponere melius, quam postea de inimicitiis, dum se non valet ulcisci inimicus, poenitere, ut in praesenti probatur fabula.

EQVVS, CERVUS ET VENATOR.

(Phaedr. lib. IV, fab. 4; Nil. fab. A. p. 144.)

Equus et cervus inimicitias inter se duxerunt; quumque videret equus cervum omnibus aptum, et ex cursu leviorem, et corpore decorum, et arboreis cornibus ornatum, equus, livore coactus, se ad venatorem contulit. Cui ait: est in prospectu cervus ad videndum mirabilis, quem si venabulo poteris transfigere, abundabis pulcherrima carne ad escam, cuius corium, cornua et ossa pecunia vendes non parva. Ille venator, cupiditate accensus, quomodo, ait, poterimus capere cervum? Equus venatori dixit: ego monstrabo capiendum meo labore cervum. Tu vero, sedens super me, quum secutus fueris, venabulo manu tua excusso, vulnerato cervo et occiso, tua venatione perfecta, gratulabimur ambo. Hoc facto venator, super equum sedens, cervum de loco motum quum agitaret in cursum, cervus, non immemor sui naturalis ingenii, celeres tendens pedes et transiliens campos, in saltum cursu veloci illaesus evasit. Equus vero quum sudore se maceratum et fatigatum videret, sic dixisse sessori ferunt: quo tendebam attingere non potui, descende et vade, solito more transigere vitam tuam. Cui contra desuper sessor: non habebis, inquit, potestatem cur-

rendi, quia frenum in ore habes; nec saltum dare, quia sella te premit. Si calcitrare volueris, flagellum in manu teneo.

Eos increpat fabula, qui quum aliis volunt nocere, se potius subiugant.

---

10. Multi credunt voce sua fortes terrere (sicut debiles). De hoc audiamus fabulam. (*Vincentius*: Contra illos, qui virtute facere nihil valent et verbis inanibus alios terrent.)

ASINVS ET LEO.

(Phaedr. lib. I, fab. XI; Rom. Nil. fab. XLII.)

Asinus e diverso occurrit leoni, cui sic dicere coepit: ascendamus in cacumen montis, et ostendam tibi quia et multa animalia me timent. Leo ridens (ad aselli verba): eamus, inquit; quumque venissent ad locum, stans cum fera asellus in edito loco, voce emissa, clamare coepit. Quem audientes vulpes et lepores fugere coeperunt. At asellus leoni: vide quem timeant. Cui leo contra sic dixisse fertur: poterat et me terrere vox tua, si non scirem, asinum te esse.

Haec fabula monet, derideri hunc potius debere, qui virtute facere nihil valet, et verbis inanibus putat se quemquam terrere posse.

11.

DE VULTVRE ET ALIIS AVIBVS.

Vultur, simulans, se natalem celebrare, aves ad coenam invitavit. Deinde ingressus clausit ostium, et singillatim coepit occidere eas.

Haec fabula dicta est illis, qui opem hilariter tribuentes, contraria machinantur.

12.

DE LEONE ET VULPE.

(Anon. Nil. fab. LIX; Rom. Nil. fab. XLIII; App. Burm. fab. XXX.)

Leo iam deficiens languorem fingebat, et per eam fallaciam ceterae bestiae ad visitandum regem introibant. Leo autem continuo occidebat eas. Vulpis vero veniens ante speluncam stetit, et salutavit eum. Interrogata autem a leone: quare non intrasti? Respondit: quoniam video introeuntium vestigia, exeuntium autem non video. Sic quorundam periculum doctrina nobis debet esse nostrae salutis, quia in domum potentis facile quisquam intrat, exire vero iam tardum est.

13.

CORNIX.

Cornix sitiens accessit ad urnam dimidiam aquae, et eam conabatur evertere. Sed quoniam fortiter stabat, non poterat eam movere. Quod quum videret, hoc argumentum invenit: sumens calculos misit in urnam, et ex multitudine calculorum aqua ex urna sursum porrecta est, et sic suam satiavit sitim.

14.

PVER ET SCORPIVS.

Puer, in silva auguria captans, stetit super quemdam lapidem, sub quo iacebat scorpius, quem co-

nabatur puer vertere. Cui scorpius dixit sic: Vide, miser, ne, dum me captas, te ipsum perdas.

Praecipit haec fabula, nihil tale audere, quod sit periculosum.

---

15. Malo homini nunquam fides adhibenda est.
Hanc pro hoc audi fabulam.

ASELLVS ÆGER ET LVPVS.

(Nil. fab. A. p. 142.)

Asinum aegrum lupus visitavit, et coepit corpus eius tangere et interrogare, quae partes corporis ei maxime dolerent. Respondit asellus: quas tu tangis.

Sic homines mali, etiamsi prodesse se fingant, et bene loqui simulatorie velint, magis nocere festinant.

---

16. Maioribus aliquando minores solent inter se detrahere.
De hoc audi fabulam.

DE HIRCO MAIORE ET TRIBVS MINORIBVS.

(Nil. fab. A. p. 143.)

Tres hirci minores quum viderent unum maiorem fugientem et timentem, deridebant eum. Ille autem respondebat eis: o desperati et ignari, si sciretis quis me persequitur, non minus paveretis. Sic ergo saepius potentibus personis ab inferioribus detrahi solet.

17. Virtutis opus est, factis aliquid probare.
Hanc pro hoc audi fabulam.

HOMO ET LEO.

(Anon. Nil. fab. LII; Rom. Nil. fab. XLIV; App. Burm. fab. XXV.)

Homo et leo quum inter se certarent, quis esset superior, et quaererent huius altercationis testimonium, venerunt ad monumentum, ubi erat pictura, quomodo leo ab homine suffocatur. Ostendit homo ille testimonium in pictura. Cui leo ait: hoc ab homine pictum est; nam si leo pingere nosset, pinxisset quomodo leo suffocasset hominem. Sed ego, inquit, dabo tibi verum testimonium. Deduxit leo hominem ad amphitheatrum, et ostendit illi vera fide, quomodo homo a leone suffocatur, et dixit: hic colorum non sunt opus testimonia, sed veritate factum.

Haec fabula probat, mendacium, colore compositum, a veritate cito superari, ubi est certa probatio.

---

18. Aliquanti, quum nihil sint, ipsi se magnificant,
ut haec auctoris brevis fabula narrat.

PVLEX ET CAMELVS.

(Anon. Nil. fab. LX; App. Burm. fab. XXXI.)

Pulex stans in cameli sarcina, quum fuisset camelus onustus, plaudebat, se esse meliorem. Longum iter quum agerent, venerunt simul ad vesperum in stabulum. Pulex vero statim se ante pedes cameli excussit, et sic dixisse fertur: bene feci, inquit, descendens de tuo dorso, ne te diutius grava-

rem. Et camelus ad pulicem sic ait: gratias ago, quod nec te imposito gravatus, nec te nunc deposito sum allevatus.

Hanc illi audiant fabulam, qui nec gravare, nec iuvare aliquando possunt meliores.

---

19. De tardis ac pigris talem auctor retulit fabulam.

FORMICA ET CICADA.

(Anon. Nil. fab. LVI; Rom. Nil. fab. XLV; App. Burm. fab. XXVIII.)

Hiemis tempore formica frumentum ex caverna trahens siccabat, quod aestate colligens coagulaverat. Cicada autem esuriens eam rogabat, ut daret sibi aliquid de cibo, ut viveret. Cui formica: quod faciebas, inquit, in aestate? At illa: non mihi vacabat; per sepes oberrabam cantando. Ridens formica, et frumentum includens, dixit: si aestate cantasti, hieme salta.

Haec fabula pigrum docet, ut tempore certo laboret, ne dum minus habuerit et petierit, non accipiat.

---

20. Homo malus multos perdit, et ipse solus perit. Pro hoc audi fabulam.

DE GLADIO ET VIATORE.

(Nil. fab. A. p. 143.)

Gladium, viator dum ambulat, iacentem invenit in via, quem interrogavit: quis te perdidit? Cui contra telum: me quidem unus, ego vero multos.

Haec fabula narrat, malum posse perire, sed ante multis nocere.

21. De iniuriis innocentum Aesopus talem narrat fabulam.

OVIS ET CORNIX.

(Anon. Nil. fab. LV; App. Burm. fab. XXVII.)

Otiosa quaedam cornix super ovem consedit, tundens dorsum eius. Hoc quum diu fecisset, sic ad illam ovis dixisse fertur: Cani si haec fecisses, non ferres latratum eius, nec iracundiam oris illius. At cornix talia ovi ait: Collo equidem forti sedeo, et scio, quem lacessere debeo, quia sum antiqua annis, improba innocentibus, amica autem asperis. Sic me creatam dii voluerunt.

Haec fabula in illos dicta est, qui infirmis, et eorum innocentiae iniuriantur.

22.

DE STATVA SVA ÆSOPVS AD CIVES.

Scripta et ingenium Æsopi ut agnoverunt, quod multarum semitarum amplissimas faceret vias, et pepercisset humilibus, dum alligaverit multos qui erant summi Atticorum, statuam posuerunt Æsopo, cui substatuti sunt circuli, Qm̄ * artis vias ingenio intellexi, mox fabulas edidi. Ideo vides posuimus statuam, quod est alicuius laboris bona remuneratio: sic scientes sequi querelas.

(*) Ita MS. Divion.

23.

MAGISTRO RVFO ÆSOPVS,

Memoriam tibi tradam, benignissime Rufe,* meam, membranis habeto scriptam et in candore quod mereris a me. Suscipe donum ut pretiosum labium saxis diversi coloris ornatum iucundam tuam vitam, spectans seniles annos, maturos amicis, semper bonus vivas, uxori luxuriosus vaces, famulis disciplinam ingeras, tuorum vota bene cernas, et intentus legas fabulas. Et ne forte lector aestimet, lapsum me in imprudentiam, invenies in servis tuis esse narrandi vias. Nam veteres et paucae olim fuere fabulae, sed ut maius fieret corpus, adieci et meas novas, aperte et breviter scriptas. Apposui vera malis, composui integra bonis; ostendi vias malorum, confirmavi bonorum, sequatur quisque quod libet. Per haec omnia docto atque intellegenti parvus non est labor meus, ut norit quisquis, fabularum cur sit inventum genus, verum ipsam vitam hominum et mores ostendens, instruxi legere volentes.

(*) Sic ex coniectura. MS. *bēme*.

REPERTORIVM

AD FABVLAS

ROMVLI DIVIONENSIS, PHAEDRI, ROMVLI NILANTI, ET ANONYMI NILANTI

AVCTORE

GOTTH. EPHRAIM LESSING.

ROMVLVS DIVIONENSIS.	PHAEDRVS.	ROMVLVS NILANTI.	ANONYMVS NILANTI.
Liber I, 1	III, 12	1	"
2	I, 1	2	"
3	App. Burm. 6	3	"
4	"	4	"
5	I, 4	5	"
6	I, 5	6	"
7	I, 6	7	"
8	I, 8	8	"
9	I, 19	9	"
10	IV, 18	"	11
11	I, 29	"	12
12	App. Burm. 9	10	"
13	II, 6	12	"
14	I, 13	13	"
15	I, 21	14	"
16	App. Burm. 10	15	"
17	App. Burm. 4	16	"
18	App. Burm. 1	"	"
19	App. Burm. 12	17	"
Liber II, 1	I, 2	18	"
2	I, 31	19	"
3	I, 23	20	"
4	"	21	"
5	IV, 22	22	"
6	III, 15	23	"
7	V, 10	"	62
8	I, 28	11	"
9	App. Burm. 2	24	"
10	App. Burm. 32	"	61
11	App. Burm. 33	"	65
12	I, 16	"	"
13	V, 3	"	66
14	I, 26	"	63
15	I, 7	"	"
16	I, 3	"	26
17	III, 6	"	"
18	IV, 23	"	27

ROMVLVS DIVIONENSIS.	PHAEDRVS.	ROMVLVS NILANTI.	ANONYMVS NILANTI.
Liber II, 19	I, 10	"	28
20	I, 22	"	29
21	I, 24	"	33
Liber III, 1	App. Burm. 15	25	"
2	"	26	"
3	App. Burm. 17	"	37
4	App. Burm. 18	27	"
5	App. Burm. 19	28	"
6	App. Burm. 20	"	40
7	I, 12	29	"
8	"	"	"
9	"	30	"
10	"	31	"
11	"	"	"
12	IV, 7 (8)	"	42
13	App. Burm. 21	32	"
14	App. Burm. 5	33	"
15	III, 7	34	"
16	"	35	"
17	App. Burm. 22	36	"
18	"	"	47
19	II, 8	"	48
20	IV, 12 (13)	37	"
Liber IV, 1	IV, 2 (3)	"	"
2	IV, 1 (2)	"	"
3	App. Burm. 23	38	"
4	III, 18	39	"
5	III, 2	"	"
6	"	40	"
7	"	"	"
8	App. Burm. 24	41	"
9	IV, 3 (4)	"	"
10	I, 11	42	"
11	"	"	"
12	App. Burm. 30	43	"
13	"	"	"
14	"	"	"
15	"	"	"
16	"	"	"
17	App. Burm. 25	44	"
18	App. Burm. 31	"	60
19	App. Burm, 28	45	"
20	"	"	"
21	App. Burm. 27	"	55

EXCVRSVS

AD EPILOGVM LIBRI III.

Vs. 8 sq. Varie explicant viri docti hosce versus. Gronovius sermonem putat esse ad Eutychum, a quo Phaedrus pro fabulis petat manumissionem. Sed quaerit Burmannus: « Vnde probaret, Eutychi servum fuisse Phaedrum? certe ex toto Prologo lib. III apparet, non eum alloqui ut patronum, sed ut hominem, se quidem beatiorem et districtum negotiis; sed minime ut patronum, a quo manumissus. Queritur porro, se calumniis a Seiano oppressum, quem credo parum de servo fuisse sollicitum. Quare iam manumissum fuisse Phaedrum, cuiuscunque fuerit servus, credibile est. » Heusingerus Gronovii sententiae obstare contendit aetatem Phaedri vs. 15 et 19 significatam. Sed vide, quae mox notabo. Burmannus locum capit de aetate, ad senectutem inclinante (vs. 15); praeterea verba v. 16, *auxilio locus est*, viro docto non de manumissione, sed de pecunia videntur intelligenda, cuius praesidio senectutem sublevaret, ut Virg. Æneid. I, 358, *auxilium viae* vocat *thesauros* et *argenti pondus et auri*, et Phaedrus lib. IV, fab. XXIV, *subsidium vitae*. Sed quum Phaedrus vs. 16 sq. dicat: *olim senio debilem frustra adiuvare bonitas nitetur tua*, ex his verbis efficitur, Phaedrum tum, quum hunc Epilogum scriberet, neque senem fuisse, neque senio proximum; adeoque *languens aevum* (v. 15) non de senectute, sed vita Phaedri, a noxiorum insolentiis pressa (vs. 31) et moerore confecta, esse intelligendum. Deinde non pauca inveniuntur in hoc Epilogo, quae probare possint, locutionem *auxilio locus est* melius capi de auxilio patroni et iudicis insonti ferendo, quam de pecunia, senectutis praesidio. Centies enim, ipso observante Burmanno, *auxilio* dicuntur esse patroni, et qui deprecantur pro aliquo, vel etiam ipsi iudices. Non lubet autem h. l. repetere, quae supra disputavimus in Vita Phaedri de calamitate poëtae, in quam deductus erat odio Seiani, et aliorum potentum calumniis, quos laeserat et offenderat fabulis suis; item quae de tempore, quo librum III

fabularum conscripsisse vero simile est, nec non de Eutycho, cui dedicavit, notata sunt, in lectione huius Epilogi in memoriam revocanda. Sufficiat observare, quae explicando huic loco inserviunt. Phaedrus nempe hocce tempore calumniis inimicorum iterum, (1) etsi insons, ut ait vs. 22 accusatus et in ius vocatus fuisse videtur. Epil. III, 22 seq., 30 seq. Iudices vero ante Eutychum munus suum iniudicata re obiverant (vs. 24), et actio pendebat, nescio qua de causa. Forte Phaedrus custodia tenebatur (lib. III, fab. IX, 3 sq.). In locum horum iudicum successerat Eutychus (v. 24 sq.), qui coniectura probabili nunc praeerat iudiciis. Quod etsi vero simile negant esse Burmannus et Desbillonius, quum liberti nomen gereret Eutychus; tamen quia liberti isto tempore non raro magno in honore erant, et Eutychus non uno munere publicò functus esse videtur (Prolog. III, 5, 7; Epilog. III, 3): non sine ratione suspicor, eumdem e numero iudicum Phaedri fuisse; id quod confirmatur v. 22, maxime v. 26 sq. huius Epilogi quem locum de religione iudiciorum et fide iurisiurandi, quo se romani iudices adstringebant, interpretandum esse, iam supra in Vita Phaedri docui, praeeunte Desbillonio. Atque etiam Burmannus ex hoc versu censet colligi posse, agi de iudice. Phaedrus igitur metuens ne lis protrahatur, et ipse coram diversis iudicibus, forte iniustis et partium studio abreptis, et magistratibus, qui annui erant, aut qui aliquando vacabant, et deinde iterum fungebantur magistratu, causam dicere cogatur, in hoc Epilogo petit ab Eutycho, patrono suo et iudice, ut auxilio sit reo periclitanti, suamque in eo operam ponat, ut veniam impetret. Iam antea promiserat Eutychus, se redditurum fabularum Opusculo istud praemium, i. e. se Phaedro auctori earum, invidiae calumniaeque vi oppresso, non defuturum (vs. 9); at vero nunc impensius rogat poëta, ut stet promissis, adiunctis variis argumentis, quibus ostendit, quam celeri opus sit auxilio (vs. 8-20). Cui coniecturae adduut pondus verba (vs. 24 sq.): *Tuae sunt partes, fuerunt aliorum prius, Dein simili gyro venient aliorum vices*, quae Desbillonius praeclare ita explicat: « Tuae sunt partes in mea causa iudicandi: alii iam antea iudices munus suum (annuum videlicet) iniudicata re obiverunt; aliique

(1) Tale quid iam factum erat tempore Seiani, qui accusator erat testis et iudex Phaedri. Vide Vitam Phaedri.

porro quasi in gyrum succedent, nisi reum me absolvi ac dimitti pro tua misericordia diligenter curaveris. » Quae omnia si rite expendantur, nescio, an assentiendum sit censori erudito, (1) qui in hocce Epilogo de calumniis, quibus premebatur Phaedrus, non de actione forensi agi, statuit, laudans vs. 32, coll. Prol. III, 39 sq. et Prol. IV, 15.

De sensu vs. 24 sqq. dictum est supra in Notis coll. hoc Exc. init. Alii tamen aliter. Gronov. et Hoogstratan. capiunt de Opusculo fabularum Phaedri, quibus accedit Brotier, scribens p. 142: «Tunc partes erant Eutychi, cui Phaedrus tertium fabularum librum dicaverat. Prius fuerant aliorum partes, qui prioribus duobus libris erant patrocinati. Deinde venere aliorum vices, Particulonis et Phileti, qui in duobus posterioribus libris celebrantur.» Sed haec sunt contra mentem poëtae. Rectius suspicatur Bentleius, agi hic de iudicibus, probante Burmanno, qui tamen vellet explicuisset Bentleius, quomodo vices illae iudicum *gyro* venirent, et annon e versibus memoratis colligi possit, saepius fuisse accusatum Phaedrum, vel certe metuisse, ne coram diversis iudicibus et magistratibus causam dicere cogeretur. Certe hic ei aliquid latere videtur. Ipse vero censet, nec Eutychum, nec Particulonem iudiciis praefuisse, quia libertorum nomina gerant: Virum aliquem hic intelligi, qui annuum et insigne munus Romae obierit, unde quasi in orbem ad alios quotannis devolvebatur; nomini vero eius pepercisse, ne in invidiam adduceret supplex Phaedrus, qui fabulis tot Romanorum principes offenderat.

(1) V. Ephemer. Götting. litter. *Zugabe* ann. 1781, Partic. 53.

EXCVRSVS

AD VS. 30, FAB. XVII, LIBRI IV.

Vs. 30. *Non veto dimitti, verum cruciari fame.* Si dimisit Iupiter legatos, cur non redierunt? cur posteri adhuc exspectant eos? Haec difficultas Burmannum cogit legere:

> *Vos veto dimitti; hos vero cruciari fame.*

Per *vos* posteriores, per *hos* priores legatos significari putat. Vt sequentia etiam opinioni suae conciliet, rescribit:

> *Ita nunc legatos exspectat qui posteros,*
> *Novum venire quum videt, culum olfacit.*

Posteros (ita MSS.) legatos interpretatur, qui posteriores missi fuerant. Sed nec ita sublata est omnis difficultas. Nam de posterioribus legatis quaestio erat in concilio deorum: eos vero non dimittere, regis non esse dixerat Iupiter. Non potest igitur fingi eos retinuisse. Quare satius est, dimissos quidem dicere legatos, non priores tantum, sed et posteriores; eosdem vero a canibus adhuc exspectari, quod aliquamdiu certe retenti fuerant, et dimissi quidem, sed, simul etiam notati gravissime, reditum non maturaverant, quum escam in stercore scrutarentur, et legationis suae tam turpem tristemque exitum ad suos referre non auderent. *Heusinger.* Vide mox.

Vs. 27-36. Multae Editiones, etiam Burmanniana maior et Bipontina, hunc locum ita exhibent:

> Sic est locutus ante poenam Iupiter: 27
> Non est legatos regis non dimittere,
> Nec est difficile, poenas culpae imponere.
> Sed hoc feretis, pro iudicio praemium: (1) 30

(1) Non ferunt viri docti primo sermonem ad legatos canum dirigi, mox converti iterum ad deos: quod tamen recte vindicat Schefferus: ante poenam enim, i. e. antequam de ea ageretur, et consulerentur dii, aut sententiam ferrent, legatis Iupiter hoc dicit, se formam iudicii hodie non observaturum, in quo solebant iudices in consilium mitti: *pro iudicio ergo*, i. e. loco iudicii, hoc praemium feretis, quod mox edi-

Non veto dimitti, verum cruciari fame, (2)
Ne ventrem continere non possint suum.
Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,
Numquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos exspectant et posteri; (3)
Novum venire q. v. c. o.

ita quidem, ut vs. 28 sq. alloquatur Iupiter deos, versu 30 canes, versu vero 31 sq. Iupiter iterum convertat sermonem ad deos, vs. 33 ad canes. Quod quum ferri mihi non posse videretur, Desbillonio duce, ordinem versuum, eo, quo supra dixi, modo, paullulum immutavi, ita, ut pro vulgato *sed* reponerem *et*, quod receperat Desbillonius. Sic enim nexus melior,

cam: inde suspensos et attentos, quid sequeretur, deos ita alloquitur: *Non veto dimitti*; etc. *Burm.*

(2) Difficultas manet, si non vetuerit dimitti, quomodo posteri adhuc legatos exspectare possint. Quare fere inducor, ut hoc versu Iupiter decernat de duplici legatione, ad se a canibus missa, ut posteriores vetet dimitti, priores vero iubeat dimitti; sed cruciari fame, et legendum forte: *Vos veto dimitti; hos verum cruciari fame, Ne ventrem continere non possint suum*, i. e. ut possint continere ventrem. Famelici enim et ieiuni facile continent ventrem: et sane videmus, saepe canes difficulter et cum molestia, et maximo nisu cacare. Tertia poena respicit canes, qui miserunt, qui quoticscunque novo et ignoto cani obiam veniunt, olfaciunt culum. In hac vero triplici poena sententiae pro delictis sunt iustissimae. Primi, qui Iovis vultu perterriti concacarunt regiam, dimittuntur, qui venia digni videbantur; sed secundi, qui stultitiam prodiderant, credendo se posse ventrem continere, si anum odore multo replerent, aut si non possent continere, crediderant multo illo odore merdarum foetorem facile posse vinci, damnantur fame, quia si ieiuni ad regem venissent, potuissent continere ventrem. Qui vero miserunt legatos tam futiles, aeternae contumeliae hominum obnoxii fore pronuntiantur. Et ita hac fabula quasi tres causas nobis aperit, cur canes perpetua fere fame (unde *canina fames*, quam noster *maximam* vocavit, in proverbium abiit) crucientur, cur nitantur maxime in cacando, et denique cur culum aliorum canum olfaciant. *Burmann.*

(3) In MS. est *posteros* pro *posteriores*; dixit, ut de secundis legatis, quos vetuit Iupiter dimitti, intelligatur. Certe *posteri* pro illis, qui post aliquem munus aliquod obeunt, et qui succedunt prioribus, dici, ostendit Perizon. Animadv. Histor. Cl. VII, p. 254, et *postera dies*, *tempus* et similia dicuntur, quae succedunt prioribus, ita *posteri* legati hic sunt, qui prioribus sunt suffecti, quos *superiores* vocavit antea, vel, ut nos, *priores*; et potuit esse positum pro *posteriores*, ut saepe gradus illi permutantur. Haec non obtrudo pro certis, sed ad examen ut revocentur facile patiar. Le-

neque opus est criticorum emendationibus, lectionibus librorum scriptorum repudiatis. Gudius locum ita constituit (4):

Legatos non est regis non dimittere,
Nec est difficile, poenas culpae imponere;
Stet hoc (sc. decretum) (feretis pru iustitiae praemium)
Non cito (i. e. non celeriter) dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum:
Illi autem, qui miserunt hos tam futiles,
Numquam carebunt hominis contumelia.
Mandantur antro (i. e. carceri, vinculis), non dimittuntur statim.
Ita nunc legatos exspectans et posteros,
Novum venire quum videt, culum olfacit.

gerem vero: *Ita nunc legatos exspectat qui posteros, Novum venire quum videt, culum olfacit.* Quamquam facile induci possem, ut hos duos versus a nebulone quodam huic fabulae subsutos esse persuaderetur mihi. *Burmann.* Vid. paullo ante notata ad vs. 30.

(4) Vberiorem huius loci interpretationem habes in Notis Gudii.

INDICES DVO

NOMINVM, RERVM ET VERBORVM

IN PHAEDRI FABVLAS

TVM VETERES, TVM RECENTIORES.

INDEX

IN

PHAEDRI FABVLAS VETERES.

Primus numerus librum, alter fabulam, tertius vero fabulae versum denotat.

D

E

F

G

H

I

M

O

P

R

S

T

U

adsuetam, III, Prol. 14. — aliorum *vices*, III, Epil. 25. — noctis, II, 8, 10.

Vicina mors, III, Epil. 19. — *vicinus* fur, I, 6, 1,

Victima periculum avertere, III, 3, 8.

Victor, I, 15, 8. — (de mustela), IV, 6, 9. — Pyctes, IV, 24, 5. — Sophus, III, 14, 9.

Victum quaerere, III, 16, 4. — rogare, IV, 21, 25.

Videre, I, 7, 1; I, 13, 5; I, 20, 3; II, 8, 11; III, 1, 1; III, 2, 3; III, 4, 1; III, 12, 4; III, 14, 2; V, 5, 22. — nostra, IV, 10, 4. — plurimum in, II, 8, 28. — vultum, IV, 17, 10. — nuptias, I, 6, 1. — pulchre, V, 10, 10. — quam non sit, IV, 19, 6. — *videre* simulacrum suum in speculo lympharum, I, 4, 3. — boves corruptos, II, 8, 21. — *video* te pasci, IV, 23, 17. — ut *vidit*, I, 21, 8; III, 16, 8; IV, 17, 10; IV, 21, 26. — ubi *vidit*, V, 1, 11. — *vides*, II, 4, 8. — *videt* venire, IV, 17, 36. — *vide* ne compuogam, III, 6, 3. — *videris*, I, 10, 9. — *videri* (*opp.* esse), IV, 1, 16 — molestum, III, Epil. 2. — volunt, II, 2, 6. — *videtur* ioculare, IV, 1, 12. quid tibi *videtur*, IV, 7, 17. — qualis *videtur* tibi opera, I, 11, 13. — *videntur* vendere, III, 17, 7. — *videor* mori, I, 21, 12. — acer, III, 7, 18.

Vigilare, I, 23, 8; III, 7, 19.

Vigilia omni, III, Prol. 25.

Vigor saltantis, V, 7, 15.

Vile hordeum, II, 7, 9. — *viles* neniae, III, Prol. 10.

Villa, III, 10, 19; IV, 5, 23. — Misenensis, II, 5, 8. — proxima, II, 8, 3.

Villicus, II, 8, 13.

Vincere aliquem, V, 5, 23. — faciem moribus, III, 8, 16. — forma, magnitudine, III, 18, 6. — *vinci* sono, III, 18, 9. — *victus* dolore, I, 8, 5. — *victi* Mures, IV, 6, 1.

Vindicare dolorem, III, 10, 28. — impetum, IV, 7, 20. — iniuriam ictu, I, 21, 6. — se dextera, V, 2, 3. — *vindicanda* iniuria, IV, 17, 26.

Vindicta rei parvae, IV, 4, 10. — facilis, I, 29, 10. — patet solertiae, I, 28, 2.

Vinea alta, IV, 3, 1.

Vinum parare, IV, 5, 41. — *vino* devota, IV, 5, 6. — *vina* vetera, IV, 5, 35.

Violare Manes, I, 27, 4.

Vipera, IV, 8, 3.

Vir, I, 18, 4. — fortis, IV, 12, 1. — natus, III, 8, 11. — sanctissimus, IV, Epil. 4. — talis, III, 9, 6. — *viri* ingenium, V, 1, 11. — *viro* privata, III, 10, 45. — *viri* spolisntur a feminis, II, 2, 1. — *viros* venari, IV, 5, 4.

Virginale, IV, 14, 14.

Viridia laeta, II, 5, 11.

Virtus, IV, 12, 3. — exhibet decus, IV, 23, 21. — *virtutis* expers, I, 11, 1. — *virtuti* credendum, V, 2, 13. — tribuitur gloria, II, Epil. 4. — *virtute* praevalet sapientia, I, 13, 14. — sine *virtute* exercere minas, III, 6, 11. — *virtute* impares, IV, 15, 8.

Vis et nequitia oppugnant, II, 6, 3. — carminis, III, Prol. 3. — veritatis, I, 1, 9. — *vires* aquilae, III, 18, 11. — languidae, III, 2, 9. — summae, IV, 3, 2. — *viribus* desertus, I, 21, 3. — magnois fugere, V, 2, 12. — *vi* mores compescere, I, 2, 12.

Visum est, IV, 23, 6. — qua *visum* est, III, 7, 20.

Visus ferus, II, 1, 6. — homo, III, 19, 11.

Vita, I, Prol. 4; II, 8, 19. — aspera, III, 7, 12. — mea, IV, 19, 7. — melior, IV, 17, 2. — et mores, III, Prol. 50. — propior morti, III, Epil. 10. — tristis, IV, 1, 1. — *vitae* genus, III, Prol. 15. — subsidium, IV, 21, 12. — *vitam* dare, IV, 24, 33. — de-

SECVNDVS INDEX

QVI EST

IN NOVAS PHAEDRI FABELLAS.

Prior numerus fabellam, posterior versum indicat.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

TABVLA

RERVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

FABELLAE NOVAE.

Appendix Fabvlarvm Æsopiarvm XXXIV.

ROMVLI FABVLARVM ÆSOPIARVM LIB. IV.

FINIS.

Facultate obtenta.